FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavlli Manvtii Commentarivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis Epistolas Commentarivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Pauli Manutii Commentarius In M. Tulli Ciceronis Epistolas Quae Familiares Vocantur.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-21954-3

Visual Library

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLAS

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

Franckesche Stiftungen zu Halle

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM I.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Partes argumenti duae sunt, vna et extrinsecus, et satis longe petita, quae ad regem Ptolemaeum proprie pertinet; altera, quae sumitur ex ipsa epistola, et regiae caussae statum explicat; prior non aliena, posterior etiam necessaria. Rex Aegypti Ptolemaeus, Auletes dictus, quia tibiis canere, praeter dignitatem regiam, solitus esset, pater Cleopatrae, notissimae feminae, et eius Ptolemaei, cuius est iussu interfectus Pompeius Magnus, societatem et amicitiam populi Romani diu expetitam impetravit aliquando, Caesare et Bibulo coss. qua de re sic ipse Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 107. Controuersias regum ad populum Romanum, et ad se, quod esset consul, pertinere existimans, atque eo magis officio suo conuenire, quod superiore consulatu cum patre Ptolemaeo et lege, et senatus consulto societas erat facta. Et in oratione pro Postumo c. 3. Non ei regi credidit, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum foedus feriri in Capitolio viderat. Eam autem societatem diu exoptatam esse a Ptolemaeo, nec nisi Caesare consule obtineri potuisse, intelliget, opinor, qui perpendet illud lib. 2. ad Attic. epist. 16. De rege Alexandrino, placuisse sibi, aliquando confici. Nam verbum, aliquando, negatam antea Ptolemaeo societatem, satis, vt opinor, ostendit. Nec vero minimam eius impetrandi honoris difficultatem Suetonius demonstrat, cum ait in Caesaris vita c. 54. Societates, ac regna pretio dedit: vt qui vni Ptolemaeo prope sex millia talentorum, suo Pompeiique nomine, abstulerit. Porro cupiditas Ptolemaei tanta societatis, et amicitiae populi Romani, non solum ex eo nata, quia superiores fere omnes Aegypti reges, eundem honorem adepti, praesidium aduersis temporibus in fide ac tutela Romanorum saepe maximum inuenerant, verum etiam, quod ipse, nisi socius amicusque populi Romani appellaretur, stabi-

lem sibi atque tutam regni possessionem non putabat: idque duabus caussis, primum quod Alexandri regis, qui proximus regnauerat, testamento Aegyptus Romanis relicta dicebatur. itaque ait Cicero in oratione prima in Rullum c. 1. Dicent decemuiri, id quod et dicitur a multis, et saepe dictum est; post eosdem consules, regis Alexandri testamento, regnum illud populi Romani esse factum. *Et in secunda in eundem* c. 16. Quis vestrum hoc ignorat, dici illud regnum, testamento regis Alexandri, populi Romani esse factum? *Et paullo post:* Video, qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem senatus exstare hereditatis aditae sentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent. *Hac igitur de caussa, ne sibi regnum populus Romanus adimeret, Ptolemaeus timebat. Accedebat altera, quod ipse, non modo Alexandri regis mortui filius, verum nec e regio esse genere putabatur. itaque subiungit ibidem Cicero:* Eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio esse, inter omnes fere video conuenire. *Ptolemaeum designat: de quo etiam paullo post* c. 17. Qui sunt, *inquit*, isti decemuiri, quos perspiciamus, regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicaturos? *Honor igitur ille societatis et amicitiae populi Romani, vehementer optatus confirmandi regni caussa, magnoque emptus, necessitatem quandam Ptolemaeo attulit Aegyptios offendendi. nam, cum ab eis intolerabilia tributa exigeret, incurrit in eorum odia: ex quo multitudine concitata, vitae suae timens, e regno Romam profugit, Lentulo Spinthere, Metello Nepote coss. id est, biennio post, quam in societatem, amicitiamque populi Romani receptus erat. Questus iniuriam, petiit, vt restitueretur, impetrauitque non magno negotio, vel Pompeii gratia, eius caussam adiuuantis, ob amicitiam Mithridatico bello contractam, vel suffragante pecunia, clam multis data, vel etiam, quod regis bene de republica meriti, (nam, vt Plinio referente cognoscitur, Pompeio, circa Iudaeam rem gerenti, octo equitum millia Ptolemaeus suo sumptu miserat) et eius regis, quem senatus populusque Romanus biennio ante, Caesare et Bibulo Coss. socium atque amicum appellasset, iniurias vlcisci, non modo iustum, sed exemplo etiam vtile, speciosumque videbatur. His caussis factum est senatus consultum, referente consule P. Lentulo, vt sortirentur consules, vter eorum regem reduceret, id est, vt is reduceret, cui Cilicia prouincia obtigisset: quae obtigit Lentulo. nam, si Ciliciam Lentulus antea sortitus esset; coniici postea in sortem reductionem regis non oportuit, quippe cum ea Ciliciae proconsuli, cui prope in conspectu Aegyptus esset, ob facultatem rei perficiendae prorsus deferenda videretur. Hispania vero, quae obuenit Metello, vt in Appiano legimus, longissime ab Aegypto remota, omnino cum reductione regis Alexandrini coniungenda non fuit. Huius et senatus consulti et sortis in oratione in Pisonem c. 21. mentio fit his verbis:* Ille, si non acerrime fureret, auderet, quam prouinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum et auctoritate senatus, et sorte haberet, interposita religione, sine vlla dubitatione deposuisset, eam sibi adsci-

adſciſcere, cum, etiamſi religio non impediret, mos maiorum tamen, et exempla, et grauiſſimae legum poenae vetarent? *Et in ea pro Poſtumo* c. 3. Non latroni, ſed regi credidit: nec regi inimico populi Romani; ſed ei, cuius reditum conſuli datum a ſenatu videbat. *Et in eadem* c. 8. Non ad Gabinii, cuius id negotium non erat, ſed ad P. Lentuli, clariſſimi viri, auctoritatem, a ſenatu profectam, et conſilio certo, et ſpe non dubia, Romam contenderat. *Accedit huius epiſtolae teſtimonium, ſatis apertum, his verbis:* Hortenſii, et mea, et Luculli ſententia, ex illo ſenatus conſulto, quod te referente factum eſt, tibi decernit, vt regem reducas. *Et in epiſt. 7.* Senatus conſultum nullum exſtat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit. *Quae confirmat hiſtoria Dionis lib. 39. Exeunte anno, cum Lentulus nondum in prouinciam iuiſſet, per C. Catonem tribunum plebis obiecta ſenatui religio eſt, prolato e Sibyllinis verſibus oraculo, ne rex cum multitudine reduceretur; ſi fieret, malo publico futurum. Tum factum eſt alterum ſenatus conſultum, referente de religione Marcellino conſule, regem cum multitudine reduci, periculoſum reipublicae videri. De hoc ſenatus conſulto ſic lib 2. ad Q. Fr. epiſt. 2.* De rege Alexandrino factum eſt ſenatus conſultum, cum multitudine eum reduci, periculoſum reipublicae videri. *Atque illam epiſtolam cum videam XIV. Kal. Febr. ſcriptam eſſe, facile poſſum ſuſpicari, hoc ſenatus conſultum, antequam haec ad Lentulum mitteretur, eſſe factum. nam neque Idibus, quo haec die ſcripta eſt, neque poſtridie, id eſt, XVII. Kal. neque XVI. factum eſſe, ex duabus conſtat epiſtolis, ſecunda et quarta. Quod ſi quis, XV. Kal. id eſt, pridie quam illam ad fratrem Cicero ſcripſit, decerni potuiſſe dixerit: antiqua conſuetudine refelletur. ſenatum enim haberi per dies comitiales non licuit. comitialem autem fuiſſe diem XV. Kal. Ian. non ſolum faſti dierum veteres, ſed etiam Cicero ipſe in quarta docet epiſtola. nam, cum de ſenatu ad XVI. Kal. habito locutus eſſet, ſubiunxit:* Senatus haberi ante Kalendas Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt. *In ea etiam ad fratrem, cuius proxime ſum vſus exemplo, extractam ait rem obtrectatorum Lentuli calumnia, deinde comitiales dies eſſe confecutos: cum de ſenatu XVI. Kal. habito loquatur, vt in quarta ſignificat huius libri: vbi, iisdem fere verbis vtens,* res, *inquit,* ab aduerſariis noſtris extracta eſt variis calumniis. *Ergo, vt redeam, vnde diuerti, ſenatus conſultum de religione ante hanc epiſtolam, id eſt, ante Idus Ian. factum erat. Tertium ſenatus conſultum cum fieret, ne quis omnino regem reduceret, id quod, vt haec docet epiſtola, P. Seruilius Iſauricus cenſuerat, interceſſum eſt. Senatus tamen voluntas perſcripta, quod, impedito ſenatus conſulto, fieri ſolitum eſt, vt memoriae traderetur, atque exſtaret in publicis tabulis, quid ſenatus, niſi obſtitiſſet interceſſio, fieri voluiſſet. Hac de re ſic in epiſt. 7.* Senatus conſultum nullum exſtat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit: eaque, quae de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, vt ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, vt magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium eſſe videatur.

Sublato igitur a religione exercitu, cum de rege reducendo deliberaretur, et alii eum honorem Lentulo, quem iam antea et senatus consulto, et sortis beneficio acceperat, conseruarent, alii Pompeio mandandum, alii aliter censerent; varietas opinionum rem extraxit; Catonis deinde tribuni plebis audacia disturbauit penitus, atque peruertit. nam et ab initio tribunatus, vt Fenestella docet apud Nonium, concionibus assiduis inuidiam regi, ac Lentulo concitauit; et mox, lege etiam de abrogando Lentulo Ciliciae imperio promulgata, animos eorum, qui Lentulo fauebant, a minore cura ad summum timorem traduxit: Pompeium vero, in senatu aspere, et acerbe accusatum, eo redegit, vt consilium reducendi regis abiiceret. itaque rex, desperato senatus auxilio, confugit ad Gabinium Syriae proconsulem: a quo, promissis ei decem talentorum millibus, (ea sunt HS bis millies quadringenties, vt ostendit Cicero in oratione pro Postumo c. 8.) Pompeio etiam, qui cum Crasso tum consulatum gerebat, admodum pro eo contendente, facile impetrauit, vt restitueretur. Ex eo postea Gabinius maiestatis accusatus, quod prouinciae suae finibus, contra legem Corneliam, excessisset, corruptis iudicibus absolutus est; mox tamen de repetundis in iudicium vocatus, defendente, Pompeii rogatu, Cicerone, qui priore iudicio accusauerat, odio maxime prioris iudicii damnatus, publicatis bonis, in exsulium abiit: quem postea dictator Caesar restituit. Hinc illa in eum oblique coniecta in oratione contra Pisonem c. 21. Se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Aegyptio vendidit. in Aegyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis. cepit Alexandriam. *Atque hoc loco foedam Appiani negligentiam dissimulare non possum, qui Gabinium, Pompeio tertium consule, de maiestate damnatum putat. in quo dupliciter peccat, primum temporis, deinde criminis inscientia. nam Gabinius biennio ante Pompeii tertium consulatum, Domitio et Appio coss. non de maiestate, sed de repetundis damnatus est. vtrumque docet Dionis historia: cui si fides abrogatur, ipse certe non refelletur Cicero, quo ego, praesertim in rebus illius aetate gestis, locupletiorem testem non quaero. is lib. 6. ad Attic. epist. 1. et lib. 3 ad Q. Fr. epist. 4. prorsus patefacit ἐνιαυσιαῖον Appiani. Sed, vt redeam ad Auletem, pecuniae tantam vim Caesari primum ab eo datam, vt societatem populi Romani consequeretur, deinde Gabinio, vt electus restitueretur, forsitan mirari aliquis possit, qui, si eius regis annua vectigalia nouerit, non dubito, quin mirari desinat. capiebat enim ex Aegypto, vt in quadam oratione Ciceronem scripsisse grauis auctor Strabo lib. 17. memoriae tradidit, talenta annua duodecim millia quingenta. In tantis opibus magni negotii non fuit, aut Caesari sex millia talentorum, aut Gabinio decem millia largiri, aut etiam, id quod a Varrone proditum Plinius narrat, octona millia equitum, Pompeio circa Iudaeam res gerente, sua pecunia tolerare, mille conuiuas, totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis saginare. Hactenus de Ptolemaeo. Nunc, quae sit epistolae sententia, quo principio*

cipio inducta, quibus distincta partibus, quo fine concluſa, videamus. Ac primum, quod iis, qui aliena negotia curant, amouenda in primis negligentiae ſuſpicio eſt, orditur Cicero ab officio ſuo, operamque a ſe in regio negotio nauatam ita ſignificat, vt eximiam in Lentulum benevolentiam prae ſe ferat. mox regis, et eius amicorum ſtudium, conſulis, et conſularium ſententias, Pompeii familiarium contentionem, perfidiam amicorum exponit. quae qui attendat, rei difficultatem, ex Lentuli ſententia conficiendae, maximam videat. nam ad regis voluntatem, qui reduci a Pompeio, ciuitatis principe, cupiebat, Hammonius eius legatus, clam pecunia data, ſenatorum animos traducere conabatur. Senatorum autem alii, illius largitionis inuidia, regem oderant, reducendumque prorſus negabant, vt Marcellinus, Seruilius, ſenatus maior pars: alii Pompeio rem deferri malebant, vt Volcatius, Afranius, Lupus, Lybo, Hypſaeus, omnes praeterea Pompeii familiares, quos, pro ſumma eius auctoritate, et gratia, plurimos fuiſſe par eſt: nonnulli, vt Craſſus, reducendum quidem regem, ſed ſine exercitu, Sibyllae verſibus admoniti, cenſebant. Horum tria video genera fuiſſe. nam, cum omnes in tuenda religione conſentirent, non tamen omnium in ratione reducendi ſenſus idem erat. Placebat Craſſo conſulari, a tribus legatis, vel priuatis, vel iis etiam, qui cum imperio eſſent, regem reſtitui: ita neque Pompeius, neque Lentulus, qui cum imperio erant, excludebantur. Placebat Bibulo, item conſulari, a tribus priuatis: ita Pompeio, et Lentulo locus non erat. Contra Hortenſius, Lucullus, Cicero, ipſi quoque conſulares, ab vno Lentulo, Ciliciam cum imperio adminiſtrante, reducendum cenſebant: quod anno ſuperiore, ipſo Lentulo conſule referente, ſenatus decreuerat. Quae ſi perpendantur ſingula: paene res a Lentulo remota videbitur. nam, ſi Marcellini, et Seruilii de non reducendo rege valeat opinio, iacet negotium. Si Pompeii familiares vincunt: Lentulo reiecto, Pompeius decernitur. Si de legatis priuatis Bibuli ſententia probatur: aeque Lentulus, et Pompeius, qui cum imperio erant, reiiciuntur. Si Craſſus auditur, vt inter legatos locum habeant ii, qui cum imperio ſunt: oritur inter Lentulum, et Pompeium de reductione contentio; nec dubium, quin Pompeius obtineat, honoribus, et meritis in rempublicam ciuitatis facile princeps. vnicum igitur in Hortenſii, Luculli, Ciceronis ſententia perfugium. Sed hic etiam aduerſantur multa: primum, ſenatus voluntas, a rege, propter apertam largitionem, alienior; deinde, corrupti ab Hammonio, regis legato, non pauci, qui rem ad Pompeium deferri omnes volebant; poſtremo, ipſius Pompeii familiares, et in iis tribuni plebis aliquot, parati ad intercedendum, ſi pro Lentulo ſenatus conſultum fieret. Addo illud, quod Ciceronis, quia Lentuli beneficio obſtrictus videbatur, in cauſſa regia minor erat auctoritas; gratia vero eius, vt magna eſſet, maiore tamen Pompeii gratia vincebatur. Nec vero, adempto exercitu, quod Cicero etiam, Hortenſius, Lucullus religionis cauſſa probare cogebantur, magnopere erat, cur eam reductionem Lentulus expeteret: quippe qui vereretur, ne, reſpuentibus regem Alexandrinis, quos cogere ſine armis

nequiret, infecta re cum aliquo dedecore discederet. Quocirca praeclarum in hac epistola Ciceronis artificium licet animaduertere: qui neque sperare Lentulum iubet, cum desperandum potius intelligat; neque tamen prorsus eum abducit a spe, veritus, ne hominis amicissimi, optimeque de se meriti, fortasse etiam, ipsius opera Ciceronis, optatum rei exitum exspectantis, animum offendat. nam in eo loco: In senatu alam sic egit caussam tuam, vt neque eloquentia maiore quisquam, neque grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit: *Pompeium optime animatum erga Lentulum significat. Infra vero, cum subiungit:* Quae res auget suspicionem Pompeii voluntatis: *et paullo post:* In eam opinionem rem adduxerunt, vt Pompeius cupere videatur: *et in eo:* Quod Pompeio se gratificari putant: *id ipsum, quod promiserat, in dubium reuocat. Quod si qui erant, qui Pompeii caussa nollent; ii nec Lentulo, qui antea Pompeium ornauerat, fauebant. Ita Lentulo spes omnis infirmatur: cum vel amicos Pompeii aduersarios habeat; vel, qui alieniores Pompeio sint, amicos ipse habere non possit. Callide autem, ne sua culpa res inclinasse videatur, inducit illa quasi excusationis loco:* Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipso rege, et ab intimis ac domesticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, et in summam inuidiam adductis, ita versamur. *Scripta est epistola, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo coss.*

EXPLANATIO.

M. *Tullius Cicero*] Me puero, Romanorum nominum obscura doctrina, et perdifficilis habebatur. nos fortasse primi nostris commentariis adiumenti hoc in genere aliquid attulimus: sed proxime, quae ad hanc notitiam pertinent, praeclare omnia collegit, auctor optimus antiquitatis, Carolus Sigonius. Hic si dixerim, *Marcus*, praenomen esse; *Tullius*, nomen; *Cicero*, cognomen; et haec tamen omnia, sine discrimine, a veteribus nomina interdum appellari; tribusque fere nominibus Romanos vti solitos esse, vt, M. Tullius Cicero, C. Iulius Caesar, Ser. Sulpicius Rufus; nonnumquam quattuor, vt, C. Calpurnius Piso Frugi, Cn. Cornelius Scipio Nasica; duobus interdum, vt, C. Marius, L. Gellius, Q. Hortensius, M. Antonius: numquam vno; cum nec praenomine quisquam, nec gentilitio nomine careret; licet multos ipso tantum praenomine, vt, Appius, Manius, Seruius, notos fuisse non ignorem: haec, inquam, et similia si dixerim, putem me dicere, quae nota sunt. Quod ad Tullios attinet, patricii primum, deinde plebeii generis fuere. auctor ipse Cicero in Bruto c. 16. *Vt, si ego me,* inquit, *a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seruio Sulpicio consule, anno X. post exactos reges fuit.* Plebeia vero gente natum illum M. Tullium, qui cum Cn. Cornelio Dolabella anno vrbis DCLXXII. consulatum gessit, nemo, opinor, insitiabitur, qui et Dolabellas patricios fuisse, et duos patri-

patricios veteri lege simul esse consules non potuisse cognouerit. Hoc nomen a Tullo praenomine, quo rex Hostilius vsus est, deriuatum nonnulli credidere. Cicerones dicti a cicere serendo, vt Lentuli a lente, Fabii a faba, vt ait Plinius lib. 18. c. 3. quamquam Priscianus lib. 2. tradidit, qui primus Cicero dictus est, eum ab habitu faciei ita nominatum; et, quod agnomen in illo fuit, cognomen in posteris fuisse: similiter, Caesar, Scipio, quae primum agnomina fuere, in cognomina transisse.

P. Lentulo] Corneliae gentis patriciae. nam et Cornelii plebeii fuere, vt ille C. Cornelius, qui, post tribunatum plebis, a Cicerone defensus est: et P. Cornelius tribunus plebis lib. 8. epist. 8. et patricii distinguuntur a plebeiis lib. 2. de Leg. c. 22. *Sulla primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari.* Ex ipsa autem gente patricia profluxere familiae multae, diversis distinctae cognominibus, vt Maluginenses, Cossi, Rufi, Scipiones, Blasiones, Sullae, Merulae, Lentuli, Cethegi, Cinnae, Dolabellae: qui cum essent eiusdem gentis, eiusdem tamen familiae non erant: vt in Claudia gente Neriones, et Pulchri, patricii; at Marcelli, plebeii; qui omnes recte gentiles dicuntur, eiusdem familiae non recte: quod ipsa cognominum varietas declarat. Hic Lentulus eximiam in aedilitate liberalitatis, et magnificentiae laudem est adeptus: vnde illud epist. 7. *Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis.* Et lib. 2. de Offic. c. 16. *Omnes P. Lentulus, me consule, vicit superiores.* Et Valerius Max. lib. 2. c. 4. *Claudius Pulcher scenam varietate colorum adumbrauit, vacuis ante picturam tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus praetexit: versatilem fecerunt Luculli, argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit.* Numeratur inter oratores in Bruto c. 77. his verbis: *Publius ille, nostrarum iniuriarum vltor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae deerant: sed tantus animi splendor, et tanta magnitudo, vt sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adscisere, eaque omni dignitate obtineret.* Cognomen Spintheris, vt Valerius Max. lib. 9. c. 15. docet, a quodam asseclarum accepit. Plinius autem lib. 7. c. 12. eum Spintherem secundarum partium histrionem vocat. A similitudine certe cognomen hoc ortum est. nam Quinctilianus lib. 6. c. 3. de risu, *acriora*, inquit, *sunt, et elegantiora, quae trahuntur ex vi rerum. In his maxime valet similitudo, si tamen ad aliquid inferius, leuiusque referatur: qua iam veteres illi iocabantur, qui Lentulum* Spintherem, *et Scipionem* Serapionem *esse dixerunt.* Spintherem tamen Cicero numquam Lentulum appellat, opinor, quia contumelia videretur. Caesar, ab eo laesus, quia fuit in praesidiis Pompeii, Spintherem vocat lib. 1. de bell. ciu. c. 15. 22. 23. item Sallustius in Coniuratione Catilinae c. 48. veteres tamen nummi, Spinther, habent. Hoc ad filium eius transiisse cognomen, Cicero ostendit lib. 12. ad Attic. epist. 52. et lib. 13. ad eundem epist. 10. Appianus lib. 3.

de bell. ciu. Plutarchus in Caesare, Dio lib. 39.

Procos.] Cum Suetonius, et Plinius, *proconsulatus*, Gellius, et Valerius Max. *proconsulare*, vnico verbo, dixerint; videtur, *proconsul*, dicendum esse, et coniuncte semper scribendum, vt varietur cum antecedente nomine, hoc modo: *Lentuli proconsulis*, *Lentulo proconsuli*, *Lentulum proconsulem*. veteres contrahebant, *pro. cos.* itaque scriptum in lapidibus Capitolinis animaduerti. librarii postea vel vnico verbo, *proconsul*, *proconsulis*, *proconsuli*, variatis casibus, scripsere; vel disiuncte, in omni casu, *pro consule*. ego, si liceat vtrumuis, malim scribere, *proconsul*, *proconsulis*, *proconsuli*, quam, *pro consule*: in quo me valde movet similitudo; cum dicatur, *pronepos*, *pronepotis*, *pronepoti*, et *proauus*, *proaui*, *non pro nepote*, et *pro auo*. quod si conceditur: (nec dissentire quemquam video) valeat eadem ratio in *proconsul*, *propraetor*, *proquaestor*, et similibus. Nec moueor, quod in orat. pro lege Manilia c. 21. dicatur, mitti Pompeium ad bellum Mithridaticum non pro consule, sed pro consulibus. respexit enim, cum ita loqueretur, L. Philippus ad originem, et significationem nominis compositi, non ad morem scribendi, aut loquendi. Non negauerim, in antiquis quorundam lapidum inscriptionibus inueniri, *pro praetore*, pro, *propraetori*: sed in iisdem lapidibus, *proconsuli*, licet videre, non *pro consule*. exempla subiungam.

POPVLONII

L. ARADIO VAL. PROCVLO. V. C.
LEGATO. PRO PRAETORE. PROVINCIAE NVMIDIAE
PROCONSVLI. PROVINCIAE. AFRICAE. VICE
SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ. IVDICIO. SACRO
PER. PROVINCIAS. PROCONSVLAREM etc.

In aliis vero inscriptionibus opinio nostra plane comprobatur; vt in his:

HONORI.

MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V. C.
NOBILITATE. ACTIBVSQ. AD EXEMPLVM. PRAECIPVO. PRAEFECTO. VRBI
ET. ITERVM. PRAEFECTO. VRBI. PROCONSVLI. AFRICAE

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIANAE. DOMVS
CVLMINI. PROCONSVLI
AFRICAE

FABIO. TITIANO. V. C.
CORRECTORI. FLAMINIAE
ET. PICENI. CONSVLARI
SICILIAE. PROCONSVLI
PROVINCIAE. ASIAE

C. CEIO-

C. CEIONIO. RVFIO. VOLVSIANO. V. C.
CORRECTORI. ITALIAE. PER. ANNOS. OCTO
PROCONSVLI. AFRICAE

Habemus aliorum quoque lapidum testimonia: sed haec sufficiant, ne satietatem afferat copia. Diuus Augustinus in libro de Grammatica auctor est, aetate sua non, *proconsul*, sed *pro consule*, nominandi casu, vsitatum fuisse; veteres autem non, *pro consule*, sed *proconsul*, vnico verbo, dixisse. *Ab E littera vocali*, inquit, *nullum Latinum, nisi iuncta praepositione, masculinum inuenitur, vt* pro consule, pro praetore. *ergo, iuncta praepositione, fiunt Latina, vt dixi,* pro praetore, pro quaestore. *nam veteres nominatiuo casu*, proconsul, *dicebant, attendentes nullum nomen apud Latinos virilis generis in E exire.* Antiquam consuetudinem et Priscianus lib. 2. comprobauit his verbis: *Praepositionis est, vel separatim casualibus praeponi, vt, de rege, apud amicum; vel coniunctim, vt, interitus, indictus, proconsul, insipiens.* Venio nunc ad significationem nominis. *Proconsul* erat, qui, gesto consulatu, ibat in prouinciam. hoc vulgo notum est: illud fortasse non item, de quo doctos olim viros memini dubitare, *proconsules* aeque dici interdum solitos esse, qui ex praetura in prouinciam profecti essent. ne longe abeam: Q. Metellus Celer lib. 5. epist. 1. et 2. proconsul appellatur. quod ne quis in dubium reuocet, quasi suspecta epistolarum inscriptione, Tironis, qui eas collegit, arbitratu facta, recitemus, vt scrupulus dubitantibus omnis eximatur, verba Plinii ex lib. 2. c. 67. *Nepos*, inquit, *de septemtrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranii in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos.* Et lib. 12. epist. 11. et 12. Cassius proconsul vocatur, qui tamen consulatum non gesserat. Iam, lib. 1. de Leg. c. 20. ita scriptum est: *Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erat, in locum vnum conuocasse.* Et in orat. in Vatin. c. 5. C. Cosconium proconsulem vocat vlterioris Hispaniae, qui consulatum non gesserat. Et in orat. pro Ligar. c. 1. C. Considius praetorius, proconsul. Item M. Antonius lib. 2. de orat. c. 1. Et Liuius lib. 37. c. 46. L. Aemilium Paullum proconsulem appellat, qui praetor in vlteriorem Hispaniam ierat. Suetonius etiam de C. Caesare propraetore, in Iulio c. 54. *in Hispania*, inquit, *proconsul, a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium aeris alieni.* In Augusto c. 3. cum loquatur de Q. Cicerone praetorio, *proconsulatum*, inquit, *Asiae administrantem.* Addo C. Caninium Rebilum, C. Sallustium Crispum; quos, consulatu nondum gesto, proconsules Hirtius appellat in lib. de bell. Afric. c. 86. et 97. et in eodem libro c. 2. et 34. Allienum, qui Siciliam obtinebat, modo praetorem, modo proconsulem: ad quem Ciceronis epistolae 78. et 79. lib. 13. inscribuntur, *Proconsuli:* item ad alios in eodem libro, qui

qui consules non fuerant. Et in lapidibus Capitolinis anno DCLIV. nominatur L. Dolabella proconsul, consulatu nondum gesto. Neque solum, qui post praeturam ibat in prouinciam, *proconsul* vocabatur; sed contra, qui post consulatum, *praetor*. Itaque Cicero ad Sallustium lib. 2. epist. 17. praetorem appellat Bibulum, post consulatum Syriam administrantem. Et lib. 5. ad Attic. epist. vlt. *quod praetori dare consuessent:* pro, proconsuli: quia duo proconsules, Lentulus, et Appius, ante Ciceronem, Ciliciam, Cyprumque rexerant. Et P. Rupilius, qui consul fuerat, praetor dicitur in Verrinis orationibus, lib. 2. c. 16. et lib. 3. c. 54. et C. Caesar, cum Gallias post consulatum administraret. praetorem etiam, cum in prouincia consul bellum gereret, P. Scipionem a Liuio lib. 35. c. 1. appellari video. Pedianus autem, cum de Q. Mucio Scaeuola, Asiam post consulatum regente, loqueretur, praetorem vocauit. Quodque miremur magis, *quaestores*, a decedentibus proconsulibus prouinciae praefectos, animaduerti *proconsules* interdum nominari, vt Sallustium lib. 2. epist. 17. et Sextium lib. 5. epist. 6. quod epistolarum inscriptiones, veteribus in libris a me diligenter inspectae, significant. nam si, proconsulum loco, prouinciae curam susceperunt; consentaneum videtur, eadem eos potestate, eodem imperio fuisse. alioqui, si bellum aliquod exoriretur, rem militarem gerere qui licuisset? itaque primo anno quaestores, secundo, et tertio, si proconsulum loco prouinciae praeessent, proquaestores, et interdum, ob imperium in eos translatum, proconsules dicebantur, interdum etiam propraetores. nam Sallustius in Iugurthino c. 41. A. Albinum a Spurio fratre consule, Romam, comitiorum caussa, decedente, propraetorem relictum demonstrat. Accepto igitur imperio, quod, hostibus propinquis, ratio temporis exigebat, et *proconsulum*, et *propraetorum* nomina *quaestores* assumebant. Proconsulem autem per triennium fuisse Lentulum in Cilicia, et haec prima epistola, scripta Marcellino et Philippo coss. et nona, Appio et Domitio, demonstrant. post triennium decessisse, cognoscitur ex eo, quod Appius ei statim post consulatum successit. Omnino lege Sempronia C. Gracchi, et Cornelia L. Sullae, prouinciae erant annuae: tamen interdum prorogabatur imperium, vt Lentulo, cui successit Appius, et Appio, cui Cicero; praeterea Q. Ciceroni, cum Asiae praeesset, C. Antonio, Macedoniae proconsuli, C. Caesari, Gallias administranti, de quo epist. 7. *Et stipendium Caesari decretum est, et decem legati: et, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est.* Prouincia Lentuli Cilicia est appellata: quamquam Asiae quoque parti praeesset: vt ostendit epist. 9. nec vero Ciliciam administrabat vniuersam: quod lib. 15. epist. 1. declarat: et, in Ciliciae parte, regem fuisse Tarcondimotum, Dio lib. 41. et 54. et Strabo lib. 14. significat.

Ego omni officio, ac potius pietate] Epistolarum omnium quae materia sit, quaeque nos hortentur saepe, interdum etiam impellant ad scribendum caussae, diu saepe, ac perattente cogitaui. artem enim quasi quandam, quae viam ad

ad inuentionem patefaceret, inuenire cupiebam. Atque in hoc meditandi ſtudio cum occurriſſent plurima, eaque admodum diuerſa; tandem aliquando, inſpecta rei cuiusque natura, atque vi, ad duo quaedam capita referri poſſe omnia viſum eſt: quorum alterum graue ἠθικὸν, alterum πραγματικὸν vocatur, nos *morale* et *negotiale* poſſumus appellare. omnium enim epiſtolarum argumenta vel a negotio, vel ab officio, tamquam a duobus fontibus, deducuntur. *Negotiales*, quo res in ſtatu ſit, ſiue noſtra, ſiue aliena, ſiue priuata, ſiue publica, ſignificant. nec, ſi quae ſunt, in quibus aliqua de re diſputatur, ab hoc genere diſiungo. noſtrum enim negotium videtur eſſe, ſi vltro ſcribimus; aliorum, ſi rogati. quamquam diſputationes remouet ab epiſtola ſcriptor egregius Demetrius, at non Latini: nam Varro quaeſtiones multas epiſtolis explicauit, vt Gellius, et Cariſius docent: et Valgius Rufus, vt idem Cariſius oſtendit, ſcripſit de rebus per epiſtolam quaeſitis. *Morales* officium potius, quam negotium, continent. quod genus late patet. hinc enim emergunt, quaecumque aut humanitatis, aut beneuolentiae, aut alicuius omnino virtutis aliquam ſignificationem habent; vt commendaticiae, et conſolatoriae, laetitiam, aut dolorem indicantes, admonentes, hortantes, querentes, obiurgantes, gratias agentes, et, vt ſummatim complectar, quae materiam a negotio non ſumunt. Tertium quoddam genus, ex vtroque miſtum, reperiri non negauerim: ſed hoc vt aequaliter ex vtroque conſtet, id eſt, vt eae cauſſae, quae ad ſcribendum adduxere, graues aeque ſint, nec morales negotialibus, aut negotiales moralibus vincantur, perquam raro ſolet euenire. quod ſi morale, aut negotiale in epiſtola miſta excellet; (quod autem, vt ea ſcriberetur, vehementius impulit, id dico excellere) quis dubitet, quin, quae res in ea plus habet ponderis, eadem ei nomen tribuat? Non enim in aſſignando genere vel partes numerandae ſunt, vel longitudinis habenda ratio eſt. poſſunt eſſe plures morales partes, quam negotiales; aut, ſi pauciores ſint, vel vna eſſe longior, quam negotiales omnes: nec tamen ad morale genus epiſtola pertinebit. quo enim, vt iam dixi, praecipue adducimur ad ſcribendum, id ſiue multis, ſiue paucis verbis exponatur, epiſtolas facit aut negotiales, aut morales. Ac *morales* quidem in ſimplici plerumque verſantur argumento; ſuisque quaſi finibus contentae negotialem materiam non attingunt: *negotiales* contra, non quia neceſſe ſit, ſed quia deceat, morale ſaepe aliquid aſſumunt. Poſſum probare exemplis, poſſum auctoritate eorum, qui de epiſtolis praecepta tradiderunt: ſed ipſa quoque in promptu ratio eſt. quis enim, cum ſcribit, quod vel ſua, vel eius, ad quem ſcribit, interſit, aliquam rei perficiendae cupiditatem non exponit? quis ad ea, quae reſtant, curam, et diligentiam non pollicetur? quis aut, confecto negotio, non laetatur, aut, deſperato, non dolet? quae interdum grati animi, humanitatis quidem ſemper ſigna ſunt. Moueor etiam non leviter auctoritate Demetrii, ſcriptoris accurati in primis, et docti. Πλεῖστον, ait, ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολὴ, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος· σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν

τὴν ἐπιστολήν. Exempla vero, ne, quod adest, longe petamus, ad Lentulum scriptae epistolae suppeditant. negotiales enim omnes fere sunt: et his tamen morales Cicero sententias libenter admiscet, nimirum officii caussa; vt, in patriam opera, ac virtute Lentuli reuocatus, tanti beneficii memoriam, et remunerandi studium declaret. fortasse etiam, vt ingenio valebat, ad officium artem adhibuit. nam, quia morales in primis ad conciliandam beneuolentiam idoneae sententiae sunt; idcirco, futurum intelligens, vt negotialem huius primae epistolae partem, id est, narrationem, Lentulus non admodum libenter legeret, quippe quae aduersa paene omnia, et inclinatam rem ostenderet; eam molestiam morali principio leniendam putauit. ad leniendum autem, si cetera deficiant, ipsa tamen amoris, et grati animi significatio multum valet. et grata voluntas societate quadam eiusdem doloris ostenditur. dolor autem Ciceronis, in Lentuli caussa susceptus, quod singulari quodam studio valde tamen non proficiat, cum ex ipsa sententia, et ex hoc toto orationis ambitu, tum vero ex his maxime primis verbis, vnde oritur sententia, colligitur: *Ego omni officio, ac potius pietate.* nam et in, *ego*, vis est; et augetur in, *omni officio*; et cumulatur demum correctione proxima, *ac potius pietate.* officium enim amoris expers esse potest, et communiter in omnes conuenit: nomen autem *pietatis* quiddam etiam grauius, quam amor, significat: itaque non communiter in omnes, sed proprie conuenit in deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes; quorum caritas proxime accedit ad deos: tertio loco, erga omnes propinquos: postremo, erga optime meritos; quos diligere vt propinquos, et colere parentum fere loco, aequum est. Quae singula eodem, quo proposuimus, ordine probemus. Ac pietas quidem in deos multis cognoscitur exemplis; quorum pauca recitabo. lib. 1. de Nat. Deor. c. 2. *Quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini sunt.* Et infra, ibidem c. 41. *Est, pietas, iustitia aduersum deos.* Et lib. 3. de Fin. c. 22. *Nec vero pietas aduersus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest.* Et pro domo c. 41. *Nec est vlla ergo deos pietas, nisi honesta de numine eorum, ac mente opinio.* Et lib. 2. de Offic. c. 3. *Deos placatos pietas efficiet et sanctitas.* Et in Topicis c. 23. *Aequitas tripartita dicitur esse: vna ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia, aut aequitas nominatur.* Quae vero ad parentes, propinquos etiam, licet non bene meritos, pertinent, haec sunt. lib. 2. de Inuent. c. 22. *Religionem, eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant: pietatem, quae erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conseruare moneat.* Pro Flacco c. 38. *Nimiae pietatis, et summi amoris in patriam vicissim nos poenas, si ita placet, sufferamus.* Somnium Scipionis c. 3. *Iustitiam cole, et pietatem: quae, cum sit magna in parentibus, et propinquis, tum in patria maxima est.* Et in Bruto c. 33.

Vtinam

Vtinam (C. Gracchus) *non tam fratri pietatem, quam patriae, praestare voluisset.* Pro Coelio c. 32. *Quem vos supplicem vestrae misericordiae, seruum potestatis, abiectum non tam ad pedes, quam ad mores sensusque vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum iucunditate sustentate: vt in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiae vestrae seruiatis.* Pro Plancio c. 12. *Omitto illa, quae si minus in scena sunt, at certe, cum sunt prolata, laudantur: vt viuat cum suis: primum cum parente, nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum.* Et lib. 4. Acad. c. 1. *Admodum adolescens, cum fratre, pari pietate, et industria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus.* Et lib. 6. ad Attic. epist. 3. *Cum bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc prouinciam erupturum; hic praesidii nihil sit; sumtus annuus decretus sit; videaturne aut pietatis esse meae, fratrem relinquere? aut diligentiae, nugarum aliquid relinquere?* Pro Quintio c. 6. *Si veritate, amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, et perfidiosum, et impium esse fateatur.* Et ad Torannium lib. 6. epist. 20. *Hic tui omnes valent, summaque pietate te desiderant.* Atque haec vno loco omnia, in orat. pro Plancio c. 33. comprehenduntur. *pietas* enim definitur, grata voluntas in parentes, in patriam, in deos, in amicos: eaque tribus modis laudatur, vt virtus, vt virtus maxima, vt virtutum reliquarum omnium mater. Exemplum pietatis etiam parentum in filios vnum Ciceronis afferam ex lib. 13. ad Attic. epist. 39. *Ad patrem, domo sibi carendum propter matrem: plena pietatis.* Alterum Catulli carm. 66. v. 29.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui nati minxerit in gremium.

Deorum in homines, Statius lib. 3. Silu. v. 1.

Summa Deum pietas.

Extremum restat de pietate in bene meritos. quo ex genere hoc ipsum est: *Ego omni officio, ac potius pietate erga te.* et epist. 9. *Periucundae mihi fuerunt literae tuae; quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipsum grauissimum et sanctissimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis esse videatur?* Et in eadem, in extremo: *Sunt enim testes, et erunt, sempiterni meritorum erga me tuorum, meaeque pietatis.* Cur autem, cum id, quod diis hominibusque debemus, proprie *pietatis* nomine totum exprimatur, non eodem nomine erga Lentulum Cicero vteretur, quem in vtraque post reditum oratione non modo parentem, verum etiam Deum suae salutis, vitae, fortunae, memoriae, nominisque vocat? sic lib. 2. epist. 6. cum Milonem commendat, bis nomen *pietatis* vsurpat; quod, eo adnitente, patriam recuperauerat. Et alibi saepe. Quod autem in primis quattuor verbis, *ego omni officio, ac,* vocales concurrere passus est; in eo etiam moralis virtus elucet. laborare enim videtur, quod amantissimi hominis est, de

de re potius, quam de verbis. itaque hanc indiligentiam non solum a reprehensione vindicat, verum etiam cum aliqua laude coniungit in Oratore c. 23. *Habet*, inquit, *ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re, hominis, magis quam de verbis, laborantis.* Et in eodem libro, infra c. 44. *Quod quidem latina lingua sic obseruat, nemo vt tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere. In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit: et si id magister eius Isocrates. at non Thucydides: ne ille quidem, haud paullo maior scriptor, Plato. — In populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in proeliis interfecti: quae sic probata est, vt eam quotannis, vt scis, illo die recitari necesse sit. in ea est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte, vt vitiosam, fugit Demosthenes. Sed Graeci viderint; nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur.* Haec ille: qui tamen paullo post c. 45. non debere admodum crebro vocales vocalibus occurrere, indicat his verbis: *Hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent.* Gellius et in poetis hoc probat lib. 7. c. 10. aitque suauius esse in Virgilio: *Vicina Vesuo Ora iugo*, quam, *Vicina Vesuo Nola iugo:* et apud Catullum, *Ebriosa acino ebriosioris.*

Dictum est de generibus epistolarum: quibus demonstratis, duplex occurrit animaduersio, primum, quae vtrique sint aptae generi sententiae; deinde, quibusnam sententiae verbis enuncientur. Ac licet, nisi fallor, simul vtrumque complecti, et ita definire: *epistola consuetudinem fere quotidiani sermonis debet imitari.* nam, si, quod inter longe remotos nequaquam vox et lingua praestare potest, id bono litterarum consequimur, vt iis de rebus, quae vel nostra, vel amicorum interfint, communicemus: profecto nihil aliud, quam imago quaedam sermonis, videtur epistola. idem sensit Artemon ille, qui descripsit epistolas Aristotelis: quem dixisse Demetrius ait, oportere eodem stilo et dialogum scribi, et epistolas: esse enim epistolam dialogi partem. Sententias tamen interdum grauiores, quam dialogus, et maiorem elegantiam admittit epistola; non modo quia studio, curaque maiore scribimus, quam loquimur; verum etiam, quia, cum ad principes viros, aut etiam ad ciuitates litteras mittimus, quod interdum euenire solet, habenda omnino videtur personarum ratio; et in eo paullum se tollat epistola, non modo licet, verum etiam necesse est. quales enim putemus fuisse epistolas illas, quibus viri eloquentes, et docti, atque ipse in primis Aristoteles Alexandrum Magnum, incensum cupiditate verissimae gloriae, cohortabatur ad decus? iam vero, quae leguntur Demosthenis ad Philippum, habere eas quiddam amplum, longeque distare a communi sermone, negari non potest. Nec desunt Ciceronis in hoc genere nonnullae, vt illa ad Lucceium lib. 5. 12. de sui consulatus historia separatim componenda; et illa ad Dolabellam lib. 9. 14. qua ei de sublata columna, et iis, qui eam

Caesari

Caesari mortuo, tamquam Deo, in foro erexerant, supplicio affectis, gratulatur. in illa vero ad Lentulum, quae incipit, *Periucundae*, (9.) partes multae sunt, in quibus aliquanto maior vel verborum copia, vel sententiarum splendor apparet, quam dialogi ratio, et natura postulet. Age, quid in ea (epist. 16. ad Brut.) dialogo simile reperitur, in qua M. Brutus Ciceronem accusat, quod suppliciter nimis, ac demisse ad Octauium scripsisset? Verum hoc, quidquid est licentiae, prudentia moderatur. tempus, personarum dignitas, res ipsa, quousque progredi liceat, ostendit. Proprie vero et simplici argumento, et simplici stilo contentae sunt epistolae. Recte, et festiue Cicero ad Paetum lib. 9. epist. 21. *Quid tibi ego in epistolis videor? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Priuatas causas, et eas tenues, agimus subtilius: capitis aut famae scilicet ornatius. epistolas vero quotidianis verbis texere solemus.* Idem tamen, qui hoc praecipit, non vsquequaque seruat suam regulam: indulget enim ingenio nonnumquam, et epistolas concinnat, atque ornat verbis aliquanto illustrioribus, quam quae populo familiaria, et communi sermone trita sunt. sed hoc eiusmodi est, vt immodice, ac temere si fiat, fastidium pariat, et in reprehensionem incurrat; sin modice, et loco, delectet sine satietate, et laudem assequatur. decet igitur idem, et dedecet, pro vtentis ingenio; quod aliis quoque rebus contingit. Hac virtute vel solus inter Latinos, vt mihi quidem videtur, vel certe maxime omnium Cicero excelluit. Demosthenem quidem ita vicit, vt comparatio nulla sit: quod Quinctilianus lib. 10. c. 1. quoque vidit. Breuitas laudatur in epistolis: iure quidem: breui enim sermone magis capimur, quam producto: verum in omni re modus est: et peccat eodem fere modo, qui multa paucis contrahit, et qui pauca diffundit in multa. Praeclare Gregorius Nazianzenus, qui vtroque vitio laborant, eos iaculantibus comparat, ita mittentibus telum, vt vel supra scopum, vel infra feratur. vtrique enim errant pariter, licet contrario modo. Hic mihi committendum non puto, quando de epistolis agitur, vt fraudentur studiosi pulcherrima ipsius Gregorii, viri eloquentissimi, epistola, in qua prudenter et ingeniose, quae ad hoc ipsum scribendi genus attinent, omnia persequitur, sic, vt ne Demetrius quidem ille, quem supra appellauimus, vel plura, vel meliora tradiderit.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ
ΝΙΚΟΒΟΥΛΩ.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο αἰτεῖς, οἱ μὲν, μακρότερα γράφουσιν, ἥπερ εἰκὸς· οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα· καὶ ἀμφότεροι τοῦ μέτρου διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τῷ σκοπῷ οἱ τοξεύοντες, ἄντε εἴσω πέμπωσιν, ἄντε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κ' ἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται. ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεία, καὶ οὔτε μακρότερα γραπτέον, ὃ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα· οὔτε μικρολογητέον, ἔνθα πολλά. τί γὰρ ἡ τῇ Περσικῇ σχοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν, ἢ παιδικοῖς

πήχεσι, καὶ ὅτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς μηδὲ γράφειν; ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέντρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας, ὧν συνιζάνει τὰ μήκη· καὶ παραφαίνεται μᾶλλον, ἢ φαίνεται, τῶν ἄκρων τινὶ γνωριζόμενα· καὶ ἔτι, πῶς ἂν εἴποιμι καιρίως, εἰκασμάτων εἰκάσματα, δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν, τῷ μέτρῳ κατατυγχάνειν. Περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γινώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδὲς, ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λογικώτερον ἀποκλίνειν. καὶ, ἵν' εἴπω συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη, καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἢ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον, τὸν μὲν, ὡς κατὰ τὰς πολλὰς ὕσα, τὸν δὲ, ὑπὲρ τὰς πολλὰς, καὶ ἡ αὐτόθεν γνώριμος. ὁμοίως γὰρ ἄκριτον, καὶ γρῖφον νοεῖσθαι, καὶ ἐπιστολὴν ἑρμηνεύεσθαι. Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ χώρις. ταύτην δὲ φυλάξομεν, εἰ μήτε παντάπασιν ξηρὰ, καὶ ἄχαρι γράφωμεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκόσμητα, καὶ ἀκόρητα, ὃ δὴ λέγεται, οἷον δὴ γνωμῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμάτων ἐκτὸς· ἔτι δὲ σκομμάτων, καὶ αἰνιγμάτων, οἷς ὁ λόγος κάταγλυκαίνεται· μήτε λίαν τούτοις φαινοίμεθα καταχεόμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ δὲ, ἄπλητον. καὶ τοσαῦτα τούτοις χρητέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς ὑφάσμασι. τροπὰς δὲ παραδοξόμεθα μὲν, ὀλίγας δὲ, καὶ ταύτας ὐκ ἀναισχύντως. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάρισα, καὶ ἰσόκωλα, τοῖς σοφισταῖς ἀποῤῥίψομεν. ἐιδέπω καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσομεν, ἢ σπουδάζοντες. Πέρας τῷ λόγῳ (ὅπερ τῶν κομψῶν τινος ἤκουσα περὶ τοῦ ἀετοῦ λέγοντος) ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βασιλείας οἱ ὄρνιθες, καὶ ἄλλος ἄλλως ἦκον ἑαυτὸν κοσμήσαντες, ὅτι ἐκείνῳ κάλλιστον ἦν τὸ μὴ οἶεσθαι καλὸν εἶναι. τοῦτο καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς μάλιστα τηρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον· ὅτι ἐγγυτάτω τοῦ κατὰ φύσιν. Τοσαῦτά σοι περὶ ἐπιστολῶν, ὡς δι' ἐπιστολῆς, παρ' ἡμῶν· καὶ ταῦτα ἴσως ὑ πρὸς ἡμῶν, οἷς τὸ μείζω σπουδάζεται. τ' ἄλλα δὲ, αὐτός τε φιλοπονήσεις, εὐμαθὴς ὤν· καὶ οἱ περὶ ταῦτα κομψοὶ διδάξουσι.

Prouerbia non excludit, sed crebra non probat: quod Ciceroni quoque placuit: itaque paucis vtitur. at Demetrius, κάλλος, inquit, ἐπιστολῆς πυκναὶ παροιμίαι δημοτικῶν γάρ ἐστιν ἡ παροιμία, καὶ κοινόν. Ego seruo, et seruabo Gregorii documentum, vt prouerbiis neque numquam, neque saepe vtar, accedente praesertim Ciceronis exemplo; quem cum lego, nullius rhetoris praecepta desidero.

Ceteris] Meum in re tua studium, officiumque cernentibus.

Mihi] Qui tuam erga me benevolentiam imitor, merita non assequor. tu enim in re mea, quod agebas, perfecisti: mihi non idem contingit in tua.

Numquam satisfacio] Suauitate quadam fruuntur aures, geminato verbo, et negatione posteriori praepositа: vt hic; *ceteris satisfacio omnibus, mihi ipsi numquam satisfacio.* simile illud pro Sextio c. 3. *Ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et beneuolentiam non ademit.* Et lib. 2. de Leg. c. 7. *Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, vt in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet?*

Magnitudo] Lentuli beneficium tribus modis auget; quod *merita* vocat,

vocat, vim quaerens et in ipso vocabulo, et in numero; quod addit, *magnitudo*; quod, *magnitudo tanta*.

Meritorum] Meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cum eum, lege Clodia pulsum, quod ciues Romanos, coniurationis in patriam conuictos, capitali supplicio, contra veteres leges, moremque maiorum, indicta caussa affeciſſet, consul sextodecimo eius exsulii mense reuocauit. Hoc meritum significari, quae sequuntur, ostendunt: *Quia tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti. Merita* vero quod appellat, non meritum, amplificatio quaedam est. admonet enim Aristoteles, vsurpari interdum ab oratore, vt rem augeat, multitudinis numerum pro singulari: quod saepe Cicero fecit, vt lib. 9. epist. 15. *Te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, (vere vt dicam,) Crassos quoque, et Laelios videre videor.* Merita autem plus, quam officia, valent. ad Brutum lib. 11. epist. 17. *Lamia vno omnium familiarissime vtor. Magna eius in me, non dico officia, sed merita.* Ad Cornificium lib. 12. epist. 29. *Ad haec officia, vel merita potius, iucundissima consuetudo accedit.* Phil. 13. c. 4. *Magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum.*

Quia ERN. *Quoniam*] Parui refert, vtro modo legas, vel, *quia*, vel, *quoniam*: nisi tamen hoc videtur plenius: et est in quattuor meis antiquis libris: quod ideo testatum volui, ne quasi commenticium reiiceretur, ex eorum scriptis, qui se in veteribus cunctis exemplaribus, *quia*, vidisse confirmarunt. Non grauabor interdum ad haec humilia me demittere: ne quod ab industria nostra diligentiae genus iure quisquam desideret. quamquam, vt omnibus plane satisfiat, vlla diligentia vix, aut ne vix quidem, consequi me posse, non ignoro.

De me non conquiesti] Quia, cum primum consul est designatus, Ciceronis caussam susceperit, et eius de reditu sententiam, consulibus Pisone et Gabinio repugnantibus, praeclarissimam dixit: quo vero primum die magistratum iniit, eo ipso die, id est, Kal. Ian. de Cicerone retulit, spreta lege Clodia, quae poenam referentibus irrogabat. cumque tribunus plebis Atilius Serranus, nocte ad deliberandum postulata, postridie senatus consultum interueniſſet; numquam tamen Lentulus postea conquieuit, donec, Sextili mense, centuriatis comitiis perlata lege, rem perfecit. de quo sic in orat. pro domo c. 27. *Nam impediebantur, verum ea lege, quam idem iste de Macedonia Syriaque tulerat. Hanc tu, P. Lentule, neque priuatus, neque consul legem esse vnquam putasti. nam, tribunis plebis referentibus, sententiam de me designatus consul saepe dixisti: ex Kalendis Ianuariis, quoad perfecta res est, de me retulisti: legem promulgasti, tulisti.* Similia de Lentuli studio, atque constantia in aliis orationibus, pro Sextio c. 32. 33. 69. post reditum ad Quirites c. 6. 7. 8. in Senatu c. 3. 4. 11. in Pisonem c. 15. alibi.

In tua caussa] In tuo negotio, in reductione regis. *Caussa* et hic, et aliis in locis pro eo sumitur, quod ad aliquem proprie pertinet: vt paullo post: *in caussa haec sunt:*

id est, in curanda tibi reductione regis. Et infra: *hac regia caussa excepta.* Et in extremo: *nos in caussa auctoritatem eo minorem habemus.* Differunt autem *res*, et *caussa*, et, vt arbitror, in eo differunt, quod, *res*, patet aliquanto latius, quam *caussa:* vt *res* totum negotium significet, *caussa* vero negotii partem illam, quae ad Lentulum pertinet, vt scilicet restitutio regis ad eum deferatur. huic opinioni suffragantur potius, quam aduersantur, exempla. Epist. 5. *De Alexandrina re, caussaque regia.* Epist. 7. *Quid res, quid caussa, quid tempus ferat.* Epist. 9. *Accepisti, quibus rebus adductus, quamque rem, caussamque defenderim.* Lib. 2. epist. 6. *Nunc tibi omnem rem, atque caussam, meque totum commendo, atque trado.* Epist. 7. ibidem. *De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamquam difficili in re, atque caussa, cognosces ex iis literis, quas Tharasoni, liberto tuo dedi.* Lib. 12. epist. 4. *Scriberem plura, si rem, caussamque nossem.* In orat. pro Caecina c. 4. *Multa, quae sunt in re, quia remota sunt a caussa, praetermittam.* Sed finis exemplorum sit: vitanda enim satietas est.

Acerbam] Insuauem, iniucundam: translatione a fructibus immaturis. Lib. 3. epist. 8. antitheta posuit *acerbum* et *dulce: Non debent mirari homines, — me esse acerbum sibi, vt sim dulcis mihi.*

Putem] Quia re vera ipsum, vivere, nemini acerbum est, sed tum videtur, cum accedunt molestiae. ideo, *putem* dixit potius, quam *sentiam.*

In caussa haec sunt] Haec sunt, quae tibi, quo in statu caussa sit, significare possint.

Hammonius] Nomen Aegyptiis vsitatum, inde ductum, quod apud Libycos, vt ait Pausanias, Iuppiter Hammon coleretur.

Regis legatus] Nam rex aberat: quia, cum exercitum, Sibyllae versibus interdictum, desperaret, petiit, vt a Pompeio, duobus tantum lictoribus comitato, restitueretur. quod cum non impetrasset, verito senatu, ne Pompeii potentia nimium augeretur; abiecta spe, Ephesum se contulerat, relicto Hammonio legato. discessisse eum ab vrbe, antequam tribuni plebis magistratum inirent, id est, ante IV. Idus Dec. apud Nonium Fenestellae verba significant. Dio discessisse significat, non modo post initum a tribunis plebis magistratum, sed etiam consulatum gerentibus Marcellino et Philippo, id est, post Kal. Ian. Ego assentior Fenestellae, et quod antiquior, quam Dio, (nam eum nouissimo Tiberii principatu periisse, Plinius ait) et quod in rebus Romanis maior homini Romano, praesertim Romae viuenti, habenda fides est. ipse etiam Cicero, cum haec Idibus Ian. scriberet, regem ab vrbe multo ante profectum ostendere videtur his verbis: *In rebus multo ante, quam profectus es, ab ipso rege, et ab intimis, ac domesticis Pompeii clam exulceratis.*

Aperte] Nullo legum metu: quae res infensum Ptolemaeo senatum reddidit.

Oppugnat] Aduersatur vehementer. Translato verbo, quo magis Ham-

Hammonii ſtudium oſtenderet, vſus eſt.

Creditores] Qui non ſolum id agebant, vt rex reſtitueretur, quo creditas ei pecunias exigere poſſent: verum etiam aperte pecunias pro Pompeio contra Lentulum ſuppeditabant, quod regem cupere intelligebant. lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 2. *Creditores regis aperte pecunias ſuppeditant contra Lentulum.* In orat. pro Poſtumo c. 2. et apud Dionem lib. 39.

Cum tu aderas] Inepte nonnulli, vt antiquitatem amare videantur, *quum* pro *cum* ſcribunt: cum Priſcianus obſoleuiſſe iam conſuetudinem illam oſtendat lib. 1. his verbis. *Apud antiquos frequentiſſime loco Cu ſyllabae Quu ponebatur, vt et e contrario, vt arquus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus: quum pro cum, quur pro cur.*

Regis cauſſa qui velint] Vel pueris haec iam nota ſunt *volo tua cauſſa, volo tibi;* pro faueo, ſtudeo, amicus ſum. In contraria ſententia, *cui qui nolunt*, dixit infra.

Qui pauci ſunt] Et ſuauitatis quiddam habet, *qui*, repetitum: et omnino huiusmodi additamentis non modo plenior, verum etiam paullo ſplendidior efficitur ſententia: vt lib. 2. epiſt. 18. *Quae mihi veniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiſcebar, exiſtimaui, me ad te oportere ſcribere.* Eiusdem generis illud lib. 4. epiſt. 7. *Hoc idem omnes, qui te diligunt, ſentiunt: quorum eſt magna, pro tuis maximis clariſſimisque virtutibus, multitudo.* Pauci autem regis cauſſa volebant, vel ob apertam eius largitionem, vel quia propter acerbiſſimam tributorum exactionem eiectum ab Alexandrinis audierant.

Ad Pompeium] Cuius ob Mithridatici belli gloriam longe maior, quam ceterorum, apud omnes gentes erat auctoritas: quo futurum ſperabat rex, vt Aegyptii nihil ei petenti denegarent.

Religionis calumniam] Sibyllae verſus Aegypti regem cum exercitu reduci vetabant: cuius oraculi verba apud Dionem lib. 39. haec ſunt: *Si rex Aegypti, auxilio indigens aliquo, venerit, amicitiam quidem ei ne denegaueritis; ne tamen eum multitudine aliqua iuueritis: ſin aliter; et labores, et pericula habebitis.* Eam ſententiam Lucanus lib. 8. v. 824. expreſſit his verbis:

Haud equidem immerito Cumanae carmine vatis
Cautum, ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles, ripasque aeſtate tumentes.

Narrat Dio, C. Catonis tribuni plebis opera, qui reductionem regis impedire conabatur, oraculum illud eſſe patefactum, ſenatu non invito, cui largitio illa regis odioſa erat. Nam, quod ad Sibyllae verſus attinet, probabat eos quidem ſenatus, verum non tam religione, quam illius regiae largitionis inuidia. Et Cicero ipſe, qui reductionem regis, Lentuli gratia, vehementer cuperet, *calumniam religionis* appellat, id eſt, malitioſam et fictam de Sibyllinis verſibus orationem: vt, exercitu adempto, quaſi iubente Sibylla, reſtituendi regis curam ſuſcipere nemo vellet. Itaque *homines religioſos* cum ironia

vocat epist. 7. quasi per speciem religionis alia cogitantes: *Esse*, inquit, *et tuae, et nostri imperii dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco, rege collocato, te cum classe, atque exercitu proficisci Alexandriam: vt, cum eam pace, praesidiisque firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum: ita fore, vt per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit, et sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllae placere dixerunt.* Eandem calumniam notat epist. 4. cum ait: *Haec tamen opinio est populi Romani, a tuis inuidis, atque obtrectatoribus nomen inductum fictae religionis, non tam vt te impedirent, quam vt ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam vellet ire.* Est igitur *calumnia*, versuta quaedam, et callida fallendi ratio. et quamquam huic verbo proprium sit in accusatione domicilium, eidem tamen migrationes in alienum esse multas, exemplis intelligitur. epist. 4. *Res ab aduersariis nostris extracta est variis calumniis.* Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est* Lib. 4. ad Attic. epist. 3. *Metellus calumnia dicendi tempus exemit.* Lib. 1. de Offic. c. 10. *Exsistunt saepe iniuriae calumnia quadam, et nimis callida, et malitiosa iuris interpretatione.* Lib. 2. de repub. apud Nonium: *Vt Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solebat.* Et Valerius Max. lib. 9. c. vlt. *Illa tamen quaestione neque calumniae petitoris, neque violentiae plebis iudicantium religio cessit.*

Maleuolentia, et illius regine largitionis inuidia] Duas causas affert, quare praeceptum Sibyllae de non reducendo cum exercitu rege senatui placeret; maleuolentiam, quia de legatis Aegyptiis, mandato regis clam interfectis, percrebuisset; regiae largitionis inuidiam, quia, cum Hammonius quorundam senatorum animos aperte pecunia corrumperet, ea largitio turpissimam infamiae notam ordini inureret vniuerso.

Inuidia] Ambiguum verbum. nam et dolor est ex alienis bonis: quam Cicero *inuidentiam*, vt anceps inuidiae vocabulum vitaret, in definiendis animi morbis appellare maluit: et, vt mihi quidem videtur, non *odium*, quod quibusdam placuisse video, sed *infamia* potius ex aduersa fama, et publica prauitatis alicuius opinione: quam semper cum odio coniungi necesse non est. nam si *odium*, et *inuidia* idem esset, eadem vtrique contraria opponerentur: nunc opponuntur diuersa, odio quidem amor, invidiae autem gratia. Accedit, vt omittam, quod inuidia late diffunditur: numquam enim apud vnum, sed apud multos in inuidia sumus: odium vero interdum in angustum contrahitur: aeque enim et vni, et multis odio esse possumus. Postremo, non eaedem res inuidiam, odiumque gignunt. nam *inuidia* nascitur ex animi turpitudine, licet ea neminem laedat: vt si quis otio, desidiaque languescat, eo nomine male audit, quae dicitur, *invidia*, nec tamen inde odium, sed inertis, ignauique hominis oritur contemptio. *odium* autem ex iis rebus exsistit, vnde vel ipsi afficimur iniuria, vel alios etiam laedi, praesertim iniuste, videmus. *Inuidia* dicta, quia non libenter videmus,

mus, neque qui fortuna meliore, quam vellemus, vtuntur, neque qui sequuntur ea, quae ipsi non probamus.

Comprobat] Iam enim senatus consultum factum erat, cum multitudine regem reduci, periculosum reipublicae videri. Hoc ego verius existimo, quam quod a Dione traditum est, perspectis Sibyllae versibus, decreta omnia, pro rege facta, esse inducta: valuisse enim senatus consultum, quo reductio regis Lentulo mandabatur, indicant quae infra sunt: *ex illo senatus consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, vt regem reducas.* Et epist. 7. satis aperte: *Senatus consultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi ademta sit.* Sed ita Dio excusatur, quod senatus induci quidem voluit omnia decreta: sed intercedente tribuno plebis, fieri senatus consultum non potuit: perscriptaque senatus voluntas: id quod, vbi senatus consultum impediretur, interdum fieri solitum animaduertimus: eaque *senatus auctoritas* dicebatur: de qua sic in eadem epistola: *Eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, vt ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, vt magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur.*

Hortari, et orare] Hortantis mos et auctoritas, orantis voluntas: et hortationi saepe adduntur preces, vt, si auctoritas pondus non habet, saltem voluntas valeat. vtrumque coniunxit in prooemio lib. 1. de Orat. *Tibi frater*, inquit, *neque hortanti deero, neque roganti. nam neque auctoritate quispiam apud me plus valere te potest, neque voluntate.* Lib. 5. epist. 18. *Te magnopere non hortor solum, sed etiam, pro amore nostro, rogo atque oro, te colligas, virumque praebeas.*

Liberius accusare] Leuius est, quam, libere accusare. nam interdum efficacitatis minus habent, quae comparandi aduerbia Grammatici appellant, quam quae simpliciter, sine vlla comparatione, enunciantur. *Accusatio* autem extra iudicium etiam in priuatis rebus, atque adeo inter amore coniunctissimos, locum habet. itaque lib. 3. de Offic. c. 23. *Si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. si nihil proficiet, accusabit:* pro, reprehendet patrem, nefaria de patria cogitantem.

Monere] *Monere*, et *hortari*, idem sunt in eo, quod vtrumque rationes habet ad persuadendum idoneas: in eo differunt, quod *hortatio*, quid euenturum boni sit, id si fiat, quod suademus; *monitio* autem, quid mali, nisi fiat, ostendit: et illa lenior, ac mitior, haec seuerior, ac durior: non enim caret obiurgatione quadam. id ostendunt loca duo Ciceronis in Laelio c. 24. *Omni*, inquit, *hac in re habenda ratio, et diligentia est: primum, vt monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat.* Quo loco sic vsurpat, *obiurgatio*, pro, monitio, vt paullo post, *obiurgari*, pro, moneri. Subiungit enim: *Illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. nec*

casse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere. recte igitur Cicero, cum hortatus Pompeium esset, monendum etiam putauit, vt ei magnam ex reductione regis infamiam proponeret.

Magnam infamiam] Triplicem; vel ingrati animi, qui Lentulo, cuius erga se officia cum in sermone quotidiano, tum in senatu palam commemorauerat, reductionem regis Alexandrini, praesertim ei iam a senatu decretam, conaretur eripere; vel immoderatae ambitionis, qui, summis iam perfunctus honoribus, triumque triumphorum gloria circumfluens, frumentaria etiam curatione, summa cum potestate, paullo ante ornatus, tamen, his non contentus, honorem praeterea, quicumque esset, Aegyptiae legationis appeteret; vel etiam auaritiae, quod regis muneribus, magnam ab ipso restituendi cupiditatem prae se ferentis, corruptus existimari posset.

Plane] Hic valet, omnino: vt lib. 16. epist. 5. *Mihi placebat, si firmior esses, vt te Leucadem deportaret, vt ibi te plane confirmares.* Alibi aperte: quia, quae plana sunt, oculis patent: vt lib. 2. epist. 15. *De Ocella parum ad me plane scripseras.*

Nec precibus nostris, nec admonitionibus] Cur haec duo tantum attingit, quattuor iam propositis, *hortari, orare, accusare, monere?* Quia, qui locum precibus, et admonitionibus non relinquit, multo minus hortationi, aut accusationi. magis enim et orando mouemus, quam hortando, et monendo, quam accusando: idque vel ipse dispositionis ordo declarat. nam, vt orare post hortari, sic monere post accusare, augendi gratia, Cicero collocauit. Hic dubitantibus in verbo, *admonitionibus*, et mendosum suspicantibus, quod tamen in omnibus legitur antiquis libris, aptamque, et percommodam sententiam habet, scrupulum placet eximere. Dixerat Cicero, *et monere:* debuit igitur, vt nomen cum verbo congrueret, inferre, *monitionibus*, non, *admonitionibus:* cum, *monere*, et *admonere*, significatione differant inter se. obiurgat enim is, qui monet, vt supra ostendimus: qui vero admonet, non obiurgat, sed, quid faciendum sit, docet: vt exempla declarant. In hoc igitur prudentia Ciceronis agnoscitur: qui cum de principe ciuitatis, et praecipuo sui ab exsulio reditus auctore Pompeio loqueretur, asperiore verbo iterum vti noluit, sed mitigandam leniore verbo sententiam putauit: vt ostendat, ita Pompeium erga Lentulum animatum esse, non modo vt eum a restituendi regis consilio verbis asperioribus abduci, necesse non sit, sed nec admoneri quidem, ac doceri, quo pacto et suspicionem vitet cupiditatis, et illam reducendi regis curam cupienti Lentulo obsequatur.

Relinquit locum] *Non relinquere locum precibus*, duobus modis accipitur: vel cum is, cuius gratia et auctoritas prodesse nobis potest, ita se gessit, vt eum rogare non oporteat; vt in hoc loco: vel cum ita meriti sumus, vt precibus nihil proficere posse videamur: cuius generis habemus exemplum apud Terentium in Andr. Act. 3. Sc. 4. v. 21.

[Quid

Quid cauſſae eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via? Nihil eſt preci loci relictum; iam perturbaui omnia.

Locum igitur precibus vel aliena humanitas, vel noſtra adimit improbitas.

In ſermone quotidiano] Varie loquitur in hac ſententia: nam hic, *in ſermone quotidiano*, dicit: epiſt. 9 *in ſermonibus dictitare*: in eadem, *dictitare* ſimpliciter.

In ſenatu] Hoc tempore Pompeius erat cum imperio, ſuperiore anno rei frumentariae, et ſenatus conſulto et lege praepoſitus. qui autem cum imperio eſſent, iis vrbem, niſi depoſito imperio, ingredi non licuiſſe, notum eſt. petiiſſe igitur a ſenatu Pompeium exiſtimemus, vt introire in vrbem, ſaluis legibus, poſſet. quod etiam poſtea, iisdem conſulibus, vt accuſatum de vi P. Sextium laudaret, impetrauit. epiſt. 9.

Egit cauſſam tuam] Cum hortaretur ſenatum, vt reductionem regis tibi demandaret.

Eloquentia, grauitate, ſtudio, contentione] *Eloquentia*, vbertate et elegantia orationis; *grauitate*, ſententiarum pondere; *ſtudio*, propenſa in Lentulum voluntate; *contentione*, ope ſumma. plus enim eſt *contentio*, quam *ſtudium*. nam, qui *ſtudet*; cupit: qui *contendit*, in eo, quod cupit, intendit omnes neruos quod integrum poſuit lib. 15. epiſt. 14. *Omnes tuos neruos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc prouinciam temporis prorogetur.* Inde *contentio*, vehemens actio. infra: *Libonis, et Hypſaei non obſcura concurſatio, et contentio.* Epiſt. 9. *Caeſaris, vt illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta.* Lib. 7. epiſt. 2. *In primis me delectauit, tantum ſtudium bonorum in me exſtitiſſe contra incredibilem contentionem clariſſimi et potentiſſimi viri.*

Tuorum in ſe officiorum] *Quod eum ornaſti*, dixit in extrema fere epiſtola. praeſtantem etiam Lentuli in Pompeium liberalitatem nominat epiſt. 7. maximum autem in Pompeium officium fuit, poteſtas rei frumentariae, per quinquennium ei toto orbe terrarum data. quod Lentulum conſulem praecipue curaſſe, Plutarchus in Pompeio ſignificat. quamquam, vt idem tradit, ſuſpicio fuerit, id Lentulum ſpectaſſe, vt Pompeio frumentaria curatione implicito, ipſe Ptolemaeum reduceret.

Marcellinum] Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, conſulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. Syriae poſt praeturam vterque praefuerat, Philippus Caeſare et Bibulo coſſ. Marcellinus anno ſequenti, Gabinio et Piſone. Appianus in Syriaco, Ioſephus lib. 14. Antiq. De hoc Cicero in Bruto c. 70. ſic: *Nec vnquam indiſertus, et in conſulatu pereloquens viſus eſt, non tardus ſententiis, non inops verbis, voce canora, facetus ſatis.* Marcellinus cognomen gentis Corneliae non eſt, ſed ab adoptione deriuatum. qui enim Claudianus appellari debuit; cum eſſet ex Claudiis Marcellis; Marcellinus potius, quam Claudianus, appellari voluit: puto, ne videretur ex Pulchris, aut Neronibus fuiſſe; quae cognomina Claudiae gentis erant, patriciae: Marcelli autem, plebeiae. confirmat hanc opinio-

nem Pedianus in commentario Divinationis, cum ait: *Marcelli, et Marcellini inter se gentiles fuere.* Non quod Marcellini essent Claudii, sed quod ex Claudia gente orti, indeque in Corneliam translati. Eodem cognomine filius eius vsus est, qui bello ciuili contra Pompeium quaestor pro Caesare pugnauit, paterni videlicet heres odii: nam consul huius anni Marcellinus quam infensus Pompeio fuerit, Cicero lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. et Plutarchus in Pompeio demonstrat.

Iratum] Quia te cupidum videat reducendi regis. Consulibus neque cum exercitu regem restitui placebat, neque ab iis, qui cum imperio essent, id est, nec a Lentulo, nec a Pompeio. epistola sequenti.

Tui defensorem] Tuarum omnium sententiarum, ac voluntatum.

Ostendit] Verbis. epist. 9. *In eo ipso, quod te ostendis esse facturum.* Lib. 4. epist. 1. *Eadem omnia, quae a te de pace, et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum.* Lib. 9. epist. 8. *Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

Quod dat, accipimus] Nihil dat in regia caussa, in ceteris rebus omnia. sic loquimur, cum nec id plane, quod volumus, nec tamen nihil impetramus. Lib. 2. in Ver. c. 61. *Alio loco de aratorum animo, et iniuriis videro. nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos.* Ibidem paullo post c. 62. *Vtar eo, quod datur.* Et lib. 2. de Orat. c. 44. *Si se* (iudices) *dant, et, vt ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent: accipio, quod datur; et ad id, vnde aliquis flatus ostenditur, vela do.*

Referre] *Referre*, ad senatum, de quo sententiae dicerentur; *ferre*, ad populum, de quo suffragia ferrentur; vsitatum veteribus est. Caesar tamen lib. 1. de bell. ciu. c. 6. dixit: *vt de eorum imperio ad populum referatur:* si modo vulgati libri vacant mendo. nam, *ferre ad populum*, vsitatius esse, quam *referre*, nemo, vt arbitror, negabit.

De religione] De Sibyllinis versibus, reduci regem cum multitudine vetantibus.

Ab eo deduci non potest] Tuebatur obstinato animo sententiam suam, in quam, vt in argumento iam diximus, factum erat senatus consultum, regem cum multitudine reduci, periculosum reipublicae videri. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Idibus] Quo die senatus erat futurus. nec dubito, quin edictus esset, cum haec Cicero scripsit. nam et in epistola sequenti, cum ante lucem XVI. Kal. Febr. scriberet, subiunxit: *eo die senatus erat futurus.* quo perspicuum est, non eo die, quo haberetur, sed superiore, senatum edici solitum.

Mane] Prima luce. sed lib. 7. epist. 30. cum dixit, *quae erant futurae mane postridie*, aliter explanandum.

Hortensii] Declarata consulis voluntate, consularium sententias incipit exponere. Hic est ille Q. Hortensius, oratoria laude clarus. Hoc loco mirari aliquis possit, cur Cicero, de Marcellino consule locutus, ad consulares, omissa alterius consulis L. Philippi mentione, orationem traducat. Opinor, qui consul primo anni mense fasces sumeret, eundem et senatum eodem

dem menſe habuiſſe; et, qua de re deliberandum putaret, retuliſſe: ſecundo autem menſe collegam faſces recepiſſe: eundemque ordinem, vt alternis menſibus faſces haberent, vſque ad extremum annum ſeruatum eſſe. itaque non Philippus, ſed, qui faſces prior ſumpſerat, Marcellinus praecipuam menſis Ianuarii curam ſuſtinuit, et de religione retulit, collega tamen aſſentiente: nam diſſentientem Cicero nominaſſet. Vter autem faſces prior ſumeret, docet Gellius lib. 2. c. 15.

Luculli] Marci, non Lucii, qui perierat anno ſuperiore. hic enim qui nominatur, ſine dubio idem eſt, de quo haec ſunt epiſt. 7. *Quo quidem tempore, vt perſcripſi ad te antea, cognoui Hortenſium percupidum tui, ſtudioſum Lucullum.* Quam epiſtolam Pompeio et Craſſo coſſ. id eſt, poſt Marcellinum et Philippum, eſſe ſcriptam, ſatis conſtat: quo anno Lucius viuere non potuit: cum eum oratio de prouinciis habita, vt ait Pedianus, Marcellino et Philippo coſſ. iam vita exceſſiſſe demonſtret. Marcum autem, ac Lucium fratres fuiſſe, Cicero, Plutarchus, alii teſtantur. Eutropius lib. 6. c. 7. conſobrinos vocat: in quo ei non aſſentior; niſi ſi, duas ſorores duobus Lucullis nupſiſſe, aliquis dixerit. quod mihi non ſit veriſimile. video enim, M. Lucullum ſimul cum Lucio fratre Seruilio auguri diem dixiſſe, qui Lucii patrem accuſauerat. quam rem iis verbis Cicero commemorat in prooemio lib. 4. Acad. vt Lucium et Marcum, in vleiſcendo Seruilio, non conſobrinos, ſed plane germanos fratres agnoſcere videatur: ait enim de Lucio: *Admodum adoleſcens, cum fratre, pari pietate, et induſtria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria eſt perſecutus.* Verbum, *pietas*, eundem vtrique patrem fuiſſe oſtendit. Plutarchus etiam, cum ait, viuo adhuc Lucio rem eius domeſticam a Marco fratre gubernatam, germanos potius fratres, quam conſobrinos, ſignificat. Sed Marci praenomen ab adoptiuo patre M. Terentio Varrone ſumptum eſt. nam, a Terentio Varrone adoptatum, indicat Cicero lib. 3. in Ver. c. 70. cum legem Terentiam et Caſſiam nominat, latam a duobus eiusdem anni conſulibus, M. Terentio Varrone, et C. Caſſio Varo.

Cedit religioni de exercitu] Antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero cenſuerat: habuit enim orationem pro Ptolemaco reducendo: ex qua Aquila, Fortunatianus, et Capella recitant haec verba: *Difficilis rario belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis.*

Teneri] Obtineri. Sic locutus eſt epiſt. 7. *Si res facultatem habitura videatur, vt Alexandriam, atque Aegyptum tenere poſſis.* Et epiſt. 9. *Etiamſi portum tenere non queas.* Et lib. 14. ad Attic. epiſt. 12. *Tam claram, tamque teſtatam rem, tamque iuſtam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte?* Et in orat. pro Sextio c. 53. *Non tenuit eum locum, in quem, niſi popularis eſſe voluiſſet, facillime perueniſſet.*

Quod commode facere poſſis ERN. *Quod commodo rem facere poſſis*] *Commodo*, pro *commode*, antique

que dictum. in quo dubitatum a nonnullis miror; quasi, *commodo*, aduerbium esse non possit. quod nisi diligens antiquitatis obseruator Carisius admonuisset, Caesaris tamen ad Ciceronem epistola lib. 9. ad Attic. epist. 6. doceret. *Cum Furnium*, inquit, *nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire me commodo potuissem.* Mihi tamen olim placuit, neque nunc, quamquam repugnantibus antiquis libris, displicere potest, pro, *rem*, legi, *reipublicae*. atque hanc ex antiqua Latini sermonis consuetudine coniecturam duxi. quo in studii genere, nec infitior, a prima adolescentia satis accurate me esse versatum, nec omnino poenitet. Erat autem in mandanda publica re exceptio quaedam, vt id, quod mandaretur, ita fieret, si commodo reipublicae fieri posset. quo significabatur, eam rem non potestati magis, quam prudentiae, committi. Recitabo veterum exempla: quibus et eadem sententia, et iisdem enunciata verbis, agnoscetur. ac tum denique, vtrum scriptis libris, id est, dubiae librariorum fidei, an certissimis antiquorum testimoniis, credi oporteat, cum praesertim nec a scriptis libris admodum discedat opinio nostra, doctorum virorum arbitrio permittam. Caesar lib. 1. de bell. Gall. c 35. *Quoniam M. Messala, M. Pisone coss. senatus censuisset vti, quicumque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo reipublicae facere posset, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, sese Aeduorum iniurias non neglecturum.* Idem lib. 5. c. 46. *Scribit Labieno, si reipublicae commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum veniat.* Lib. 6. c. 33. *Labienum, Treboniumque hortatur, si reipublicae commodo facere possint, ad eam diem reuertantur.* Cicero ad M. Brutum epist. 5. *Decreui hoc amplius, vt tu, si arbitrarere vtile, eque republica esse, persequerere bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posses, siue non existimares e republica esse, vt in iisdem locis exercitum contineres.* Omitto illa similia, quae Ciceronem legentibus occurrunt: *quod tuo commodo fieri possit: quod sine molestia tua facere possis: quod tuo commodo fiat: quod sine peccato meo fiat.* Hic opponitur a quibusdam: hoc loquendi genus huic Ciceronis loco nullo modo conuenire: putant enim, senatus haec verba fuisse, cum senatus consultum faceret, aut eorum, qui prouinciis cum imperio praecssent, cum aliquid legatis mandarent: non igitur ea cadere in sententiam Ciceronis, Hortensii, et Luculli, qui priuati senatores erant. Haec ratio quid momenti habeat, examinando cognoscemus. Primum quaero: si senatus, cum decernit, vtitur his verbis, vt reipublicae caveat, cur non iisdem senator, qui et ipse sua sententia decernit, vti possit? decet enim, vt senatum in publico decreto, ita senatores singulos in dicenda sententia reipublicae consulere. quid est autem senatus consultum, nisi multorum senatorum idem probantium consensus? quod si, senatus consultum in alicuius sententiam senatoris esse factum, saepe legimus: nil aliud existimare licet, quam graviores eius sententiae partes in senatus consultum esse translatas: grauius autem nihil, quam vt id, quod

quod mandaretur, incommodo reipublicae ne fieret. itaque non est, opinor, mandantis dumtaxat, hic loquendi modus, vt senatus, aut proconsulis, sed eius etiam, qui suadet. Negabit hoc aliquis: at credat exemplo. Cicero in epist. 5. ad Brut. *Decreui hoc amplius, vt tu, si arbitrarere vtile, eque republica esse, persequerere bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posses, siue non existimares e republica esse, vt in iisdem locis exercitum contineres.* Haec neque senatus consulti verba sunt, neque proconsulis, sed priuati Ciceronis, in senatu sententiam dicentis. cur igitur in hac etiam ad Lentulum epistola locum habere non possint? At libri veteres aduersantur omnes. Dissimulamus in re nota. quam multa enim contra veterum librorum auctoritatem, adiuuante historia, sententia, ipsa etiam Latini sermonis regula, non modo sine reprehensione, verum etiam cum laude summa docti homines immutarunt. mihi sane videtur, vt in omni re, sic in hoc industriae genere, modus quidam esse: vt libris quidem antiquis in corrigendo vtamur, id quod ego diligenter seruo, mutare tamen ex ingenio, doctrinaue aliquid aliquando liceat, sed ita parce, et verecunde, ne corrigendi libertas ad temeritatem progressa videatur. quam ob caussam veterem hic scripturam immutare noluimus: tantum fecimus, vt ostenderemus opinionem nostram: quam nec iis improbari, qui non temere, praeter sua, quidquam probant, ex eo possumus coniicere, quod, si qua laus coniecturae nostrae debetur, eam alio transferre conantur. Nimirum, ad istas artes confugere, et alienis laboribus honorem ereptum velle, pusilli animi est: non enim addam, *et ipsa maleuolentia ieiuni:* quod Cicero addidit in re non dissimili. neque nunc de meo iure litigabo: malim caussa cadere, quam iis de rebus in iudicium, contentionemque venire, quarum studio si hoc assequor, vt bonis litteris opem feram, cetera non valde requiro: si dantur, accipio: si minus, vberrimum tamen, et suauissimum ex ipsa conscientia fructum capio.

Auctorem] Vt restituti regis honor, et gloria penes te sit. quod iam senatus decreuerat. *Auctor* is est, cuius auctoritate, et sententia aliquid fit. lib. 1. ad Attic. epist. 19. *Agraria lex a Flauio tribuno plebis vehementer agitabatur, auctore Pompeio; quae nihil populare habebat, praeter auctorem.* Scriptor autem alicuius libri, quam Latine *auctor* dicatur, viderint ii, qui non dubitanter vsurpant. Equidem neque Ciceronem, nec eius aequales, aut omnino quemquam stante republica ita locutum existimo. Et quoniam, cuius vel consilio, vel tacita auctoritate ad agendum impellimur, is quasi origo quaedam, et agendi principium est; inde factum, vt *auctor nobilitatis* appelletur, a quo nobilitatis initia manarunt; *auctor huius sermonis*, a quo primum fluxit hic sermo; *auctor meae salutis*, cuius opera salutem adeptus sum. *Auctor* etiam vocatur is, cuius testimonio, vt aliquid credamus, adducimur: vt lib. 6. ad Attic. epist. 1. *Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flauium scribam fastos protulisse.* Addo illud, *auctorem* dici, non qui hortatur,

tatur, ne quid fiat, sed qui hortatur, vt fiat. Itaque, *auctor*, et *dissuasor*, Cicero opponit: ceteraque eiusdem, atque etiam aliorum exempla ad affirmationem semper, numquam ad negationem spectant. et ab *augeo* quoque deductum *auctor*, Carisius, et Seruius ostendunt: idque probant antiqui lapides, et libri. *Auctorem* igitur dixit, vt auctoritate Lentuli potius, quam potestate, et armis, exercitum religione tollente, Alexandrini Ptolemaeo reconcilientur. Eodem modo Phil. 2. c. 37. *Ille*, inquit, *vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus. Auctorem* vocat Caesarem, a quo illa manauerant: tamquam enim ab illo scripta defendebantur.

Crassus] M. Licinius Crassus, nunc quidem in Pompeium male animatus. quod indicat lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. sed anno sequenti, consules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarchus. Hunc Quiritium, post Sullam, ditissimum, Plinius fuisse tradit, possedisse in agris H-S. bis millies, id est, ad rationem nummi nostri, sexagies centena scutatorum millia. Plutarchus totam eius rem, post decimam partem Herculi consecratam, epulumque publicum, et congiarium trium mensium singulis ciuibus datum, septem millibus et centum talentis aestimat: quae sunt Romano nummo, millies septingenties, et aliquanto amplius: vel, vt more nostro loquamur, scutatorum quinquagies semel, eoque amplius: vulgo, supra quinque milliones, dicerent.

Nec excludit Pompeium] Cui, frumentariae curationis gratia, toto orbe terrarum et senatus, et populus imperium dederat. lib. 4. ad Attic. epist. 1. Plutarchus, Dio, alii.

Cum imperio sint ERN. *sunt*] *Imperium* duplex fuit, *vrbanum*, et *prouinciale*. *Vrbanum* aut a populo dabatur, aut a senatu: a populo, consulibus, praetoribus; qui, centuriatis comitiis creati, maiores magistratus vocabantur: a senatu, dictatori, interregi; qui, nullis comitiis, senatus consulto creabantur. nam censores, licet inter maiores magistratus nominarentur, tamen nec imperium, nec ferendae legis ius habebant, neque lictoribus, aut viatoribus vtebantur. reliqui vero, quos nominauimus, et imperium, et legis ferendae ius, praeterea viatores, et lictores habebant. Minores magistratus, aediles curules, aediles plebis, tribuni plebis, quaestores, et alii inferioris ordinis, *potestatem habere*, non *imperium* dicebantur. Imperium tribuno plebis non fuisse, Liuius lib. 2. c. 56. aperte ostendit exemplo Appii consulis, priuatum tribunum plebis clamitantis, sine imperio, sine magistratu. *Imperium* igitur in vrbe habebant ii tantum magistratus, qui vocationem, qua carebant minores magistratus. Hoc imperium sine armis erat: propterea centuriata comitia, quod a Laelio Felice scriptum Gellius lib. 15. c. 17. recitat, intra pomoerium fieri, nefas erat; quia exercitum extra vrbem imperari oporteret, intra vrbem imperari ius non esset. Vrbani imperii tempus in annuis magistratibus annuum erat, in dictatore semestre ad summum, in interrege non vltra quinque dies: nam diuturnior is magistratus non erat. Consulis tamen imperium

perium maius erat, quam praetoris: nam consul praetoris creandi ius habebat, non contra praetor consulis. et consul ab omnibus magistratibus auocare comitiatum, concionemque poterat: praetor a consule non poterat: quod apud Gellium lib. 13. c. 14. 15. Messalla docet. Quamquam autem imperium esset in vrbe, nemo tamen ex vrbanis magistratibus *imperator* est appellatus, sed hoc nomen iis dumtaxat, qui exercitum haberent, tribui solitum est, etiam ante quam, re bene gesta, imperatores ab exercitu salutarentur. *Imperium prouinciale* duplex fuit, vnum a senatu datum, ex lege Cornelia, sine armis; alterum a populo, ex lege Curiata, cum armis. vide epist. 9. in extremo.

Bibulus] M. Calpurnius Bibulus, plebeii generis, Caesaris in aedilitate, praetura, consulatu collega, eiusdemque inimicissimus, Pompeio etiam, ob Caesaris affinitatem, hoc tempore infensus: ideo priuatos decernebat, vt eum excluderet. Pompeii obtrectatores Bibulus, Curio, Crassus appellantur lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3.

Consulares] Atque etiam consules: nam, vt est in epistola sequenti, Bibuli sententiam valere cupierunt.

Seruilium] E numero consularium, qui assentiuntur Bibulo, tres excipit; Seruilium, qui omnino reduci negat oportere, cuius probatam a senatu sententiam, sed a tribunis plebis intercessum, indicat epist. 7. Volcatium, qui Pompeium decernit; Afranium, qui assentitur Volcatio. Hic est P. Seruilius Vatia Isauricus, qui cum Ap. Claudio, P. Clodii, Ciceronis inimici, patre, consulatum gessit A. V. 674. triumphauit de Isauris ex Cilicia A. 679. vnde Isaurici cognomen accepit: quo etiam filium eius, qui cum Caesare consul fuit, vsum esse video. Censor fuit cum L. Cotta, vt ex Valerio, et Plutarcho licet colligere. vixit ad annos LXXX. vt Phil. 2. c. 5. indicat: et Strabo, qui scripsit historiam suam imperante Tiberio, eum a se visum testatur lib. 12. obiit, vt Dio lib. 45. docet, Antonio et Dolabella coss.

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Aemilio Lepido A. V. 687. consulatum gessit.

Lupo] P. Rutilio Lupo tribuno plebis, quod ex epistola sequenti cognoscitur. praetor anno primo ciuilis belli Pompeium secutus, Achaiam obtinuit. lib. 8. ad Attic. epist. 12. lib. 9. epist. 1. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 24. et lib. 3. c. 55.

Referente] Non de reducendo rege tantum, sed vt a Pompeio reduceretur: quod patet ex epistola sequenti. Ius autem referendi in senatu tribunos plebis habuisse, vel hic locus ostendit: sed accedunt non modo epistolarum testimonia, 16. lib. 10. et 1. lib. 2. ad Q. Fr. verum etiam orationum. nam in ea pro Sextio c. 31. Ninnii tribuni plebis relatio nominatur. Neque solum ea de re, de qua consul, sed etiam de diuersa, eodem die, referre poterat tribunus plebis. nam ex Phil. 7. c. 1. consulem de Appia via, et de Moneta, tribunum plebis de Lupercis retulisse video. Retulerunt igitur in eodem senatu de reductione regis duo magistratus, consul Marcellinus de religione, id est, ne rex, prohibente Sibylla, cum exercitu reduceretur; Lupus

pus vero tribunus plebis, vt a Pompeio reduceretur. de religione consuli omnes assenserunt; de reductione non idem omnibus placuit. Hortensius, Lucullus, Cicero Lentulum decernebant; Crassus, et Bibulus tres legatos, hic priuatos, ille etiam eos, qui cum imperio essent. reliqui consulares Bibuli sententiam probarunt, tribus exceptis, quorum duo, Volcatius, et Afranius, Lupi sententiam secuti sunt: tertius Seruilius totum de rege reducendo consilium, vel quod inutile putaret esse reipublicae, vel quod alienum a populi Romani dignitate, sua sententia damnabat.

Pompeio decernit] Plerique veteres libri habent, *Pompeio:* nonnulli, *Pompeium:* plerosque sum secutus. vtroque tamen modo recte: est enim in hac ipsa epistola, *tibi decernit*, et, *tres legatos decernit.*

Afranium] L. Afranium, qui quadriennio ante consul fuerat cum Metello Celere. Ne miremur eum studuisse Pompeio. nam et eo duce contra Sertorium, viuo Sulla dictatore, pugnauerat; et eiusdem Mithridatico bello fuerat legatus; et consulatum eius praecipue studio, atque opera adeptus erat. is ciuili bello a Caesare in Hispania victus, et liberatus, postea captus ab eodem in Africa, dissensione in exercitu orta, cum Fausto, Sullae dictatoris filio, est interfectus.

Assentitur] Non miror, Volcatium sententiam dixisse ante Afranium, cum sexennio ante consulatum gessisset.

Suspicionem] Nam ipse dissimulabat cupiditatem suam, et fauere Lentulo videbatur, cuius etiam in senatu caussam diligenter in primis egerat. de hac suspicione in epistola sequenti, et in 2. lib. 2. ad Q. Fr.

Laboratur] Difficultas negotii non sine quadam animi sollicitudine ostenditur, vt in extremo, *non laboraremus.*

Inclinata res est] Lepida translatio. Rerum status triplex est: aut enim ita se habent, vt volumus, et *stare* tunc dicuntur; aut aliter, ac volumus, et *inclinatae esse;* aut prorsus contra quam volumus, et *iacere.*

Libonis, et Hypsaei] Vtrumque puto tribunum plebis esse. de Hypsaeo quidem affirmat Dio lib. 39. Est autem L. Libo Scriboniae gentis, Pompeio primum amicitia, deinde etiam affinitate coniunctus. nam eum Sex. Pompeii, qui ex duobus Pompeii Magni filiis natu minor fuit, socerum nominat Dio lib. 48. eiusdemque alteram filiam, devictis Bruto, et Cassio, Caesar Octauianus vxorem duxit: quod in Augusto c. 62. et in libro de clar. Gramm. c. 19. Suetonius ostendit: cuius auctoritate, et ipsa etiam temporum ratione moueor, vt in Dione non Λίβωνος ἀδελφήν, sed Λίβωνος θυγατέρα legendum existimem. quod tamen Dionis mendum potius, quam librarii, oportet credere. In bello ciuili Pompeium secutus, primum Etruriae, mox, inde pulsus, nauibus quinquaginta praefuit. Florus lib. 4. c. 2. Dio lib. 41. et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 26. et lib. 3. c. 5. 15. seqq. Crudelem fuisse, nec mediocri obstrictum aere alieno, Cicero significat lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Quid tu*, inquit, *illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem*

Libonem praetermissurum sceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. quid eos autem, cum vicerint, in cives effecturos? Consulatum A. 719. cum M. Antonio gessit. P. Plautius Hypsaeus iure pro Pompeio contendebat: fuerat enim eius quaestor bello Mithridatico: id quod in commentario Milonianae significat Asconius: et quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam fuisse, patet ex lib. 13. epist. 10.

Concursatio] Prensantium propria. *Concursabant barbatuli iuvenes* lib. 1. ad Attic. epist. 14.

Contentio] Maius quiddam est, vt iam diximus, in contentione, quam in studio. itaque Liboni, et Hypsaeo tribuitur contentio, studium reliquis Pompeii familiaribus.

Familiarium] Iterum familiares appellat, et paullo post intimos, ac domesticos, ad augendam suspicionem Pompeii voluntatis. nam familiares, et intimos de alicuius honore, ipso inuito, laborare, qui consentaneum est? Sed Cicero interdum, vel Pompeii adductus beneficio, (nam, eo contendente, in patriam redierat) vel quod ita sentiret, liberare videtur eum omni suspicione cupiditatis: idque cum illa verba declarant: *in senatu palam sic egit caussam tuam:* tum ea, quae sunt in epistola sequenti: *quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis.* Et epist. 7. *Qui mihi semper tuae laudi fauere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano.* Quamquam, non omnino quod ita sentiat, sed vt officio fungatur boni viri, Ciceronem ea scribere crediderim; qui, cum vtrique summe deberet, eorum amicitiam libenter conseruaret. eoque sum in hanc opinionem propensior, quod lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. apud quem simulatio necessaria non erat, ambigere se de Pompeii animo significat his verbis: *In ea re Pompeius quid velit, non dispicio. Familiares eius quid cupiant, omnes vident.*

Cui qui nolunt] Qui amici non sunt. Similiter cum dandi casu, *Fundanio cupio*, dixit lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Fauere, et cupere Helvetius*, Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 18.

Quod eum ornasti] Cum ad eum consul frumentariam curationem detulisti.

Nos] Epistolae clausula mirum habet artificium. nam, quia rem inclinatam esse dixerat, veritus, ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiae, aut etiam ingrati animi suspicionem veniret, auertit a se omnem culpam, excusatione quinquepartita: quod auctoritatis in regia caussa minus habeat, quia pro bene de se merito contendat: quod gratiam suam Pompeii gratia maior exstinguat: quod multi ad Pompeium, ab eius domesticis, et a rege ipso corrupti, rem deferri velint: quod consulares, ob regiam praecipue largitionem, totum consilium de restituendo rege improbent: postremo, quod nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderat, non tam virtutis eius memores essent, quam laudis inimici. quod perfidiae vitium et hic perspicue notat, et in sequentibus epistolis 7. 8. 9.

Auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus] Epist. 7.

Noſtra propugnatio, ac defenſio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficii tui, fortaſſe plerisque officii maiorem auctoritatem habere videatur, quam ſententiae.

Gratificari] In eo, quod a te cauſſam regiam ad Pompeium transferant.

Multo ante, quam profectus es] Prorſus in tota epiſtola Ciceronis ingenium, et oratoriam callliditatem agnoſco. nam exulceratae res poſt Lentuli profectionem, argumento eſſe poterant diligentiae praetermiſſae. id ne obiici poſſit, occurrit his verbis: *multo ante, quam profectus es.* Quod etiam iterat in epiſtola ſequenti, cum ait: *totam rem iſtam iampridem eſſe corruptam.*

Ab ipſo rege] Cum tu hic eſſes. nam regem ante Lentuli profectionem ab vrbe diſceſſiſſe, Feneſtella teſte probauimus.

Exulceratis] Corruptis, male affectis: translatione ab vlceribus, quae ſaepe, illato vngue, dilatantur. His autem translationum quaſi luminibus, ſi cuius inter Latinos, Ciceronis maxime ſplendet oratio. Translata porro verba plus habere iucunditatis, quam propria, quae tamquam quotidiana faſtidimus interdum, ac plus etiam ad ſignificandum valere, ſatis conſtat. nam quia comparationes, et ſimilitudines rem plane ſubiiciunt oculis; ideo translata, quae nihil aliud, quam breues, et conciſae ſimilitudines ſunt, vigere magis in oſtendenda re, quam propria, videntur. Sed de translatione Ariſtoteles, Cicero, Demetrius in primis in illo aureo περὶ ἑρμηνείας libello, quem pater meus, reſtituendae cupidus antiquitatis, ante me natum edidit.

Exagitatis] Grauiter vituperatis. ſic in Oratore c. 13. *Plato, exagitator omnium rhetorum, hunc miratur vnum.* Et Coelius lib. 8. epiſt. 11. *Totus eius ſecundus conſulatus exagitatur.*

Inuidiam] Infamiam, ob apertam regis largitionem. ſupra: *Senatus religionis calumniam, non religione, ſed maleuolentia, et illius regiae largitionis inuidia comprobat.*

Ita verſamur] Quaſi dicat, poſt diſceſſum tuum nihil damni factum eſt noui: ita verſamur in cauſſa, vt ante quam tu profectus es.

Noſtram fidem] Negotiales epiſtolae moralibus fere clauduntur ſententiis; et vitandae ſatietatis cauſſa; quia faſtidium parit a primo ad vltimum producta narratio; et quod amici, vti ſumus, ita videri volumus.

Praeſentisque, tui cognoſcent ERN. *Praeſentisque cognoſcent*] Sunt, qui legant, *praeſentes tui:* recte fortaſſe: mihi tamen ſententia non arridet. quae enim haec amoris, et fidei minime neceſſaria diſtinctio? cur non et amor ſimul cum fide ab omnibus, et fides item ſimul cum amore a praeſentibus cognoſcatur? Quanto et planius, et commodius: *noſtram fidem omnes, amorem tui abſentis, praeſentisque cognoſcent?* quod eſt in duobus antiquis libris: in ceteris autem omnibus, quos quidem ego viderim, diuerſe, non tamen vt ſententia mutetur: *tui abſentis, praeſentisque tui.* poteſt enim ferri pronomen iteratum: poteſt etiam, quod malim credere, iteratum videri ſcriptoris incuria. nullo quidem

dem in vetere libro, *praesentes tui*, legimus. quod ideo testatum esse voluimus, ne quem coniectura minime necessaria delectaret, cum ex antiquis libris commodam elici sententiam videret.

Fides] Qui beneuolentiam erga Lentulum consulem, tempori seruientes, simulauerant, iidem, post consulatum, debitam eius meritis fidem absenti non praestiterunt. Videtur consulares indicare: de quibus epist. 5. *Amicum ex consularibus neminem tibi esse video, praeter Hortensium, et Lucullum.* epist. 7. *Vehementer quosdam homines, et eos maxime, qui te et maxime debuerunt, et plurimum iuuare potuerunt, inuidisse dignitati tuae.* Et paullo post apertius: *Praeterea quidem de consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis.* Et ibidem aliquanto post: *Poterat vtrumque praeclare, si esset fides, si grauitas in hominibus consularibus.* Definitur *fides* lib. 1. de Offic. c. 7. his verbis: *Fides est dictorum, conuentorumque constantia, et veritas. ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, vnde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem.* Et lib. 4. de rep. apud Nonium: *Fides nomen ipsum mihi videtur habere, cum fit, quod dicitur.* Hinc illud ad Tironem lib. 16. epist. 10. *Tu Musis nostris para vt operas reddas. nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides ἕτυμον quod haberet.*

Summa esse debebat] Quod eorum auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderas.

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Tota est negotialis epistola, excepta morali clausula: in qua studium, et officium in agendo, diligentiam in scribendo promittit. Significat, quid actum sit in senatu; quid ipse oratione sua profecerit; quem Bibuli sententia exitum habuerit; consules quid sentiant; quo Pompeius, quo familiares eius animo sint. Et, quoniam Lentulo in regia causa duo maxime tribuni plebis aduersabantur, Cato et Caninius, quorum alter totam regis reductionem oppugnabat, alter Pompeio studebat: his, ne quid agere cum populo possent, obiecta esse dicit impedimenta auspiciorum, et legum.

EXPLANATIO.

Altercatione] De rege reducendo: cum Caninius Pompeio rem deferri vellet; consul regem neque cum exercitu reduci, neque ab iis, qui cum imperio essent. ita Pompeium excludebat, qui cum imperio erat.

Lentuli] *Marcellini:* sic appellatur et lib. 5. ad Attic. epist. 3. In quibusdam libris, *Lucii*, non

Franckesche Stiftungen zu Halle

omnino absurde: potest enim intelligi de altero consule L. Philippo, qui sentiebat idem, quod collega. Ac, ne quem offendat vnicum praenomen, exempla occurrunt similia non pauca, vt cum, *Cnaeus*, pro Pompeio Magno accipitur; *Publius*, pro Clodio, Ciceronis inimico; *Sextus*, pro Peducaeo, Attici familiarissimo. praeterea, cum consul nominatur, nonne satis, quis *Lucius* sit, ostenditur, et a ceteris Luciis distinguitur?

Caninii] Pro Pompeio contendentis. consules autem vel non reduci regem volebant, vel non ab iis reduci, qui cum imperio essent, sed a priuatis, ex Bibuli sententia. ita Pompeius, et Lentulus excludebantur. Infra: *Bibuli sententiam consules valere cupierunt.* Caninius hic potest esse Rebilus ille, qui mortuo pridie Kal. Ian. Q. Fabio consule, subrogatus est, vt in reliquas tantum eius diei horas consulatum gereret. lib. 7. epist. 30. Meruit in Gallia Caesare imperatore. Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 24.

Tribuni plebis] Si cum consule altercatur, nimirum est in senatu. itaque falsa videri potest Valerii doctrina: cuius haec sunt lib. 2. c. 1. *Tribunis plebis intrare curiam non licebat: ante valuas, positis subsellis, decreta patrum examinabant.* Quod refellunt exempla prope innumerabilia: quorum vnum afferam ex epist. 5. *In senatu a Catone aspere, et acerbe nimium magno silentio est accusatus.* Verum ad prisca fortasse tempora Valerius respexit: cum praesertim dicat, *non licebat:* et, *examinabant:* tamquam consuetudine mutata. nam, cum tribuni plebis senatores non erant, tunc iis non licuisse curiam intrare, ratio magis probat. postea, nisi senatorii essent ordinis, non videntur petiisse tribunatum. quod Suetonius in Augusto c. 10. docet his verbis: *In locum tribuni plebis, forte demortui, candidatum petitorem se ostendit: quamquam patricius, necdum senator.* Et infra c. 40. *Comitiis tribuniciis, si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis creauit: ita, vt, potestate transacta, in vtro vellent ordine, manerent.* Id Gellius quoque comprobare videtur lib. 14. c. 8.

Tuae voluntatis] Auctoritatem senatus Lentulus consul acerrime defendit. vnde illud epist. 9. *Sensus bonorum recreatus abs te totus est.* Quibus enim consul bus noua quaedam, et extraordinaria imperia placerent, ii, contempto senatu, populi studium, et beneuolentiam aucupabantur. qua via Caesar vsus, ad singularem potentiam pervenit.

Ordinem] Princeps ordo, summus, amplissimus a Cicerone senatus vocatur, distinguendi gratia: tres enim erant ordines in ciuitate, primo loco senatus, secundo equites, postremo ii, qui neque senatores, neque equites erant, qui, de plebe, dicebantur. Sed, quoniam *ordinis* nomen honestatem quandam significat; ideo, *plebeius ordo*, de veteribus, quod sciam, nemo dixit; cum tamen, *tertius ordo*, aut *infimus ordo*, dicerent, plebem ipsam significantes. at senatorii ordinis, equestris ordinis creberrima mentio. id puto causae fuisse; quia plebs ex ingenuis tota non constabat; cum in ea libertini essent:

sent: quos *ordinem* parum proprie vocari, Pedianus ostendit. nam cum de iis, *o modestum ordinem*, Cicero lib. 1. in Ver. c. 47. dixisset; subiungit haec: *Libertinos significat; quorum non conditionem, sed more suo, quasi honestorum, ordinem vocat.*

Reconciliata] Quam alienauerat regia largitio.

Appellandis] Nominandis.

Rogandisque] Vt sententiam dicerent. rogabantur enim et a privatis sententiae: quod hic locus indicat; et infra: *multi rogabantur, atque id ipsum consulibus inuitis.* Mos quidem erat, vt sententias rogaret magistratus is, qui ad senatum retulerat. exemplum habemus apud Ciceronem de Lupo tribuno plebis lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1.

Sententia prima Bibuli] Si ratio gesti consulatus haberetur, primus rogari sententiam debuit Hortensius, secundus Volcatius, tertius Bibulus: sed, quia consules Hortensium fauere Lentulo, Volcatium Pompeio, Bibulum vtrique infensum esse intelligebant, ideo vel primo loco Bibulum rogarunt: (nam, quem vellent, rogare primum poterant, vt Cicero lib. 1. ad Attic. epist. 13. et Suetonius in Iulio c. 21. docet) vel certe cum ordinem in rogando seruassent, primam tamen pronunciari Bibuli sententiam voluerunt: cuius exemplum beneficii habemus lib. 10. epist. 12. *Eo die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Seruilio: qui cum gratia effecisset, vt sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum senatus reliquit, et in alia omnia discessit.* Erant autem ii, quorum sententiae primae pronunciarentur, ideo conditione meliore, quia, si plures in eorum sententiam transirent, fiebat senatus consultum, neque reliquorum sententiis locus erat.

Tres legati] Ex iis, qui priuati erant.

Hortensii] Cum quo Lucullus, et Cicero sentiebant.

Diuideretur] Quia de religione, et de tribus legatis simul deliberandum censebat: quod si esset factum, vtrumque simul reiici, aut vtrumque simul probari necesse erat. quam consuetudinem egregie Pedianus ad orat. pro Mil. c. 6. expressit his verbis: *Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresue res complectitur: eae si non omnes probantur, postulatur, vt diuidatur, id est, de rebus singulis referatur.* Et cum subiungit, *multi sedentes hoc vnum verbum pronunciant, diuide;* ostendit, ius postulandi, vt sententia diuideretur, non consulibus tantum, sed senatoribus etiam fuisse. Festus etiam sic: *Numera senatum, ait quiuis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat senatus consultum, postulatque, vt aut res, quae afferuntur, diuidantur; aut singuli consulantur; aut, si tot non sunt senatores, quo numero liceat praescribi senatus consultum.*

De religione] De Sibyllinis versibus regem reduci cum exercitu vetantibus.

Cuique rei iam obsisti non poterat] Satis implicata sententia videtur, sed, vt arbitror, explicabitur hoc modo. Quatenus de religione loquebatur, et in quo iam obsisti non poterat; Bibulo assensum est. epist. 1. *Hortensii, et mea, et Luculli sententia cedit religioni*

de exercitu: teneri enim res aliter non potest. Obsisti autem ideo non poterat, quia factum iam erat senatus consultum, regem cum multitudine reduci, periculosum reipublicae videri. Antiqui libri omnes, qui apud me sunt, *clam*, habent, pro, *iam:* quod mendosum esse constat.

Ierunt in alia omnia] *Ire in alia omnia*, et *discedere*, et *transire*, pro dissentire, veteres dicebant. de quo Festus his verbis: *Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem. his verbis praeit ominis videlicet caussa; ne dicat, qui non censetis.* sic locutus est Coelius lib. 8. epist. 13. *Cum prima M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendum cum tribunis plebis censebat: frequens senatus in alia omnia iit.* Et Cicero lib. 10. epist. 12. *Frequens eum senatus reliquit, et in alia omnia discessit.* Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1. *Ibatur in eam sententiam.* Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 53. *Discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris invidia quaerebat, senatus frequens in alia omnia transiit.*

Cum Lupus] Siue, *cum*, siue, *tum*, siue, *cui* legatur; in quo scripti libri dissentiunt; parui refert. nihil enim aut additur ad sententiam, aut detrahitur.

Intendere] Sic antiqui libri, quos viderim, omnes, non, *contendere*. Pro Quintio c. 29. *Postea sum usus aduersarii testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium, quem, quo modo nunc intendit, ne in viuorum quidem numero tum demonstrat fuisse.* Hoc autem intendebat Lupus, cum ipse de Pompeio, sine controuersia principe ciuitatis, retulisset, ante se oportere discessionem facere, quam consules: quod vereretur, ne, si de Hortensii sententia, quae Lentulum decernebat, discessio fieret, maior senatorum numerus eam probaret.

Discessionem facere] Aut, discedendi potestatem facere senatoribus de sua sententia: aut, discessionem ipsum facere; quia primus de sua sententia discessionem facere soleret is, qui retulisset; deinde senatores alii sequerentur. Quaeri potest, cur non idem Bibulo Lupus, quod Hortensio opposuisset, vt de sua sententia discessionem ipse faceret, ante quam consules? Quia senatoribus non admodum eius probari sententiam, nec ab eo, sed ab Hortensio, timendum intelligeret.

Iniqua et noua] Iniquum, et nouum est, vt in discessione facienda, quod tribunis plebis placeat, fiat potius, quam quod consulibus.

Multis partibus plures] Multo plures. Eodem modo Coelius lib. 8. epist. 9. *Turpe tibi erit, Patiscum Curioni decem panthera misisse, te non multis partibus plures.* Lib. 4. Acad. c. 36. *Quibus efficitur, multis partibus solem maiorem esse, quam terram.* Lib. 3. de Fin. c. 11. *non multis partibus malit*, pro *non multo malit.* Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 80. *Eo fama iam praecurrerat de proelio Dyrrachino, quod multis auxerat partibus.* Ibidem infra c. 84. *Exercitus numero multis partibus inferior.* Suetonius in Iulio c. 68. *Innumeras aduersariorum copias, multis partibus ipsi pauciores, facile superarunt.*

Aperte]

Aperte] Simulabant Pompeii causſa: ſed conſules, oratione Ciceronis reconciliatam Lentulo ſenatus voluntatem intelligentes, diem conſumi paſſi ſunt, ne diſceſſio fieret: cum nec a Lentulo, nec a Pompeio regem reduci vellent, ſed aut a priuatis, ex Bibuli ſententia, quam ſenatus iam improbauerat, aut omnino non reduci: quod factum eſt.

Rogabantur] A ſenatoribus, varie ſentientibus: cum alii Pompeio, alii Lentulo fauerent: alii aliter ſentirent. ipſe etiam Cicero rogauerat. dixit enim: *Quod tum dicendo, tum ſingulis appellandis, rogandisque perſpexeram.*

Eo die] Cum de certo die loquimur, virili vtimur genere: cum de tempore, muliebri. confirmatur exemplis. quo magis miror Nonium contra ſentire. ſcripſit enim haec: *Diem volunt, cum feminino genere dicimus, tempus ſignificare; maſculino, diem ipſum. nos contra inuenimus. Turpilius Pedio: Quando equidem amorem intercapedine ipſa leniuit dies; id eſt, ipſum tempus. Pacuuius Duloreſte: Gnatam deſpondit: nuptiis hanc dat diem. Virgilius Aen. lib. 2. Ergo dies infanda aderat mihi ſacra parari.* Haec Nonius: verum haec fortaſſe licentia tribuitur poetis; quorum teſtimonio vſus eſt.

Apud Pompeium cenaui] *Cenare apud aliquem*, interdum eſt et eius domi, et cum eo cenare: quod hic locus oſtendit, et ille epiſt. 9. *Cenauit apud me in mei generi Craſſipedis hortis.* Interdum autem, eius quidem domi, non autem cum eo cenare: vt lib. 4. ad Attic. epiſt. 12. *Poſtridie Kal. cena apud me cum Pilia. Apud me*, inquit, id eſt, domi meae: quamquam ipſe abeſſet. Cenarum vſus non idem ſemper apud veteres fuit. Primum, cibus meridie ſumptus *cena* vocabatur, veſperi *veſperna:* poſtea meridianus cibus, quem non ordinarium fuiſſe e Celſo conſtat, *prandium* appellatum, veſpertinus autem *cena.* de quo ſic Feſtus: *Cena apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium; veſperna, quam nunc cenam appellamus.* Et alio loco: *Veſperna apud Plautum cena intelligitur.* Et Iſidorus lib. 20. c. 2. *Eſt etiam cena veſpertinus cibus, quam veſpertinam antiqui dicebant.* in vſu enim non erant prandia. *Merendam* veteres dixiſſe pro prandio, quod ſcilicet medio die caperetur, auctor eſt Feſtus. Nonius autem: *Merenda cibus eſt, qui poſt meridiem datur.* Idem Iſidorus: *Merenda eſt cibus, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edenda, et proximo cenae: vnde et antecena a quibusdam vocatur: item merendare, quaſi meridie edere.* Sed Feſtus de priſcis temporibus loquitur, cum *merenda* fuit pro prandio; Nonius de ſuis, cum inter prandium et cenam merenda in vſu eſſet; qui mos hodieque retinetur. Quinquies igitur quotidie capi ſolitum eſſe cibum, quod a paucis tamen factum exiſtimo, animaduertitur; mane, quod *ientaculum* dixere; meridie, *prandium;* poſt meridiem, *merendam;* veſperi, *cenam;* poſt cenam, *commiſſationem.* ſolae cenae quotidie in vſu fuere: prandia nec, vt opinor, apud omnes, (de Romanis loquor) et aeſtate potius, quam hieme: quod Celſus lib. 4. et 7. docet.

Honestissimus] Eo enim die senatus voluntas Lentulo reconciliata videbatur. itaque, quod in prosperis rebus plus habet auctoritatis oratio nostra, quam in aduersis; propterea magis idoneum, quam vmquam antea, tempus illud Cicero iudicauit cum Pompeio colloquendi.

Cum illo locutus] Qui scribunt, *loquutus*, potius quam, *locutus*, contra Prisciani auctoritatem faciunt. is enim lib. 1. *Q in quibusdam participiis transfertur in C, vt sequor secutus, loquor locutus.*

Hominis] Sic saepe veteres loquebantur, cum indicare vellent eum ipsum, quem antea nominarant. lib. 3. epist. 1. *Valde hominem diligo.* Et lib. 2. in Ver. c. 20. *Nostis os hominis.*

Suspicione cupiditatis] Orta ex concursatione, et contentione Libonis, et Hypsaei, omniumque eius familiarium studio. epist. 1.

Omnium ordinum] Dixi iam, constare ciuitatem e tribus ordinibus.

Iampridem] Multo ante, quam profectus es. epist. 1.

Certis hominibus] Intimis, ac domesticis Pompeii.

Non inuito rege ipso] *Ab ipso rege*, dixit epist. 1.

Corruptam] Ne putemus, corruptum Pompeium significari, quem liberauit iam omni suspicione cupiditatis: sed hoc in eius familiares confertur.

Ad XVI. Kal. Febr.] Ergo, pridie fuerat, XVII. Kal. quo die sententias esse dictas ostendit. at nunc qui dies in Ianuario mense post idus sequitur, est XIX. Kal. Febr. non XVII. quo ne moueamur, sciendum est, Ianuarium tunc habuisse tantum XXIX. dies, Numae regis instituto, qui annum Lunae cursu dimetitus est. Caesar autem dictator annum ad cursum Solis accommodauit, binis diebus in Ianuarium, Sextilem, Decembrem insertis; vt tricenos singulos haberent dies, qui XXIX. tantum habuerant. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 14. Suetonius in Iulio c. 40. alii.

Perfidia et iniquitate] Perfidia, inuidorum; iniquitate, inimicorum.

Popularem rationem] A populo magis in regia causa, quam ab senatu, timendum erit. nam Cato, et Caninius, tribuni plebis, male erant erga Lentulum animati: et Cato rogationem postea promulgauit, vt imperium Lentulo abrogaretur: Caninius alteram legem, vt Pompeius cum duobus legatis regem reduceret. epist. 5. Plutarchus in Pompeio.

Agi cum populo] A tribunis plebis. *Agere cum populo*, est, vt Messalla docet apud Gellium lib. 13. c. 15. *rogare populum, quod suffragiis suis aut iubeat, aut vetet.* Festus autem, *cum populo*, inquit, *agere est, populum ad concilium, aut comitia vocare.* Quod eodem spectat. non enim populus aut ad concilium, aut ad comitia vocabatur, nisi vt suffragiis vel iuberet aliquid, vel vetaret.

Saluis auspiciis] Genus illud auspiciorum, quod, *seruare de caelo*, dicebatur, significat. neque enim lex ferri, aut omnino agi cum populo poterat eo die, quo magistratus de caelo seruaret: quae *spectio* vocabatur: eoque auspiciorum genere non augures, sed magistra-

gistratus, non modo maiores, verum etiam minores vtebantur. Impedire actiones tribunicias vel ope magistratus, qui comitialibus diebus de caelo seruaret, Cicero cogitabat; vel, si lex ferretur, alicuius tribuni plebis intercessione: propterea subiungit, *aut saluis legibus:* nam intercessioni parendum legibus erat. Nihil, inquit, a populo timendum: si modo auspicia, aut leges valebunt: quae stante republica valeant, necesse est. Haec duo legis impediendae genera nominantur in oratione pro Sextio c. 36. *Victa est caussa reipublicae, et victa, non auspiciis, non intercessione, non suffragiis: sed vi, manu, ferro.* Et Phil. 1. c. 10. *Quaerunt, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, patres conscripti, bonis tribunis plebis, leges, malas metuat. paratos habemus, qui intercedant: paratos, qui rempublicam religione defendant.* Religionis enim nomine auspicia magistratuum significat. Habebat autem Cicero sui studiosissimos ex collegio tribunorum, quos vel ad seruandum de caelo, vel ad intercedendum facile posset adducere, Racilium, et Plancium. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1.

Aut denique sine vi] Cur hoc tertium addit? Vt ostendat, si tribunos plebis nec auspicia, nec intercessio deterreat, populum tamen ipsum nouas leges non esse probaturum. itaque, praeter vim, qua tribuni plebis nonnumquam in ferendis legibus vtebantur, nihil timendum. De hac ipsa vi sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2 *Suspicor, per vim rogationem Caninium perlaturum.* De eadem, et simul de populi studio erga Lentulum, epist. 4. *Ego tibi a vi, hac praesertim imbecillitate magistratuum, praestare nihil possum: vi excepta, possum confirmare, te, et senatus, et populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum.* Vis autem illa significatur, cum seditiosi tribuni plebis, vt suas rogationes perferrent, eam populi partem, quae bene de republica sentire videbatur, armis foro excluderent, operas autem ad suffragia ferenda inducerent. Describitur haec vis cum in aliis orationibus, tum in Phil. 1. c. 10. his verbis: *Forum sepietur: omnes claudentur aditus: armati in praesidiis multis locis collocabuntur.*

De his rebus] Vt omnino tribuni plebis nihil agere cum populo possent, quod Lentuli dignitatem imminueret.

Pridie] XVII. Kal. Febr. quo die breuiter in senatu sententiae dictae sunt.

Senatus auctoritas] Cum senatus legitimus, id est, quo loco, quo die, quo numero, a quo magistratu oporteret, habitus, aliquid vel de publica, vel de priuata re decreuerat; tum si ex collegio tribunorum plebis nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat, et senatus consultum dicebatur; eoque nomine inscriptum publicis tabulis consignabatur: sin autem vel senatus non legitimus aliquid decreuerat, vel tribunus plebis intercesserat; infirmum, ac prorsus irritum decretum illud erat, nec senatus consultum, sed senatus auctoritas vocabatur: propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur. testis Liuius lib. 4. c. 57. *Si quis*, inquit, *intercedat senatus consulto, auctoritate se fore contentum.*

tentum. Testis Dionis historia. nam cum Q. Cassius Longinus, et M. Antonius, tribuni plebis, intercederent, quo minus fieret senatus consultum de Caesare ex Gallia revocando; cumque senatus, Pompeio deditus, a Caesare alienus, propterea vestem, vt in aduersa tristique re, mutasset: tamen ne sic quidem factum esse senatus consultum, sed perscriptam sententiam esse, Dio lib. 41. significat. Idemque lib. 42. cum senatus consulto intercederent tribuni plebis, senatus tamen auctoritas perscripta est. Planissime autem lib. 55. his fere verbis: *Si quando aliquid senatus decreuisset, nec legitimus senatorum numerus affuisset; non inerat in eo vis senatus consulti, sed auctoritas senatus dicebatur, qua tantum constaret eorum, qui tunc affuissent, voluntas, et sententia. obseruatum idem est, cum vel senatus alieno loco, aut tempore, aut non legitimo edicto habitus esset, vel tribuni plebis intercessissent. impedito enim senatus consulto, exstare tamen senatus voluit sententiam suam.* Accedit Ciceronis testimonium in epist. 7. *Senatus consultum nullum exstat. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit; eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, vt ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, vt magistratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium, esse videatur.* Et ibidem paullo post: *Offensionem esse periculosam, propter interpositam auctoritatem, religionemque video.* Et lib. 5. ad Attic. epist. 2. *Nondum satis huc erat allatum, quo modo Caesar ferret de auctoritate perscripta.* Loquitur ibi Cicero de senatus consulto, ab intercedentibus Cassio, et Antonio, tribunis plebis impedito. quod ex Dione iam ostendimus. Nec dubito, quin de auctoritate perscripta, cum senatus decreto intercessum esset, Cicero significet lib. 3. de Leg. c. 3. *Ex quois senatus esto: eius decreta rata sunto. ast ni potestas par, maiorue prohibessit, senatus consulta perscripta seruanto.* Quae licet exempla satis hunc morem ostendant: vt dubitatio tamen omnis auferatur, adscribemus verba senatus consulti, quod Coelius inclusum epistolae ad Ciceronem misit lib. 8. epist. 8. *Si quis huic senatus consulto intercesserit; senatui placere, auctoritatem perscribi, et de ea re ad senatum, populumque referri.* Et in alio eiusdem senatus consulti capite: *Si quis huic senatus consulto intercessisset, auctoritas perscriberetur.* Huic opinioni locum aduersari Ciceronis in orat. pro Deiot. c. 4. aliquis fortasse dixerit. *Cum audiret,* inquit, *senatus consentientis auctoritate arma sumpta: consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam.* Senatus auctoritatem vocat in ea re, de qua senatus consultum esse factum, Caesar ostendit lib. 1. de bell. ciu. c. 5. *Decurritur,* inquit, *ad illud extremum, atque vltimum senatus consultum, quo, nisi paene in ipso vrbis incendio, atque desperatione omnium salutis, numquam ante descensum est:* DENT OPERAM CONSVLES, PRAETORES, TRIBVNI PLEBIS, QVIQVE PROCONSVLES SVNT AD VRBEM, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPIAT.

Haec

Haec senatus consulto perscribuntur ad VII. Id. Ian. Hoc argumentum duplici ratione refellitur: vel quod, cum senatus consultum illud contra Caesarem belli ciuilis initio factum esset; nec tribunis plebis, ad intercedendum paratis, locus esset; non auderet Cicero, ad Caesarem, iam omnia tenentem, pro Deiotaro reo supplici ter agens, senatus consultum appellare: praesertim cum sciat, si tribunis plebis Antonio, et Cassio intercedere licuisset, quod Pompeianorum factione non licuit, senatus consultum esse non potuisse. itaque sapienter, tempori, caussaeque seruiens odiosum Caesari vocabulum Cicero vitauit, a quo salutem Deiotari regis impetrare cupiebat. Altera est ratio, mihi quidem valde probata, quod senatus auctoritas non semper decretum illud significat, quod ne senatus consulti vim et nomen haberet, intercessione fiebat: sed vbi nulla intercessionis mentio fit, pro ipso accipitur senatus consulto, vt in orat. in Pisonem c. 21. *Quam prouinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum et auctoritate senatus, et sorte haberet, depossuisset.* Significat enim a Lentulo depositam Ptolemaei regis reductionem, quam ei senatus consulto esse mandatam, et supra demonstratum est. Et in ea pro domo c. 37. *Ex senatus auctoritate, et senatum, et omnes bonos, meae salutis caussa, mutata veste vidi.* Senatus auctoritatem appellat, cum tamen senatus consultum de mutanda veste factum esset: quod ex oratione pro Sextio c. 11. seqq. cognoscitur. In Vatinium c. 15. *Ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo vmquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur?* Quis non intelligit, *ex eius ordinis auctoritate*, pro, ex senatus consulto dictum esse? cum paullo post sequatur: *Quis legatos vmquam audivit sine senatus consulto? ante te nemo.* Ergo, *senatus consentientis auctoritate*, idem valet, quod vniuerso approbante senatu, decreto senatus vniuersi.

Intercessit ERN. *Interceserat*] *Intercedere*, modo est impedire, vt infra: *cui cum Cato, et Caninius intercessissent, tamen est perscripta:* modo interuenire, vt hic, et lib. 15. epist. 2. *Cum vestra auctoritas intercessisset, vt ego regem Ariobarzanem, Eusebem et Philoromaeum tuerer.* Et epist. 4. eiusdem libri: *Studui quam ornatissima senatus, populique Romani de me iudicia intercedere.* Eodem sensu dixit Coelius lib. 8. epist. 6. *Significatio vlla si interseserit; clarius, quam deceat, aut expediat, fiat.* Et lib. 2. in Ver. c. 16. *Cum imperatoris populi Romani auctoritas, legatorum decem, summorum hominum, dignitas, senatus consultum intercederet.*

Intercessissent] Impediissent, ne senatus consultum fieret. ideo senatus auctoritas, senatus consulto impedito perscripta est. *intercedere* enim, proprie tribunorum plebis fuit. quamquam participes eius fuisse potestatis omnes, qui eadem potestate, qua ii, qui senatus consultum facere vellent, maioreue essent, docet Gellius ex Varrone lib. 14. c. 7.

De ceteris rebus] A negotio transit ad officium: id quod, absoluta narratione, vel ad augendam eius,

eius, ad quem scribitur, spem, vel ad leniendum dolorem valere plurimum solet. *Ceteris rebus*, dixit, non quaecumque ad Lentulum, sed iis, quae ad regis reductionem pertinere viderentur.

Cura, opera, diligentia, gratia] Quia neque cura sine opera, nec opera sine diligentia sufficit, ideo coniungit haec tria. rursus, quod haec simul omnia, nisi accedat gratia, valde non proficiunt; gratiam adiungit: aeque ac si dicat: *quicquid gratia valebo, valebo tibi.*

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Commendaticiae litterae pertinent ad morale genus. non enim a gesta, gerendaue re sumitur argumentum; sed ea scribuntur, quae magna ex parte suadet humanitas, quaeque in commendando plurimum habere ponderis existimamus. Perfecta autem commendatio tribus fere constat partibus. nam et amicitia cum eo, qui commendatur, et rei aequitas, et studium nostrum ostenditur. Hic amicitia cum Trebonio declaratur in eo loco: multos annos vtor valde familiariter: *rei aequitas in eo:* quae T. Ampius de eius re decreuit: *studium commendantis in clausula:* vt intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse.

EXPLANATIO.

A. *Trebonio*] Non dubito, quin fuerit equestris ordinis. nam negotiari senatoribus non modo turpe fuit, verum etiam veteri lege non licuit. Liuius lib. 21. c. 63. *Q. Claudius tribunus plebis aduersus senatum, vno Patrum adiuuante C. Flaminio, tulerat, ne quis senator, cuiue senator pater fuisset, maritimam nauem, quae plus, quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos.* Praeterea, splendoris mentio pertinere ad equitem videtur.

Prouincia] Cilicia.

Magna] Iure igitur a me commendatur.

Ampla] Multis in locis: nam, si vno loco essent, minus esset necessaria commendatio. Saepe ad rei magnitudinem additur amplitudo, vt lib. 6. epist. 7. *Quamquam id magnum et amplum est.* Lib. 1. de Inuent. c. 5. *Magna et ampla pars.* Pro Sextio c. 2. *Non aggrediar ad illa maxima atque amplissima.*

Expedita] Impedita enim, ne tibi molestiam afferrem, haud libenter tibi commendarem.

Multos annos vtor valde familiariter] Vsus commendationis est caussa. quo enim vtimur, eum commendare debemus: sed, si hoc accedit, vt et multos annos, et valde familiariter vtamur; officio non solum iusto, verum etiam prope necessario ad commendandum impellimur.

Suo splendore] Saepe *splendorem* Cicero tribuit equitibus Romanis, vt lib. 12. epist. 26. *Magnam ex eorum splendore et obser-*

vantia

vantia capies voluptatem. et epist. 27. eiusdem libri: *Sex. Aufidius splendore equiti Romano nemini cedit.* In orat. pro Roscio Amer. c. 48. *equestrem splendorem* nominat. Est autem *splendor* in equite, dignitas non ex aliquo magistratu parta, sed ex ipso ordine, qui fuit in ciuitate honestissimus. probatur ipso interprete Cicerone: cuius haec sunt in orat. pro Coelio c. 2. *Obiectus est pater variè, quod aut parum splendidè ipse, aut parum pie tractatus a filio diceretur. De dignitate, Coelius notis ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus, facile ipse respondet. De dignitate* dixit, cum ad illud, *parum splendidus*, responderet. ex quo apparet, splendorem, et dignitatem in equite idem esse.

Ceterorum] Bonus igitur vir, qui abundet amicis.

Gratiosissimus ERN. *Gratissimus in prouincia fuit*] Ne me putes ignotum hominem tibi commendare. Malim, *gratiosissimus:* cum sequatur, *se apud te gratiosum fore:* nec omnino loquendi modus placeat, *gratum esse aliquem in prouincia.* significat autem, apud eos potius, qui prouinciae praefuerunt, gratiosissimum fuisse, quam apud prouinciales, priuatique iuris homines.

Tuum in me amorem] Omnibus notissimum et beneficii tui magnitudine, et nouitate meorum temporum.

Nostramque necessitudinem] Mutuus amor ostenditur, nec sine caussa. hoc enim significat: quia tu me amas, Trebonius futurum sperat, vt id, quod cupio, consequar: quia vero ego te vicissim amo, dignum esse me, qui hoc impetrem, arbitratur.

Libertos, procuratores, familiam] Apparet, id quod Cicero dixit, magna fuisse, et ampla Trebonii negotia: cum ea liberti, procuratores, serui tractarent. sic lib. 12. epist. 29. *Tantum velim existimes, si negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam quibuscumque rebus opus erit, defenderis, etc.* Liberti, vt meliore, quam serui, iure sunt, cum ciuitatem adipiscantur; sic deteriore, quam ingenui, cum honores non capiant. sunt autem vel singulorum hominum, quibus antea seruiebant, vel societatum, vel fanorum, vel opidorum beneficio liberati. si singulorum, ab iis praenomen, et nomen sumebant, retento seruili nomine, quod post manumissionem tertio loco quasi cognomen ponebatur, vt *M. Tullius Tiro:* si societatum, earum nominibus vtebantur, *Asiatici, Siculiue liberti,* vocati: si fanorum, ab iis apellabantur, vt *Venerii, Mercuriales, Capitolini:* si opidorum, ab iis quoque, vt *a Faventia Fauentini, a Reate Reatini.* Romae mos antiquus immutatus est: nam cum liberti Romani dicti essent, ad similitudinem libertorum municipalium, postea magistratus nomina, qui eos liberaret, acceperunt: in seruis tamen publicis, quae in libertis est amissa, vetus appellatio mansit: semper enim dicti sunt, publici serui Romani. Hac tota de re M. Varro, sed obscure satis, nos tamquam interpretes, quam planissime fieri potuit, eius doctrinam studuimus explicare. *Procuratores* vocat, vicarios iuris sui: *familiam,* seruos, vt in Bruto c. 22. *Cum in silua Sila facta caedes*

des esset, notique homines interfecti, insimularetur que familia, partim etiam liberi, societatis eius etc.

T. Ampius] Qui ante Lentulum Ciliciae praefuerat, praetorius, non consularis. *T. Ampium* tribunum plebis nominat Velleius lib. 2. c. 40. qui cum T. Labieno collega legem tulit, Cicerone consule, vt Pompeius, post victoriam Mithridaticam, ludis Circensibus corona aurea, et omni cultu triumphantium vteretur, scenicis autem praetexta, coronaque aurea. Inter tribunatum autem, et praeturam cum anni quattuor interfint, praetor fuisse videtur Pisone et Gabinio coss. id est, quadriennio post Ciceronem consulem, et anno sequenti, Lentulo et Metello coss. iuit in Ciliciam: eique postero anno Lentulus, Marcellino et Philippo coss. successit. itaque ratio temporum probare videtur, Ampium, qui Ciliciae praefuit ante Lentulum, eum esse, quem nominat Velleius. Nec tamen eum negauerim esse posse, qui ciuili bello delectum habuit pro Pompeio, vt lib. 8. ad Attic. epist. 11. et ad quem exsulem epistolae Ciceronis exstant lib. 6. et lib. 10. Caesar quoque Pompeianum indicat fuisse lib. 3. de bell. ciu. c. 105. cum ait: *Reperiebat, T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianae, eiusque rei caussa senatores omnes ex prouincia vocasse, vt, iis testibus, summa pecuniae vteretur, sed interpellatum aduentu Caesaris profugisse.* Legebatur olim in vulgatis libris, *T. Appius*, mendo manifesto: quia duo praenomina simul esse non possunt, ideo reposuimus, coniecturam secuti, *T. Ampius:* quam postea coniecturam veteres aliquot libri comprobarunt. Mediceus tamen, et alii nonnulli, *Tampius:* quod reprehendere non ausim, cum Tampiorum quoque familiam Romae fuisse videam.

Non vulgarem] Non quo genere vulgo vtimur in iis commendandis, quorum caussa minimum laboramus, verum accuratam, exquisitam, amoris, ac studii plenam.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Negotialis est vsque ad illud: ego neque de meo studio. *Narrat, quid actum in senatu, quid promiserint tribuni plebis, quae sit opinio populi Romani, qua senatus in eum voluntate: quod ad popularem rationem attinet, nihil timendum, vi tamen excepta: suum studium in regia caussa, aliorum iniurias, magistratuum imbecillitatem ostendit: postremo de senatu, populoque Romano spem optimam affert.*

EXPLANATIO.

A. d. XVI. *Kal. Febr.*] Continuo triduo, idibus, XVII. et XVI. Kal. actum est in senatu de reductione regis. comitialis dies fuit, quo hanc epistolam Cicero scripsit, XV. Kal. vt ex lib. 2. ad Q. Fr. epist.

epist. 2. cognoscitur. iis tribus diebus cur nihil sit confectum, variae quidem obstitere causſae, sed vno nomine omnes, nimirum tribunorum plebis iniquitate, comprehenduntur. nam idibus Caninius tribunus plebis eousque cum Lentulo consule altercatus est, vt diem consumpserit. XVII. Kal. ne discessio fieret in Hortensii sententiam, quae Lentulo decernebat, vt regem reduceret; Lupi tribuni plebis iniqua, et noua prohibuit oratio. XVI. Kal. res ab aduersariis Lentuli, id est, a tribunis plebis extracta est variis calumniis.

Pulcherrime] Honestissime, perhonorifice.

Staremus] Translatio a pugnantibus, qui *stare* tunc dicuntur, cum eum, quem cepere, locum obtinent: quod fortitudinis est.

De tribus legatis] Priuatis: qua sententia Lentulus, et Pompeius excludebantur, qui erant cum imperio.

Fregeramus] Pergit in translatione. nam, frangere impetus adversarii, de pugnantibus vsurpatur. significat, quod in epist. 2. dictum est: *de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia.*

Certamen] Tertium, et vltimum translationis verbum; longius autem producta, similitudo potius, quam translatio, videretur.

Sententia Volcatii] Vt Pompeius regem reduceret: de quo Lupus tribunus plebis retulerat.

Aduersariis] Praesertim tribunis plebis, de quibus infra: *Nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum: qui nunc, populi nomine, re autem vera, sceleratissimo latrocinio, si quae conabuntur agere, satis prouisum est, etc.*

Variis calumniis] Senatores cum eam rem, de qua sententiam rogabantur, perfici nollent, longa oratione, vt diem consumerent vtebantur. ius enim erat, vt sententiam rogati, dicerent ante, quidquid vellent alius rei, et quoad vellent. quod in libro de officio senatorum Capito scriptum reliquit. Hac igitur potestate, improbo, astutoque consilio rem extraxerunt Lentuli aduersarii, cum alius alia diceret, vt diem eximerent: quod est factum. *Varias calumnias* vocat Cicero varias causſas ficte inductas, varia figmenta, cum nihil verum, nihil ex animo loquerentur, sed tantum vt rem ducerent, diemque dicendo extraherent. sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est.*

Frequenti senatu] Cum adessent plurimi senatores. Plures quadringentis in senatu affuisse, bis omnino, vt mea memoria est, legi; CDX. in orat. post reditum in senatu c. 10. CDXV. lib. 1. ad Attic. epist. 14.

In magna varietate] Sic tres mei, sic et vnus Alberti Ferri, optimi eruditique adolescentis, et duo praeterea Sigonii veteres libri. Varietatem autem sententiarum dicit. hoc enim in primis honorificum, in magna varietate, magnaque inuidia, causſam tamen obtinere. in quo suum officium tacite Cicero commendat. quis enim nescit, operam officiumque nostrum laudari magis, vbi quid obtinemus in magna sententiarum varietate, quam si varietas non magna sit? Sententias quinque varie decernentium exposuit in prima epistola; Hortensii,

tensii, de reductione regis vni Lentulo mandanda; Crassi, de tribus legatis, etiam ex iis, qui cum imperio essent; Bibuli, de tribus item legatis, sed ex iis tantum, qui privati essent; Seruilii, ne rex reduceretur; Volcatii, vt reduceretur a Pompeio. Vt magnam fuisse varietatem sententiarum necesse sit, vbi Lentulo consulares quattuor, Crassus, Bibulus, Seruilius, Volcatius, aduersarentur, in qua tamen varietate caussam Lentulus obtinuisset, nisi variis calumniis ab eius aduersariis extracta res esset. Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Inuidia] Consularium: de quibus in epist. 1. *Si esset in iis fides.* In 2. *In tanta hominum perfidia.* In 5. *Eandem fidem hominum.* Et ibidem: *Si quid hominum perfidia detraxerit.* Et in extremo: *Amicum ex consularibus neminem tibi esse video.* In 6. *Proditores* appellat. In 7. *Vehementer quosdam homines inuidisse dignitati tuae.* Ibidem: *De consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis.* Aliquanto post: *Esse te in principibus facile sunt passi, euolare altius certe noluerunt.*

Alio] Ad alios: cum quidam soli Pompeio caussam regiam deferri vellent; alii aliter sentirent.

Acerbum] Acerem aduersarium: quod ante eum diem non contigerat. non tamen vni Lentulo, sed Pompeio pariter acerbum fuisse arbitror: oderat enim pessime socerum Pompeii C. Caesarem, vt Suetonius in Iulio c. 52. ostendit: quare Caesaris potentiam augenti quotidie Pompeio non amicum fuisse verisimile videtur. et eum Pompeius ipse suum esse obtrectatorem aiebat, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3.

Curionem] C. Scribonium Curionem, consularem, et triumphalem, patrem eius, ad quem epistolae mittuntur lib. 2.

Iustiorem, paene etiam amicum] Huius mutationis illa Bibulo caussa fuit, quod, cum ipse de tribus legatis obtinere non potuisset, malebat Lentulo rem deferri, quam Pompeio, quem Caesaris, inimicissimi sui, generum, fautoremque et amplificatorem dignitatis, ornari non libenter videbat.

Legem vllam] Quod fautores Lentuli timebant. ideo subiunxit: *Satis prouisum est, vt ne quid salvis auspiciis, aut legibus, aut iam sine vi agere possint.* Et epist. 2.

Ante comitia] Ante Sextilem mensem, quo designabantur magistratus, maiores centuriatis comitiis, minores tributis.

Laturos] Cato tamen ferre conatus est: promulgauit enim, vt Lentulo Ciliciae imperium abrogaretur. epist. 5.

Legem Pupiam] Quae comitialibus diebus haberi senatum vetabat. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat.* Et epist. 13. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kal. Febr. vsque ad Kal. Mart. legatis senatum quotidie dari.*

Perfectis] Auditis, et, dato responso, remissis.

Legationibus] Quibus dari senatum, lex Gabinia iubebat.

Fictae

Fictae religionis] Non enim eos religio mouebat: sed specie religionis maleuolentiam suam tegebant. *Religionis calumnia* vocatur in epist. 1.

Vellet ire] Adempto enim exercitu, nemo ire vellet: cum Alexandrinos, nisi cogerentur armis, regem non esse recepturos constaret.

Ab senatu] Non enim senatus, sed aduersariorum tuorum culpa, ne discessio fieret, commissum est.

Qui nunc] His comitialibus diebus: quorum primus erat XV. Kal. Febr. quo die scripta est epistola. quae enim acta erant in senatu, postero die significat, vt etiam epist. 2. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Populi ERN. *Populi Romani nomine*] Populi Romani caussam tueri, tribunorum plebis erat. sed eo saepe nomine abutentes, rogationes iniquissimas, maleuolentiae et inuidiae caussa, ferebant.

Latrocinio] Quod per insidias, vt latrones, ficto populi Romani nomine, rempublicam laedebant. Sic in epist. 2. ad Q. Fr. *Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non diuino.*

Saluis auspiciis] Ne iterentur eadem, vide quae diximus epist. 2.

Ego neque de meo studio] Modesta commemoratio studii sui. nam et dissimulat, et narrat. significandis autem aliorum iniuriis, ex comparatione auget officium suum.

Profundam] Translatione ab aquis. lib. 5. epist. 5. *Quae ego si non profudere, ac perdere videbor.*

Assecutus] *Assequi merita*, est aequare, et paribus meritis remunerari: translatione a viatoribus, vel a currentibus, cum assequuntur eos, qui anteibant. lib. 6. epist. 4. *Beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar.*

Sine summo dolore] Artificiose: nam et beneuolentiam suam declarat, et consolatur etiam societate doloris. lib. 4. epist. 4. 5.

A vi praestare nihil possum] Si vis erit, certi nihil promitto. Alibi, *praestare*, est, re ipsa efficere; hic, certum polliceri, prorsus futurum affirmare, atque in se recipere. lib. 12. ad Attic. epist. 32. *Praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messalam, quos Athenis futuros audio, maiores sumtus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur.* Timebat, ne Caninius rogationem aliquam pro Pompeio contra Lentulum per vim ferret. epist. 2. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Imbecillitate] Cum aduersus vim fortitudo requiratur.

Populi Romani] Quem in Lentulum optime animatum esse iam ostendit iis verbis: *Haec tamen opinio est populi Romani.*

Amplitudinem tuam] Latius patet *amplitudo*, quam aut *dignitas*, aut *auctoritas*. nam et quantumcumque, et quacumque re valemus, totum id *amplitudinis* nomine comprehenditur. interdum tamen, vt in epistola sequenti, cum dignitatis mentione coniungitur; non vt aliquid addatur, sed vt id nominetur, quod in amplitudine praecipuum est. Definitur his verbis lib. 2. de Inuent. c. 55. *Amplitudo, est potentiae, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.*

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Mista est ex negotialibus, moralibusque sententiis: sed, si caussa, cur scripta sit, animaduertatur; negotialis est. interdum autem negotii narrationem antecedit, saepe sequitur officii significatio: quod in his ad Lentulum epistolis perspicuum est. Scribit de C. Catonis lege promulgata, de statu regiae caussae, de suo, Seliciique consilio.

EXPLANATIO.

Afficior summo dolore] Non enim tam laetor officio meo, quam angor incommodo rerum tuarum.

In tua dignitate] De qua agitur in regia caussa.

In mea salute] Cum ab amicis proditus in exsulium abii.

Nos cum] Morali parte, quam breuitas decet, absoluta, negotialem aggreditur.

Exorta est] Praeter exspectationem: quia Cato et Caninius negaverant, se vllam legem ante comitia esse laturos.

Catonis] Quem Lentulus acerbissimum habuit ab initio tribunatus, turbulentum adolescentem, vt ait Feneſtella, et audacem, nec imparatum ad dicendum. Cicero autem lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato, vix viuus effugit.*

Promulgatio] Vt Lentulus e Cilicia reuocaretur. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Cato legem promulgauit de imperio Lentulo abrogando. vestitum filius mutauit.* Promulgari leges solitae sunt per trinas nundinas antequam ferrentur; vt posset eas per otium, qui vellet, examinare; ne repente, quo die lex ferretur, de incognita re suffragium populus ferret. de quo diximus in libro de Legibus.

A minore cura ad summum timorem] Multo enim leuius est, curare, vt aliquid accedat ad dignitatem, quod ex regia caussa sperabatur; quam timere, ne tota dignitas amittatur, quod ex lege Catonis impendebat.

Perfidiam] Si enim in officio manserint amici, qui suam nobis operam ad impediendas tribunorum plebis rogationes polliciti sunt, nihil timemus. Epist. 2. *Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, vt ne quid agi cum populo, aut saluis auspiciis, aut saluis legibus, aut denique sine vi possit.* Idem epist. 4

Quoquo modo] Difficili enim loco res est.

Profecto] Coniunguntur, *quidem profecto, quidem certe*, cum id, quod cupimus, imminuitur: vt *ego te ista molestia si non liberabo, levabo quidem certe.* et hic: ex promulgata lege nihil magis, quam perfidiam timemus: Catoni quidem interim, quamquam inclinata re, profecto resistimus: enitimur enim, quantum in nobis est, ne lex a Catone promulgata perferatur.

De Alexandrina re, caussaque regia] In quo *res*, et *caussa* differant, satis ostendimus epist. 1. In-

fra

fra quoque coniunguntur epist. 7. *In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillime optimeque perspicies.*

Eripiatur] Vt Pompeius regem reducat. sequitur enim paullo post: *Ad quem prope tam delatum existimatur.* Ante aliquot annos, *caussa regia*, sustuli, vt glossema.

Deferatur] Ne quis omnino regem reducat: quod et Seruilio placebat, vt epist. 1. et postea decretum est a senatu, vt epist. 7.

Quiddam tertium] Quid hoc sit, plane non exponit: sed videtur significare: si Lentulus regem non reducat, neque sibi, neque Selicio displicere, vt a quouis alio potius, quam a Pompeio, reducatur. Minus autem est, non displicere, quam placere: non enim omnino placet, quod non displicet. placebat Ciceroni, vt Lentulus regem reduceret; id si obtineri non posset, a quouis alio potius, quam a Pompeio, reduci non displicebat.

Iacere] A nemine restitui. ne caussa regia deferatur, proxime dixit: infra coniungit vtrumque verbum, *defertum se, atque abiectum fore.*

Nobis repugnantibus] Primum pugnabimus, vt ad te deferatur: sin id non poterit, ne deferatur ad Pompeium, repugnabimus.

Delatum] Ex Volcatii sententia, studio maxime duorum tribunorum, Lupi, et Caninii. epist. 1. 2.

Repulsi] Pertinet ad illud tertium, quod sibi non displicere dixit: rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulsam tulisse videretur; sin, vtroque reiecto, alia quapiam ratione reduceretur, iacturam existimationis suae Lentulus in eo nullam faceret.

Tuae sapientiae] Hoc eo spectat, ne Lentulus admodum speret de rege reducendo. Est autem ea gratior consolatio, quae cum laude coniungitur. itaque dat ei sapientiam et fortitudinem: quarum altera iudicat, quanti quidque faciendum sit; altera, quidquid accidat aduersi, facile fert, atque contemnit. propterea, cum lib. 4. epist 13. Nigidium quoque consolaretur, admonet eum vtriusque virtutis. *Quid sit*, inquit, *forti, et sapienti homine dignum, tu videbis.* Eandem Lentulo tribuit animi magnitudinem epist. 7. cum ait: *Magnitudinem animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperque amaui, ne vmquam inflectas cuiusquam iniuria.* Et epist. 9. *Noui animum tuum, cum magnum, et excelsum, tum etiam apertum, et simplicem.* Et in lib. de clar. orat. c. 77. *Tantus* (in Lentulo) *animi splendor, et tanta magnitudo, vt sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adscscere, eaque omni dignitate obtineret.* Vtrumque simul nominauit lib. 6. epist. 11. *Est tuae sapientiae, magnitudinisque animi, quid amiseris, obliuisci; quid recuperaris, cogitare.*

Amplitudinem et dignitatem tuam] Modo alteram pro altera ponit, vt epist. 4. *Te et senatus, et populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum:* modo coniungit vtramque, quasi differant, vt hic, et epist. 9. in extremo: *Illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem pertinere.* Videtur autem dignitas amplitudinis esse pars: ideo, qui amplitudinem vel solam nominat, dignitatem non excludit.

Rebus gestis] In consulatu, cum me contra legem Clodiam, patriae compotem fecisti. epist. 7. *Magna est memoria consulatus tui.* et epist. 9. *Illius actionis amplitudinem, et gloriam.* Vel *rebus gestis*, quas in prouincia geres, vt haec adhortatio potius, quam laudatio sit; quod iis verbis confirmatur epist. 7. *Haec profecto vides, quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis accesserit.*

Grauitate] Est enim leuitatis, ea curare, quae non veram solidamque laudem, sed fucatam inanemque pariant. tacite, quidquid eueniat in regia caussa, non esse Lentulo vehementer laborandum significat.

Positam existimare] Non in reductione regis.

Fortuna] Non enim, quae habes a te ipso, virtutem, et grauitatem tibi quisquam detrahet: cetera si amiseris, non tibi, sed iis, quorum amittentur culpa, vitio dabitur. Videtur in fortunae bonis numerare speciem quandam dignitatis, non a virtute, et grauitate, sed ab honoribus qui deferuntur, id est, a populari sensu profectam. Vide quae diximus lib. 2. epist. 3.

Largita est] Copia significatur: quo Lentulus aequiore animo ferat, si, quibus rebus abundat, de iis aliquid detrahatur.

Fraudi] Culpae. lib. 5. ad Attic. epist. vlt. *Fit gratia Bruti senatus consultum,* VT NE VE SALAMINIIS, NE VE QVI EIS DEDISSET, FRAVDI ESSET. Pro Murena c. 35. *Id erit eius vitrico fraudi aut crimini?*

Nullum tempus praetermittitur de tuis rebus et agendi, et cogitandi] Vbicumque res postulat, et agó de te, et cogito. simile illud ad Cassium lib. 12. epist. 1. *Finem nullam facio de te cogitandi.*

Prudentiorem] Nominat, quae tria maxime requiruntur in amico, consilium, fidem, beneuolentiam.

Hic quae agantur] Disiungendum a superioribus, vt sit alia epistola; quod ex ipso cognoscitur argumento: dixit enim in superiore, prope delatum esse regem ad Pompeium: in hac, Alexandrinam caussam ab eo depositam, significat. praeterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat epistolam: *tu fac animo forti, magnoque fis:* cum eum iam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco sit: *tuae sapientiae, magnitudinisque animi est?* Et omnino cum tota res alia videtur: tum agnoscitur epistolae principium in his verbis: *Hic quae agantur, quaeque acta sint, ea te, etc.*

Quae autem posita sunt in coniectura] Quae coniectura licet assequi: quae possunt e signis diuinari. *Coniectura*, et *diuinatio*, non idem sunt. nam *coniectura* ducitur e signis, *diuinatio* saepe signa non sequitur. ita fit, vt omnis coniectura diuinatio sit, non contra.

Quaeque mihi videntur fore] Transit a generali sententia ad particularem. nam generale illud est, *quae posita sunt in coniectura:* particulare hoc, *quae mihi videntur fore.*

Apud populum] Populus de reis iudicabat, accusante tribuno plebis, aut aedili. Aedilis autem hoc anno P. Clodius Milonem de vi ad populum accusauit. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. et in orat. pro Sext. c. 44.

Conuicio] Cum enim Clodius de loco superiore (vt ait Plutarchus) interro-

interrogaret suos in concione stantes, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operae, Pompeius; quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad conuicium impetus accessit: nam in orat. pro Milone c. 15. *Quid?* inquit, *privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam caussa illius opprimendi fuit?* Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Hora fere nona, quasi signo dato, Clodiani nostros conspu tare coeperunt. Exarsit dolor, vrgere illi, vt loco nos mouerent.*

Iactatus est] Exagitatus, vehementer perculsus.

Catone] C. Catone tribuno plebis, de quo supra.

Vehementer esse perturbatus] Non tam, quod aspere et acerbe accusatus esset a Catone, quam quod senatorum omnium magno silentio. hac de re sic lib. 2. ad Q. Fr. epist 3. *Eo die Cato est vehementer in Pompeium inuectus, et eum oratione perpetua, tamquam reum, accusavit. De me multa, me inuito, cum mea summa laude, dixit. Cum illius in me perfidiam increparet, auditus est magno silentio maleuolorum.* Prudentiam Ciceronis licet in hoc animaduertere, quod, ad Lentulum cum scribit, se laudatum a Catone, non dicit: ne animum eius offenderet. non enim aequo animo Lentulus ferre posset, ab eo laudatum esse Ciceronem in senatu, qui rogationem de imperio sibi abrogando promulgauerat. in ea vero ad fratrem epistola, libere, vt res erat, ita scribit: quamquam addit, *me inuito:* ne videretur eius hominis oratione delectari, qui suam laudem Pompeii cum infamia coniungeret. Alienatum a Pompeio senatum Plutarchus ostendit, quia Ciceronem superiore anno, a Clodio tribuno plebis oppugnatum, deseruerat: propterea, cum C. Cato perfidiam eius in Ciceronem increparet, magno omnium silentio auditus est.

Nihil enim tibi detraxit senatus] Dederat tibi, vt regem reduceres: id postea non detraxit, sed exercitum: quem non tam tibi, quam omnino omnibus ademptum existimare debes. Duo senatus consulta facta esse iam dixi, vnum ipso Lentulo consule referente, vt rex a Lentulo reduceretur; alterum, referente Marcellino consule, ne cum exercitu reduceretur.

Per eandem religionem] Per quam tibi detraxit exercitum. itaque nihil tibi proprie est ademptum, sed quod habere prorsus nemo potest.

Id, quod cogitabat] Faciliorem enim sibi reditum duce Pompeio, quam quouis alio, pro summa eius apud omnes gentes auctoritate, rerumque gestarum gloria, sperare poterat.

Proficiscatur ad te] Per suos creditores, et per eos, quorum sibi voluntatem largitione adiunxit, agat, operamque det, vt abs te reducatur.

Nosti hominis tarditatem, et taciturnitatem] Simulationem Pompeii, et consuetudinem in occultanda voluntate, modeste describit. non enim videri vult eius ingenium et mores carpere, quem optime de se meritum negare non poterat. praeterea fungitur officio boni viri, cum inter amicissimos suos, Lentu-

lum, et Pompeium, quantum in ipso est, amicitiam conseruat. itaque, cum ad Q. Fr. scriberet, libere suum sensum aperuit lib. 2. epist. 6. *Pompeius*, inquit, *noster in amicitia P. Lentuli vituperatur.* Naturam eius ostendit lib. 3. ad eundem epist. 8. *Velit nolit, scire difficile est.* Et lib. 4. ad Attic. epist. 9. *Nos hic cum Pompeio fuimus. multa mecum de republica sane sibi displicens, vt loquebatur. sic est enim in hoc homine dicendum.* Coelius autem lib. 8. epist. 1. *Solet aliud sentire, et loqui.* Eiusdem tarditatem idem ostendit epist. 4. *Cum ex Gallia, coactus esset dicere Pompeius, se legionem abductarum, sed non statim sub mentionem, et comitium obtrectatorum.*

A Catone] De cuius rogatione promulgata supra dixit.

Facile] Vel auspiciis, vel intercessione tribunicia. epist. 2. et 4.

Neminem] Idem scribit in epist. 7.

Obscurius] Iniquitas eorum apparet, sed paullo obscurius.

Iniqui] Leuius est, quam inimici.

Fracto impetu] Rogatione eius impedita.

Leuissimi] Qui facile ad omnem improbitatem feratur. ideo dixit lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Cato, adolescens nullius consilii.* Et Veneftella: *Cato, adolescens turbulentus, et audax.*

Pristinam] Quae fuit ante promulgatam Catonis rogationem: propterea subiunxit, *consequare*, vt amissam ex aliqua parte, et in discrimen adductam.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Moralis tota, excepta prima sententia, quae negotialis est. Consolationem Cicero adhibet dolori suo. eam scilicet, quam sperat in Lentuli quoque dolore posse aliquid proficere. Et, quia valet ad consolandum amoris significatio; et amoris indicium dolor est: orditur a dolore suo. quia vero consolationis duae quasi viae sunt, ratio, et exemplum, non modo vt fieri debere, quod suademus, verum etiam vt factum esse ostendatur: vtraque via progreditur. argumentatur enim a spe, quam in consiliis amicorum, et in ipsa die ponit: exemplum verosumit a similitudine suorum temporum. Tertius hortationis locus est: quod ipsum ad minuendum dolorem pertinet. est enim cum laude coniuncta cohortatio. delectamur autem laudibus, et quodam modo languentes excitamur. Conclusio est, quae spe quadam animum recreat, omnium studiorum officiorumque promissio.

EXPLANATIO.

Pollione] Duarum gentium, quod meminerim, cognomen fuit, Asiniae, et Vediae.

Sed praefuit] Auget sententiam, vt in orat. in Pison. c. 5. *Omnibus consiliis, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solum, verum etiam crudelissime*

me praefuisti. Particula autem, *sed*, interdum negat, ac tollit quod dictum est, vt *non diues, sed inops:* interdum auget, vt hic. nam qui praeest, etiam interest. Vsus Latinae linguae postulabat, *sed etiam:* verum vnica particula, *sed*, pro *sed etiam* nonnumquam Cicero contentus est.

Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes] Contrarium illud lib. 16. epist. 8. *In magna consolatione ingens inest sollicitudo.* De hac figura diximus epist. 9. *In molestia gaudeo.*

Scilicet] Alibi per ironiam negat, vt in orat. pro C. Rabirio, perduellionis reo c. 5. *Scilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho, fratris.* Et Terentius in Andr. Act. 1. sc. 2. v. 14.

Id populus curat scilicet!

Et Virgilius lib. 4. Aen. v. 379.

Scilicet is superis labor est.

Hic affirmat, non negat, vt lib. 9. epist. 21. *Priuatas causas, et eas tenues, agimus subtilius: capitis aut famae scilicet ornatius.* Lib. 15. epist. 15. *Ex interitu reipublicae nullam spem scilicet mihi proponebam: ex reliquiis magnam.* lib. 1. ad Q. Fr. epist. 4. *Si releuare potes communem casum misericordia hominum; scilicet incredibile quiddam assequeris.* Lib. 13. ad Attic. epist. 10. *Hoc nullam ad partem valet scilicet.*

Infringatur] Vbi difficultas est, ibi vsurpatur hoc verbum; quo maior infringentis virtus appareat. epist. 4. *Sententiam Bibuli fregeramus.* Epist. 5. *Speresque fore, vt, fracto impetu leuissimi hominis, tuam pristinam dignitatem, et gloriam consequare.* Lib. 4. epist. 4. *Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi, et senatus officium.* Epist. 6. *Cum frangerem iam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter; habebam quo confugerem.*

Debilitat] Quia tempus omnia minuit.

Proditorum] De quibus dixit epist. 1. *Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus.*

Secundo loco] Pro, deinde. sic locutus Phil. 8. c. 10. *Huius industriam maxime quidem vellem, vt imitarentur ii, quos oportebat: secundo autem loco, ne alterius labori inuiderent. Secundo,* simpliciter in orat. pro Plancio c. 20. *Equidem primum vt honore dignus essem, maxime semper laboraui: secundo vt existimarer.*

Imaginem] Quam expressit epist. 5. his verbis: *Te videre, et sentire, eandem fidem esse hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute fum expertus; ex tuis litteris intellexi.* Et epist. 7. *Similimamque in re dissimili, tui temporis nunc, et nostri quondam, fuisse rationem.* Ibidem infra: *In te, homine omnium nobilissimo, similia inuidorum vitia perspexi.*

Violatur tua dignitas] In explanando Cicerone nihil duco fieri a me posse elegantius, aut etiam vtilius, quam si conferam similia similibus: vel vt illustrentur obscurae sententiae: vel vt copia paretur. Hic quid Cicero sibi velit, obscurum non est: hoc ipsum tamen quod intelligimus, ex comparatione quodam modo fiet apertius. ostendit, et salutem pluris esse, quam dignitatem; et, affligi, grauius, quam violari. dixit idem aliis

verbis, nec minus ornate, epist. sequenti: *Multum interest, vtrum laus imminuatur an salus deseratur.* Nec dissimile admodum illud epist. 5. *Te videre, et sentire, eandem fidem esse hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus; ex tuis litteris intellexi.*

Similitudo] Ob amicorum infidelitatem.

Si ea non timuerim, quae ne tu quidem vmquam timenda duxisti] Promulgata Catonis rogatione de abrogando tibi Ciliciae imperio, non timui: quia nec tu, me patria pulso, timueras; cum sperares futurum, id quod euenit, vt ea mihi calamitas etiam honori esset: quae me spes aeque nunc in rebus tuis consolatur.

Praesta te eum] Fac vt te tui similem agnoscamus: fortem animum habeas, quem semper habuisti. Significat id, quod in epist. sequenti: *magnitudinem animi tui ne vmquam inflectas cuiusquam iniuria.*

A teneris, vt Graeci dicunt, vnguiculis] A pueritia: dixit enim in epistola sequenti: *vt omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura, atque industria consequare.* saepe hoc Cicero legerat in Graecis libris: nos egemus exemplis. Plutarchus tamen ἐν τῷ περὶ παίδων ἀγωγῆς, c. 5. ἐξ ἁπαλῶν, inquit, (sic enim est in antiquo libro nobilissimi, et eruditissimi iuuenis Io. Vincentii Pinelli) ὀνύχων ἀγαπῶσι τὰ τέκνα.

Illustrabit] Elucet enim virtus in aduersis.

Studia officiaque] Recte coniunguntur. potest enim et sine officio studium, et sine studio officium esse: cum animi studium sit, officium opera probetur; et studium sine officio parum prosit, officium sine studio langueat. sic epist. sequenti: *De consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii esse testis.* Lib. 5. epist. 5. *Homo omnium meorum in te studiorum, et officiorum maxime conscius.* Lib. 15. ad Attic. epist. 14. *Ex omnibus, mi Dolabella, studiis in me, et officiis, quae summa sunt, hoc scito mihi et amplissimum videri, et gratissimum esse.*

Non fallam opinionem tuam] Simile illud, quod, augendae copiae gratia, subiungam, lib. 3. epist. 10. *Omnia volo a me et postules, et exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas.* Et apud Nonium, in fragmento Ciceronis epistolae ad Caesarem iuniorem: *Posthac, quod voles a me fieri, scribito. vincam opinionem tuam.* Quae scilicet eo pertinent, vt ostendatur, morale quiddam esse, et decere in primis, epistolas claudere significatione beneuolentiae.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Respondet ad ea, quae Lentulus quaesierat. Et quamquam moralia quaedam admiscentur: tamen, quia reductio regis praecipua scribendi causa fuit, (id enim spectandum est) inter negotiales epistolas referatur. Diuiditur in partes octo. Prima est, de suo in primis erga

erga Lentulum amore: altera, de amicorum fide: tertia, de Alexandrina c uſſa: quarta, de ſuis in republica capeſſenda conſiliis, et hominum conſularium inuidia: quinta, cohortatio ad gloriam, atque conſtantiam: ſexta, de reipublicae ſtatu: ſeptima, de Tulliae filiae ſuae Craſſipedisque nuptiis: octaua, et vltima, de Lentuli filio. Pompeio, et Craſſo iterum coſſ.

EXPLANATIO.

Quem tu me eſſe voluiſti] Si volo dignus eo loco eſſe, in quem me, inimicorum iniuria pulſum, tua virtus reſtituit.

Temporum] Biennium iam aberat Lentulus.

Quoties] Antiqui et lapides, et libri, in his etiam Mediceus, *quotiens*. quod ſi probamus: eadem ratione dicendum erit, *deciens, viciens, centiens, milliens*, et ſimilia, me quidem non libenter aſſentiente.

Qua quiſque in te fide ſit, et voluntate] *Fide*, ad amicos pertinet: *voluntate*, ad omnes. vel, de iisdem quaerebat Lentulus, et qua fide, et qua voluntate eſſent. nam infra: *et fide, et animo ſingulari*. Niſi me fallit aurium iudicium, ſuavior hic eſt numerus, quam, quod aliis placuit, *qua fide quisque in te ſit, et voluntate*. opinioni noſtrae cum alii non pauci, tum ille etiam inſigni vetuſtate Mediceus liber ſuffragatur.

Maxime debuerunt] Perfidiam ſaepe accuſat. Epiſt. 1. *Si eſſet in iis fides, in quibus maxima eſſe debebat; non laboraremus*. Epiſt. 2. *Dignitatem noſtram, vt poteſt in tanta hominum perfidia, et iniquitate, retinebimus*. Epiſt 5. *Te videre, et ſentire, eandem fidem eſſe hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus; ex tuis litteris intellexi*.

Plurimum iuuare potuerunt] Conſulares videtur deſcribere: de quibus infra; *De conſularibus, nemini poſſum aut ſtudii erga te, aut officii, aut amici animi eſſe teſtis*. Et epiſt. 5. *Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe video, praeter Hortenſium, et Lucullum: ceteri ſunt partim obſcurius iniqui, partim non diſſimulanter irati*.

Inuidiſſe dignitati tuae] Infra: *quem illi eſſe in principibus facile ſunt paſſi, evolare altius certe noluerunt*.

In re diſſimili] Infra: *multum intereſt, vtrum laus imminuatur, an ſalus deferatur*. Et epiſt. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quam mea ſalus afflicta ſit*.

Noſtri quondam] Cum eiectus patria ſum, tum eorum odio, quos reipublicae cauſſa laeſeram, tum eorum inuidia, quorum auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderam. quod idem tibi, quamquam diſſimili in re, contigit.

Ex magiſtratibus L. Racilium] Loquitur de magiſtratibus anni ſuperioris: dixit enim, *quo quidem tempore*: et infra, *temporibus illis*, id eſt, Marcellino et Philippo coſſ. Racilius autem eodem anno, quo Lupus, tribunus plebis fuit, vt conſtat ex lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 1. Lupum vero tribunum plebis fuiſſe Marcellino et Philippo coſſ. plane cognoſcitur ex epiſt. 1. et 2. non

potest igitur hoc anno Racilius tribunatum plebis gerere: cum epistola scripta sit Pompeio et Crasso II. coss. post decretum Caesari stipendium, et auctum legatorum numerum: quae facta esse Pompeii et Crassi secundo consulatu, Appianus et Dio docent. Tribunum plebis Plutarchus in Probl. negat magistratum fuisse: idque multis argumentis probare conatur. nec dissentire videtur Liuius: apud quem lib. 2. c. 56. Appius consul clamitat, priuatum tribunum plebis esse, sine imperio, sine magistratu. Sed vtrumque refellit Cicero et hic, et lib. 1. de Orat. c. 7. cum ait: *Exierant cum ipso Crasso adolescentes duo, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur.* In Bruto c. 43. *Ita tacitus* (Crassi) *tribunatus, vt, nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium, idque nobis his narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.* In orat. pro Quintio c. 20. *Per eum magistratum, qui auxilii caussa constitutus est.* Sallustius in Iugurtha c. 37. *P. Lucullus, et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur.* Apud Nonium Fenestella: *Vt magistratum inierunt tribuni plebis, C. Cato Ptolemaeo regi, et Lentulo consuli assiduis concionibus inuidiam conciare coepit.* Asconius quoque: *Inuocare tribus Gabinius coepit, vt Trebellio magistratum abrogaret.* Mirari etiam aliquis fortasse possit, cur tribunis plebis purpuram adimat Plutarchus; cum in orat. pro Cluentio c. 40. legantur haec de tribuno plebis Quinctio: *Facite, vt non solum mores eius, et arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam vsque ad talos demissam purpuram recordemini.* Sed cogitare licet, vel de sua tantum aetate locutum esse: lutarchum, in qua tribuni plebis, imminuta iam potestate, purpura non vterentur; vel Ciceronem in Quinctio notasse, quod ille sibi, neglecta consuetudine, per singularem arrogantiam assumpserat. Nam, quod ait Plutarchus, lictoribus non vsum esse tribunum plebis, ideoque constare, magistratum non fuisse: refellitur exemplo censorum, qui lictores non habebant, et tamen non modo magistratus censura fuit, verum etiam, quod negare arbitror neminem, inter maiores magistratus.

Et fide, et animo singulari] Multi enim fauent, vt fidem praestent: animus tamen singularis non est. Respondet ad illud, *qua quisque in te fide sit, et voluntate.*

Officii maiorem auctoritatem habere videatur, quam sententiae] Fauere me tibi, fortasse homines arbitrantur, non quod ita sentiam, sed quod beneficio tuo vinctus, ingratus esse non possim. id aperte significat in prima: *Nos in caussa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus.*

Videatur] Videri possit.

Aut studii erga te, aut officii, aut amici animi] Ostendi iam, inter officium, et studium quid intersit. minus autem est, *amici animi*, quam *studii*: cum in aliquem amico esse animo possimus, nec tamen ei studere, aut eius caussa laborare. itaque hoc significat: in consularibus non modo studium erga te, aut officium, sed ne amicum quidem animum perspexi. Et vt hic, amicus

eius animus, minus, quam amor, significat: sic, non amicus animus, minus quam odium valet: vt lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Crassus aderat tum, Miloni animo non amico*, pro, leuiter infensus.

Pompeium] Consulatum hoc anno cum Crasso gerentem: quod infra patet.

Non solum a me prouocatus] Tribus modis legitur in antiquis libris: *non solum a me prouocatus*: recte: *non solum me prouocante*: et hoc recte: *non solum me prouocatus*: vt in Mediceo, et aliis: mendose.

Sua sponte] Libenter Pompeium purgat: veretur enim, ne qua Lentulo de eius cupiditate suspicio haeserit. Epist. 1. *In senatu palam sic egit caussam tuam, vt neque, etc.* Epist. 2. *Ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis.*

Temporibus illis] Cum ageretur in senatu de Ptolemaeo reducendo, Marcellino et Philippo coss. scripta enim est haec epistola Pompeio et Crasso coss.

Non saepe in senatu fuisse] Quod esset cum imperio, curationi frumentariae praepositus. ingredi enim vrbem, quod iam dixisse me arbitror, non licebat iis, qui cum imperio essent.

Non saepe] Interdum enim, qui erant cum imperio, petebant a senatu, vt ingredi vrbem liceret. itaque Pompeius, quod epist. 1. declarat, egit Lentuli caussam in senatu: et, vt laudaret P. Sextium reum, introiisse eum in vrbem, legitur in epist. 9. quod aliis quoque probatur exemplis.

Quod facile intellexerim] Nota erat Lentulo Pompeii taciturnitas, et simulatio: vnde illud epist. 5. *Nosti hominis tarditatem, et taciturnitatem.* propterea Cicero, ne dubiam sequi coniecturam videatur, hoc addit: *quod facile intellexerim.* Quasi dicat: nec enim suae voluntatis, vt solet, obscura signa dedit. infra: *perspectus est a me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, et commodis cogitare.*

Sapientia] Quia retinendam viri excellentis amicitiam sapientissime iudicaueris.

Visa est] Proprie, *admirabilis visa est*: fortasse non item, *iucunda visa est.* nec tamen, *iucunda*, alio referri potest. sed interdum in scribendo ea, quae longius distant, ad proxima verba accommodamus.

Liberalitate] Significatur, quod in epist. 1. scriptum est: *cum summa testificatione tuorum in se officiorum.* et in eadem infra: *quod eum ornasti.* Liberalis autem in Pompeium Lentulus fuerat, cum de frumentaria curatione ad eum deferenda et egerat consul, et obtinuerat.

Opinionem suae cupiditatis] Ortam ex eo, quod eius familiares omnes de re Alexandrina ei mandanda vehementer contenderant. epist. 1. et 2.

Te ab se abalienatum] Moneo lectorem, in nullo vetere libro sic legi, sed aut abesse, *te*, aut esse, *tuae*, non *te*, vt in Mediceo: quod mendi suspicionem auget. praeterea, pro, *ab se*, antiqui omnes libri, ii quidem, quibus ego nunc vtor, habent, *abs te.* quod eruditorum iudicio perpendendum relinquam: tantum feci, vt veterem scripturam fideliter ostenderem: quod officii mei ratio postulare videbatur.

Epistola] Cum dicatur, *epistolium*, et *stola*, Graece autem ἐπι-

στολὴ,

τολὴ, cur non dicam, *epistola*, potius quam, *epistula?* veteres quidem libri varie: et Mediceus non minus saepe, *epistola*, quam, *epistula*.

Retinuisti] Iam tibi tua liberalitate deuinctum, illa epistola retinuisti. Pergit in translatione: quia dixerat, *tibi deuinctum*.

Suspicioſissimo] Quo suspicio maxima fuit, Caninium tribunum plebis inductum a Pompeio, rogationem ferre voluisse, vt Ptolemaeus ab eo, cum duobus tantum lictoribus, reduceretur: quod a Plutarcho litteris proditum legimus. Et hanc rogationem Cicero significat lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. *Quod de Pompeio Caninius agit, sane quam refrixit. neque enim res probatur, et Pompeius noster in amicitia P. Lentuli vituperatur.* Puer affui, cum hunc locum Egnatius publice interpretaretur. probabat, *Catoniano* potius, quam *Caniniano*, adductus in hanc opinionem ex his verbis epist. 5. *Exorta est nefaria Catonis promulgatio.* sed inde nulla potuit in Pompeium, quasi cum Catone sentientis, exsistere suspicio: cum Cato ipsi Pompeio, aeque ac Lentulo, fuerit infensus. itaque in eadem epist. *Pompeius a Catone aspere et acerbe est accusatus.* et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3.

Perspectus est a me] Confirmat illud, *quod facile intellexerim;* vt omnem prorsus de Pompeio suspicionem tollat.

Sententia, atque auctoritate] Et id sentit, quod scribam; et, vt efficias, auctor est.

Ademta sit] Quae tibi data est eo senatus consulto, quod, te consule referente, factum est.

Auctoritas] Quae sit senatus auctoritas, ostendimus epist. 2.

Intercessum] A tribunis plebis, ex quo fieri non potuit senatus consultum, sed remansit senatus auctoritas.

Ne quis omnino regem reduceret] Quod Seruilius Isauricus anno superiore censuerat. epist. 1.

Tantam vim habet] Verbum, *tantam*, minuit hic potius, quam auget: vt lib. 8. epist. 10. *Sin non erit istic bellum, aut tantum erit, vt vos, aut successores, paucis additis copiis, sustinere possint.* Et lib. 15. epist. 14. *Si qua sunt onera tuorum, si tanta sunt, vt ea sustinere possis.* Tusc. 2. c. 27. *Vrgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti non sint, vt ferendi sint, quo sit confugiendum, vides.* Pro lege Manilia c. 6. *Ceterarum prouinciarum vectigalia tanta sunt, vt iis ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus.* Apud Caesarem lib. 6. de bell. Gall. c. 35. *Praesidii tantum est, vt ne murus quidem cingi possit.* lib. 3. de bell. ciu. c. 2. *Tantum nauium reperit, vt anguste quindecim millia legionariorum militum, quingentos equites transportare possent.*

Iratorum hominum] Ob regiam largitionem. epist. 1.

Studium] Recte, de iratis hominibus *studium;* de constanti senatu *consilium*, dixit. impellimur enim studio, consilio regimur.

Qui Ciliciam] Cilicia Lentuli prouincia vocabatur, cum tamen simul Asiae partem administraret. argumento est illud in epist. 9. *De Quinti fratris negotio scribis, te priore aestate, quod, morbo impeditus, in Ciliciam non transieris, conficere*

conficere non potuisse. Partem autem illam Asiae Lycaoniam, Pamphyliam, Phrygiam fuisse crediderim, sed Phrygiae partem, non universam. ad Appium lib. 3. epist. 10. *Haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit, non modo vt Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus crederet.* Cicero autem, qui, post Lentuli successorem Appium, Ciliciae praefuit, maiorem vtroque prouinciam habuit, nam tres praeterea dioeceses Asiaticas sibi attributas esse, ait lib. 13. epist. 67.

Cyprumque] Post legem Clodiam, Pisone et Gabinio coss. latam, Cyprus insula a Lentulo simul cum Cilicia est administrata. et quia Cyprus et Cilicia Aegypto propinquae sunt, ideo longe melius, quam Cicero, et Pompeius, qui Romae erant, perspicere Lentulus poterat, quid efficere, et quid confici posset.

Si res facultatem habitura videatur] Si res posse perfici, et exitum habere videatur.

Tenere] Obtinere, potiri, vt epist. 1. *Teneri enim res aliter non potest.* infra idem aliis verbis: *Si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri.*

Ptolemaide] Opido Alexandriae propinquo. Mediceus liber, et alii fere omnes, *Ptolomaide*, et infra *Ptolomaeus:* quod non probaui. nam et Graeci ε in secunda syllaba, non ο ponunt: et ita *Ptolemaeus* a πολεμῶ deducitur, vt *Timaeus* a τιμῶ: quod ostendit lib. 2. Priscianus.

Aliquo] Recte: quamquam nonnulli veteres libri habent, *alio:* quod inde natum est, quia scriptum videbant, *alico:* sic enim et Mediceus liber habet.

Atque exercitu] Non vt Ptolemaeum cum exercitu reducas, sed vt, eo Ptolemaide aut aliquo propinquo loco collocato, ipse cum exercitu Alexandriam profectus, regem cum Alexandrinis in gratiam restituas. ita nihil commiseris neque contra senatus consultum, neque contra religionem: non enim regem cum multitudine reduces.

Pace] Te auctore facta inter Ptolemaeum, et Alexandrinos.

Praesidiisque] Vt Alexandrini, praesidii metu a te relicti, pacem seruent.

Firmaris] Ne noua consilia suscipiant. leues enim, et infidi Alexandrinorum animi, vtpote qui bis iam Ptolemaeum eiecerant.

Redeat in regnum] Non a te reducatur, ne contra senatus voluntatem committas, sed, Alexandria prius a te pace, praesidiisque firmata, ipse redeat.

Initio censuit] Facto senatus consulto, te ipso consule referente. epist. 1.

Homines religiosi] Potest de quindecimuiris, id est, de sacerdotibus Sibyllinos libros custodientibus, hoc dicere; qui a C. Catone tribuno plebis ad populum producti, oraculum exposuerant: potest etiam de ipso Catone, qui eos produxit. cum ironia certe, *homines religiosi* dictum est: quasi de religione minimum laborarent, sed honesto nomine maleuolentiam, inuidiamque suam obtenderent. vnde illud epist. 4. *A tuis inuidis, atque*

atque obtrectatoribus nomen inductum fictae religionis. Et epist. 1. *Senatus religionis calumniam, non religione, sed malevolentia, et illius regiae largitionis invidia comprobat.*

Sibyllae placere] Quod cum senatus aut credidisset, aut se credere simulasset, decreuit, ne quis regem cum multitudine reduceret.

Ex euentu] Eadem sententia in orat. pro Postumo c. 1. *Hoc*, inquit, *plerumque facimus, vt consilia euentis ponderemus, et, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.* Veteres libri mei, *ex euentu:* Mediceus, *ex euento.* vtroque modo recte. infra: *vt te ex nostris euentis communibus admonendum putarem.* In Partit. c. 9. *Si cuiusque facti, et euenti caussa ponetur.*

De tuo consilio] Regis reducendi.

Existimaturos] Nota verbi significatio: sed interdum accipitur pro iudicare, vt hic: nam infra subiungitur: *redeo ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, quam ex euentu homines esse facturos.* In Bruto c. 21. *Quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest.*

Si cecidisset, vt volumus] Infra idem aliis verbis: *si rem istam ex sententia gesseris.* translatum videtur a talis, modo vt volumus, modo contra quam volumus cadentibus: vt volumus, cum iactus vnius tali senionem efficit; vel, cum quattuor talorum iactus, diversa cuiusque facie, Venerem facit: contra quam volumus, cum vnus talus in iactu canem facit, aut cum quattuor numquam Venerem ferunt, simili facie duorum, aut trium, aut omnium talorum: nam, vt dixi, omnibus dissimilem faciem ostendentibus, felicissimus est iactus, quae vocatur Venus.

Sin aliquid] Libri veteres, etiam Mediceus, *si*, pro *sin:* vnus, *si quid:* quod placet.

Esset offensum] Si difficultatem res habuisset, et Alexandrinis regem recusantibus, ventum esset ad arma.

Cupide, et temere] Antitheta sunt, ad illa, *sapienter, et fortiter. Cupide*, quasi reductionem regis, ambitione adductus, nimium appetisset; *temere*, quasi rei difficultatem parum considerasset.

Quid assequi possis] Possis ne rem conficere ex animi sententia.

Prope in conspectu] Non enim Cilicia longe admodum distat ab Aegypto.

Si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri] Quod paullo ante dixit, *si res facultatem habitura videatur, vt Alexandriam, atque Aegyptum tenere possis. Potiri* autem non est hic, *armis expugnare:* sequitur enim infra: *ego te, vt ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo:* sed est, *obtinere*, vt Alexandrini se tibi committant, voluntatique tuae, in recipiendo rege, obtemperent.

Si ERN. *Sin dubium*] Et hic veteres libri, simul cum Mediceo, *si dubium.*

Offensionem] Si Alexandrini dimicare malint, quam tibi se committere, regem reducere cupienti. proxime: *sin aliquid esset offensum.*

Auctо-

Auctoritatem] Senatus. decreuerat enim, ne quis omnino regem reduceret.

Religionem] Quia vetabat Sibylla, regem cum multitudine restitui.

Certam] Si exploratum habes, posse te illius regni potiri.

Laudem] Omnes enim te ex euentu laudabunt.

Periculosa tibi videbitur] Visa est. non enim consilium illud Ciceronis, et Pompeii secutus est Lentulus.

Qui per prouinciam, atque imperii tui prouincias ei credidissent] Per prouinciam Ciliciam, cuius proconsul vocabatur, et reliquas eius imperii partes. nam praeter Ciliciam, aliquot eius imperio dioeceses Asiaticae parebant, vt Lycaonia, Pamphylia, Phrygiae maioris pars vltra Maeandrum. Cicero tres amplius habuit, cum eandem prouinciam regeret: vt ipse scripsit ad Seruilium lib. 13. epist. 67. *Credidissent*, pro, *pecunias ei mutuas dedissent*. magnam enim pecuniae vim Ptolemaeus, a quibus potuerat, mutuatus erat; vt multorum deinde animos largitione ad suam caussam adiungeret.

Fidem suam praestitisset] Non opinor hoc dici: pecuniam persolvisset: non enim soluendo rex erat, prius quam in regnum reduceretur: sed, cauisset de fide sua: effecisset aliquo modo, vt eius fides in dubium illis venire non posset. epist. 9. *Vt fidem fratris mei praestarem.* lib. 5. epist. 11. *Quamcunque ei fidem dederis, praestabo.* lib. 2. de Diuin. c. 37. *Virtutis auspicitis video esse vsum Deiotarum: quae vetat spectare fortunam, dum praestetur fides.*

Adiuuares] Non, vt ipse cum classe, atque exercitu Alexandriam proficiscaris, vt eam pace, praesidiisque firmes: quae ratio rei gerendae periculosa videri potest: sed vt ipsum Ptolemaeum, in regnum redeuntem, et auxiliis tuis, copiis adiuues. Est autem *auxiliari*, afflicto atque egenti subuenire; et in aduersa tantum fortuna locum habet: *adiuuare* autem de secundis etiam rebus vsurpatur: nec aliud est, quam, simul agere, vt aliquid ad exitum perducatur. quod συνεργεῖν Graecis est.

Naturam et regionem] *Naturam*, quod multis rebus prouincia tua redi[illegible]m regis vel confirmare possit, vel impedire: *regionem*, situm, quia non longe distat ab Aegypto. paullo ante: *cuius prope in conspectu Aegyptus est.* sic autem coniungit hic *regionem*, et *naturam*, vt in Rullum, et in Verrem, *situm*, et *naturam*.

Quid res, quid caussa] *Res* caussam continet: totum enim Alexandrinum negotium significat: *caussa* vero partem negotii, quae ad Lentulum, regemque pertinet: id est, vt Lentulus ipse regem reducat. hoc satis probatum est epist. 1.

Tempus] Quo saepe consilia recte mutantur: non enim licet nobis futura prospicere.

Facillime] Cui prope in conspectu Aegyptus est.

Optime] Non enim errare te tua prudentia patietur.

De nostro statu] Quod pristina fruar et dignitate, et gratia.

Milonis] Qui tribunus plebis cum Lentulo consule Ciceronem restituerat, Clodii acerrimus inimicus.

Leuitate]

Lenitate] Cum aliquid quotidie contra leges, et bonos viros conetur.

Imbecillitate] Quia, quod conatur, efficere non possit. aduersabantur autem nefariis eius conatibus Cicero in primis, et Milo, ille consilio, hic etiam manu.

Artificem] Opus enim tuum est, quod ego meum statum recuperaverim, quod Milone familiariter vtar, quod ita Clodii vires afflictae sint, vt in summa nocendi voluntate, nocere tamen nihil possit.

Quamquam] Excusatio, quod se in tuenda republica ad Pompeii maxime voluntatem conformet, temporibus admonitus, et quorundam inuidia, qui tamen eum in reditu iuuerant, compulsus. erant enim factiones in republica duae: in vna Caesar, Pompeius, Crassus, de sua potentia laborantes; a quibus dissentire, periculosum Cicero videbat; in altera optimates: qui licet de republica optime sentirent, Ciceroni tamen, nouo homini tantam gloriam, ac dignitatem adepto, inuidebant, atque etiam obtrectabant. quos in epist 9. significat his verbis: *Certorum hominum sermones referebantur ad me: qui, cum illa sentirent in republica, quae ego agebam, semperque sensissent; me tamen non satisfacere Pompeio, Caesaremque inimicissimum mihi futurum gaudere se aiebant.* Notat autem maxime Bibulum, Catonem, Domitium Ahenobarbum, Marcellinum, Caesari Pompeioque infensos.

Peruersitas] Minus est, quam improbitas. est enim quasi declinatio quaedam a recta consilii via.

In communi causs] In eo, quod ad omnes pertinet, in republica tuenda.

Inuidendo] De quo sic lib. 4. ad Attic. epist. 1. *Qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci: aperte invidere.* Et ibidem epist. 5. *Ego mehercule mihi necessitatem volui imponere huius nouae coniunctionis; ne qua mihi liceat labi ad illos, qui etiam tum, cum misereri mei debent, non desinunt inuidere.*

Obtrectationibus] Quaerit excusationem sui facti. nam quia Caesarem coeperat ornare; quod optimates non probabant, quibus nimia paucorum potentia merito suspecta erat: non se sua sponte a pristina sententia discessisse, sed quorundam maleuolentissimis obtrectationibus depulsum esse demonstrat. Ornamenta autem, quae Cicero in Caesarem contulerat, vt ex orat. de prouinc. c. 11. cognoscitur, haec sunt. supplicatio quindecim dierum, stipendium exercitus, decem legati. quae Cicero sua sententia decreuit.

Sententia] Cum in defendenda republica dignitati potius meae, quam saluti, consulebam: ex quo potentium animos offendi.

Prope] Non omnino: quia dignitatis adhuc rationem habeo.

Depulsos] Quasi per vim, ab invidis, atque obtrectatoribus.

Aliquando] Sero quidem, (potentium enim conspiratione in exsulium pulsus, nimis magna mercede didici, salutis quoque rationem esse habendam) aliquando tamen.

Consularibus] Quos saepe carpit lib. 4. epist. ad Attic.

Splendor]

Splendor] Vitae species, ac dignitas. epist. 9. *Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, et speciem huius vitae intuentur, sollicitudinem autem, et laborem perspicere non possunt.*

Temporibus iis] Quae, in patriam restitutus, secunda sum adeptus. infra res aduersas, vocat *tempora.*

Nascenti prope] A prima paene adolescentia.

Praefuisti.] Hoc verbum abest ab omnibus antiquis libris; in Mediceo additum est recenti manu, deleto alio verbo: quod suspicor fuisse, *virtutique.* nam in omnibus meis ita scriptum video: *laudi, dignitati, virtutique.* Mendosus igitur locus: cum omnino verbum aliquod sententia desideret.

Nouitati] Arpini enim natus, Romae summos honores, victis in petitione nobilissimis viris, eloquentia, probitate, industria consecutus est. Nouitati nobilitas opponitur: ideo subiungit: *in te enim, homine omnium nobilissimo.* Et lib. 5. epist. 18. *Adeptus es, quod non multi homines noui; amisisti, quae plurimi homines nobilissimi.* Et lib. 4. in Ver. c. 37. *Nae ista praeclara nobilitas desinat queri, populum Romanum hominibus nouis atque industriis libenter honores mandare, semperque mandasse.*

Homine omnium nobilissimo] Non quia Lentulus Cornelia gente patricia (fuit enim et Cornelia plebeia) natus esset, verum quod eius maiores honoribus, et meritis in rempublicam praestitissent. non enim, *nobilis*, et *plebeius*, sed *nobilis*, et *homo nouus*, opponuntur. neque Lentuli, Scipiones, Caesares, ideo nobiles, quia patricii, sed quia claris maioribus orti. eademque e caussa quamquam plebeii generis, nobiles tamen Antonii, Metelli, Marcelli. itaque *adolescentem nobilissimum* vocat Cicero M. Antonium in orat. pro Milone c. 15. L. Marcium Philippum, *summa nobilitate hominem*, in Bruto c 45. quos plebeiis gentibus natos esse, nemo, Romanarum gentium vel mediocriter peritus, ignorat. quocirca nec omnes patricii nobiles, (multorum enim obscuri maiores) nec omnes plebeii ignobiles: cum plebeii multi parentibus, auis, maioribus clarissimis orti sint: non quidem semper, verum, a quo tempore plebeiis etiam gentibus honores communicari coepti sunt. Eademque ratione nec senatores omnes nobiles, nec qui senatores non essent, omnes ignobiles. siquidem *nobilitas* ita definitur, claritas nominis a parentibus, auis, maioribus accepta: quae nec patriciis omnibus, nec senatoribus contigit, multis autem contigit non patriciis, et multis nondum senatorium ordinem adeptis. propterea Plinius lib. 33. c. 1. *anulos depositos a nobilitate, non a senatu vniuerso*, in annales relatum ait. Quibus verbis, quis non intelligit, diuersa esse, nobilitatem, et senatum vniuersum? quia scilicet non senatus vniuersus e senatoribus nobilibus constaret. Quod autem saepe nobilitatis nomen pro senatu, in vrbanarum turbarum mentione Liuius vsurpauerit, in eo maiorem senatus partem, parentibus, aut maioribus insignem, pro toto senatu accepit. *Nobilitas* tamen interdum accipitur non pro nobilibus viris, id est, claro genere ortis, verum pro ea fama,

quae sequitur virtutem: vt in orat. pro Archia c. 11. *Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem, nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac nominari volunt.* Ad hanc significationem spectat illa definitio Ciceronis in epistola ad Hirtium: *Nobilitas nihil aliud est, quam cognita virtus.* Ex qua definitione, Cicero etiam ipse, nulla maiorum claritate, nobilis tamen est: habet enim virtutem, qua famam consequitur. Atque hanc solidam, et veram esse nobilitatem, illam vero, quae a maioribus accipitur, et generis potius, quam hominis est, inanem et falsam, indicat lib. 3. epist. 7. his verbis: *Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paullo diligentius (vt, quid sit* εὐγένεια, *quid sit nobilitas, intelligas) Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis.* Ex illa autem priore definitione, cum novus homo sit, nobilis esse non potest: posteris tamen suis fons, et origo nobilitatis est, adeptus illos magistratus, vnde nobilitas nascitur.

Perspexi] Simile illud epist. 9. *Vidi ego quosdam in te tales, quales tu eosdem in me videre potuisti.*

Noluerunt] In eo maxime, quod obstiterunt, ne regem reduceres: id quod, te consule referente, senatus decreuerat.

Vtrum laus imminuatur] Tantum enim de tua dignitate agitur, mea vero salus afflicta est. Epist. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.* Epist. 9. *In molestia gaudeo, eam fidem te cognosse hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.*

An salus deseratur] In verbo, *deseratur*, inest significatio perfidiae: de qua sic epist. 9. *Vt iam sit in iis culpa, qui me non defenderunt; non minor est in iis, qui reliquerunt.*

Meae] Meae fortunae, quod eiectus sim.

Curasti] Cum ita me honorifice restituendum curasti, vt maior esset in reditu gloria, quam calamitas in discessu.

De fortuna] Recte, *de fortuna*: tantum enim illa, quae fortunae bona dicuntur, non simul virtutem, optimamque mentem eripere potuerant inimici, ex quo illa praeclara in Clodium Parad. 4. *Nisi forte, cum parietes disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica te inuitissimo stat; si huius aeterni beneficii immortalem memoriam deleuisses; multo etiam magis, si illam mentem, vnde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed, si haec nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calamitosum.*

Te vero moneo] Quia recte sentientes, aduersa fortuna perturbati, consilium quandoque mutant; ideo, cum iniuriam, Lentulo illatam, exposuit, cohortationem subiungit, veritus,

veritus, ne desciscat Lentulus a pristina caussa, studiumque defendendae reipublicae deponat. hinc illud epist. 5. *Tuae sapientiae, magnitudinisque animi est, omnem amplitudinem, et dignitatem tuam in virtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare.* Hic testatum esse volo, in vno tantum antiquo libro legi *moneo*, in ceteris omnibus, etiam in Mediceo, *emoneo*. quod verbum quamquam vsu parum cognitum est, omittendum tamen, consensu tanto veterum exemplarium, non putaui.

Omni cura, atque industria] Studio, atque opera.

Semper fui admiratus, semperque amaui] Quod et summa esset, et vtilis reipublicae.

Inflectas] Inflexisse tamen Cicero ipse paullulum videtur. dixit enim: *nos scito de vetere illa nostra, diuturnaque sententia prope iam esse depulsos.* Quamquam se non abiecisse curam reipublicae significat sequentibus verbis: *non nos quidem, vt nostrae dignitatis fuimus obliti.* Et in extrema fere epistola Lentulum hortatur, vt ipse quoque ita rationem habeat dignitatis, ne salutis obliuiscatur. Quare, *ne vmquam inflectas*, interpretemur, ne vmquam ita mutes, vt, reipublicae caussa penitus neglecta, cum improbis te, singularem potentiam cogitantibus, coniungas.

Magna] In hoc ornamento, quod sit eodem verbo ter vsurpato amplificationis gratia, discedere epistola videtur ab humilitate quotidiani sermonis, et ad similitudinem orationis accedere.

Hominum opinio] Cui non respondere turpe est.

Liberalitatis] Quod officia libenter in omnes conferas: vt supra: *tua praestanti in eum liberalitate tibi deuinctum.* Vel ad aedilitatem respexit, in qua Lentulus summam liberalitatem ostenderat: quam Cicero effert laudibus lib. 2. de Offic. c. 16.

Consulatus tui] Quo me ab exsulio, spreta Clodia rogatione, reuocasti.

Quanto expressiora, quantoque illustriora] Expressa patent oculis, quia eminent: illustria multo etiam magis, quia splendorem habent.

Ex imperio] Hoc addit, quia multis imperium, quod vel augendae, vel tuendae reipublicae caussa dabatur, et ipsis, et reipublicae dedecori, damnoque fuit.

Quamquam] Et hic tacite monet, vt de Ptolemaeo cum exercitu reducendo diligenter consideret.

Quod quia semper sperasti] Sperasti fore, vt adipiscereris gradum ciuitatis altissimum: quem quando adeptus es, non dubito, quin intelligas, eum te facillime tueri, et conseruare posse. certe enim facilius nunc est, id retinere, quod adeptus es, quam fuit olim adipisci, quod sperabas.

Facillime] Cum adeptus iam sis, quod facillimum non fuit.

Obtinere] Tueri, et conseruare: dixit enim, *adeptus. Optinere*, quidam scribunt: quorum opinioni suffragatur hic Mediceus liber, conuersa B in P, vt etiam lib. 2. epist. 5. *opsecrare, optestarique.*

Summum, atque altissimum] Exornatio quaedam est, πλεονασμὸς a Graecis appellata, cum iterantur

verba, idem significantia. quo genere abundat Cicero, idque notat Quinctilianus lib. 9. c. 3.

Quae quidem mea cohortatio] Respicere oportet ad superiora; vt intelligamus, duas res ea cohortatione contineri, primum, vt elaboret Lentulus in gloria consequenda; deinde, ne cuiusquam iniuria debilitatus, a praestantibus curis ad humiles cogitationes animum deiiciat.

Ex nostris euentis communibus] Idem enim contigit vtrique nostrum, vt eandem hominum perfidiam et iniquitatem experiremur. itaque putaui te admonendum, ne cuiquam posthac facile crederes, neue in aliis, sed in te ipso, et in cura, industriaque tua spem omnem collocares augendae dignitatis tuae. omnem, inquam, gloriam ab omni cura, omnique industria tua velim exspectes, minime pendens ab eorum officiis, in quos tua non vulgaria merita exstiterunt. id quod ego meis temporibus didici: quorum imaginem video in rebus tuis.

Quibus crederes] Morale praeceptum, vt ex malo eliciatur bonum: cognita enim perfidia, non esse credendum, monet.

Qui plus opibus, armis, potentia valent] Caesar, qui Galliam cum exercitu administrabat; Pompeius, et Crassus, cum Caesare sentientes, qui consulatum gerebant.

Profecisse tantum mihi videntur] Saepe mihi non placet Mediceus liber, vt hic: habet enim, *perfeciſſe tamen:* et supra, *sententiasque*, pro, *sententiasque*.

Stultitia] Stulti enim, qui a senatu et ordinem equestrem, et Pompeium abalienauerint. epist. 8.

Inconstantia] Quod in gratiam redierint cum P. Clodio, quem oderant antea. ex quo Cicero ipse alienatus ab optimatum caussa, et stipendium Caesari, et decem legatos, et quaecumque potuit, Caesari ornamenta decreuit: vt in orat. de prouinciis c. 11. Designat autem Catonem, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, et vniuersam eorum factionem, ita infensam Caesari, vt propterea cum Clodio, qui Caesaris potentiam oppugnare coeperat, in gratiam redierint. ita, dum Clodium ad suas partes adiungunt propter Caesarem, Ciceronem a publica caussa propter Clodium remouerunt.

Aduersariorum] Optimatum.

Auctoritate] In senatu: cum antea gratia valuerint apud populum.

Perpaucis] Catone, Bibulo, Domitio, qui semper contra paucorum opes pro republica pugnarunt. Plutarchus, Dio, et alii.

Ne per populum quidem] Quem sibi Caesar adiunxerat, diuiso pauperibus campo Stellate, et Campano.

Sine seditione] Non enim populus vniuersus id Caesari tribuisset, quod senatus, qui ab eo fuerat alienior, largitus est.

Se posse assequi arbitrabantur] Verbum, *posse*, nec in meis antiquis libris est, nec in Mediceo: itaque suspicor additum ex ingenio: cum sine eo tamen sententia consistat.

Consecuti sunt] Et quidem ipso decernente Cicerone. quod hic dissimulat, veritus fortasse, ne Lentulum offendat, aut ne famam subeat inconstantiae; cum optimatum caussam aduersus paucorum opes antea

antea defendisset. orat. de provinciis c. 8.

Stipendium] Et stipendium, et legatorum numerum, et supplicationes senatus decernebat sine populi suffragio. quae Cicero significat in epist. 9. cum ait, singularibus, et nouis honoribus, ac iudiciis senatus ornatum esse Caesarem. idque exponit aperte in orat. de prouinciis c. 11. his verbis: *Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decreui solum, sed etiam, vt vos decerneretis, laboraui: multa dissentientibus respondi: scribendo affui.* Stipendium autem a senatu impetrare, in tantis angustiis aerarii, non facillimum fuit: quod ex eadem oratione conieci. dixit enim c. 5. *Videtis, non temeritate redemtionis, aut negotii gerendi inscitia, sed auaritia, superbia, crudelitate Gabinii, paene afflictos iam atque euersos publicanos: quibus quidem vos, in his angustiis aerarii, tamen subueniatis necesse est.* Hac de re sic in ea pro Balbo c. 27. *C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornauit, et numero dierum nouo. Idem, in angustiis aerarii, victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit: lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui.*

Decem legati] Quorum opera in bello vteretur, quique singulis legionibus, singuli praeessent. id quod Caesaris Commentarii testantur. in orat. autem de prouinciis c. 11. hoc modo: *Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine vllis verborum ornamentis dabant. in ea quoque re sic sum locutus, vt omnes intelligerent, me id, quod reipublicae caussa sentirem, facere vberius propter ipsius Caesaris dignitatem.* Decem autem fuisse Caesaris legiones in Gallia post prorogatam ei alterum in quinquennium prouinciam, declarat ipse lib. 7. de bell. Gall. c. 90. Nouem enim assignat nouem legatis: ipse vnam secum, Bibracte hiematurus, retinet. Hirtius etiam lib. 8. c. 54. et 55. decem legiones nono Gallici imperii anno Caesari fuisse demonstrat, quarum duas Pompeio traditas esse, quattuor in Belgio, totidem in Aeduorum regione collocatas. Idem plane confirmat Suetonius in Iulio c. 29. his verbis: *Cum aduersariis pepigit, vt, dimissis octo legionibus, Transalpinaque Gallia, duae sibi legiones, et Cisalpina prouincia, vel etiam vna legio, cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret.* Et Plutarchus in Pompeio decem Caesaris legiones nominat. Verum, his omnibus legionibus, si Suetonium c. 24. audimus, non videtur a senatu stipendium esse decretum. *Ad legiones*, inquit, *quas a republica acceperat, alias, priuato sumtu, addidit.* Plutarchus non distinguit; tantum, prorogatam prouinciam, suppeditatasque in stipendia militum pecunias, demonstrat. Sed, vt redeam ad legatos; numerus a senatu decernebatur; deligendi, et nominandi potestas aut penes eum erat, qui prouinciae praeerat; aut in eo certe senatus gratificari consueuit iis, quibus legati, reipublicae gerendae caussa, legabantur. Decretos a senatu, orat. pro Sextio

c. 14. docet his verbis: *Quid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro te ipso, reiso, nemone mutauit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatus consulto, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti?* Et in Vatinium c. 15. *Quis legatos vnquam audiuit sine senatus consulto? ante te nemo: post continuo fecit idem in duobus prodigiis reipublicae Clodius.* Delectos autem, et nominatos ab iis, quibus imperium prouinciae mandabatur, indicant exempla, quae subiungam de multis pauca, ne satietatem habeat prolixa narratio. lib. 2. ad Attic. epist. 18. *A Caesare valde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi vt sim legatus.* In orat. de prouinciis c. 17. *Postea me, vt sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogauit.* lib. 4. ad Attic. epist. 15. *Messius defendebatur a nobis, e legatione reuocatus. nam eum Caesari legarat Appius.* Ad Thermum autem scribens, lib. 13 epist. 55. legationem ait a se delatam Anneio, cum multis eam petentibus denegasset. Pertinet eodem illud de Pompeio scriptum curationi frumentariae praepositio lib. 4. ad Attic. epist. 1. *Ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominauit.* Officium autem legati, si quis quaerat, quale fuerit, discet ex oratione in Vatinium, in qua c. 15. legatos Cicero vocat, *nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris prouincialis.* Quod si, quae fuerit apud Romanos legatorum dignitas, libet indagare: multa bella suscepta, multas vrbes eorum caussa deletas esse reperiemus. de quo sic in orat. pro lege Manilia c. 5. *Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit?* Quibus verbis etiam illud constat, quod ex Liuio quoque, et aliis intelligitur, multis post consulatum legationis honorem esse delatum. In Verrem autem actione secunda lib. 1. c. 31. *video*, inquit, *et ex iis, quae legi et audiui, intelligo: in qua ciuitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit: nisi publice satisfactum sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere.* Quo loco Pedianus ait, ob legatos bellum indictum, illatumque esse Corinthiis, et Tarentinis.

Lege Sempronia] Nec satis patet, quae fuerit Semproniae legis sententia; et, si ignoretur, locus hic erit ad intelligendum perdifficilis. quare primum de lege, deinde, quae locus requirit, diligenter exponam. C. Gracchus, Tiberii frater, in ea lege, quam de prouinciis tulit, tria comprehendit, vnum, vt senatus consulares prouincias decerneret, id est eas, in quas consules, magistratu functi, sorte proficiscerentur; alterum, vt quotannis; tertium, vt, cum decerneretur, intercedere nemini liceret. Prima duo capita ex oratione pro domo cognoscuntur, in qua c. 9. sunt haec: *Tu prouincias consulares, quas C. Gracchus, qui vnus maxime popularis fuit,* non modo non

abstulit

abstulit ab senatu, sed etiam, vt necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit: eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reipublicae pestibus? In ea pro Balbo c. 27. *Senatus, in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia succedendum non censuit.* Tertium caput in oratione de prouinciis animaduerti, in eo loco c. 7. *Faciam, inquit, illas praetorias, vt Pisoni, et Gabinio succedatur statim. Si hic sinat. tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest.* Nam id, *nunc non potest*, ad legem Sempronian pertinet: qua non licebat intercedi, cum de successione prouinciarum decerneretur: quod illa, quae paullo post consequuntur, verba c. 8. demonstrant: *mihi credite: numquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit.* Venio nunc ad Ciceronis verba. Proximo anno agitatum erat in senatu, vt consulares prouinciae duae lege Sempronia a senatu decernerentur, non eius anni consulibus, qui videntur prouincias recusasse, sed iis, qui designati nondum erant, qui postea fuere Pompeius, et Crassus, ex interregno creati. Quattuor erant prouinciae, quas obtinebant ii, qui consulatum gesserant, Galliae duae, vno imperio coniunctae, quibus praerat Caesar; Syria, quam Gabinius; Macedonia, quam Piso administrabat. De his quattuor, cum duas tantum lege Sempronia decerni oporteret, variae sententiae dicebantur. erant, qui vtramque Caesari Galliam eriperent, et a sequentis anni consulibus, vbi consulatum peregissent, administrari vellent. alius neque vtramque Galliam, neque Syriam cum Macedonia, sed vel Syriam, vel Macedoniam cum altera Gallia decernebat. Rursus erant duae sententiae, vtraque Pisoni Macedoniam relinquens, vtraque Gabinio Syriam auferens, sed altera vlteriorem Galliam, altera citeriorem cum Syria coniungens. Contra omnes Cicero sensit. dixit enim sententiam, vt Caesar vtramque Galliam vsque ad exitum quinquennii, lege Vatinia datum, obtineret: Gabinius, et Piso decederent. Harum sententiarum nulla valuit: nec eo anno consulares prouinciae lege Sempronia decretae. id ex eo liquet, quod in vtraque Gallia Caesar permansit, in Macedoniam autem praetorius iuit, non consularis, Q. Ancharius, qui statim Pisoni successit: Gabinius in Syria mansit, opinor quod ei, qui praetorias Macedoniam, et Syriam faciebat, de Macedonia permissum, de Syria vel negatum a senatu, vel intercessum a tribuno plebis. Atque haec duabus ex orationibus, de prouinciis consularibus, et in Pisonem, fere omnia colliguntur: quae putauimus explicanda, vt intelligatur, cum prouinciae consulares anno superiore, id est, Marcellino et Philippo coss. ab senatu decretae non essent, hoc saltem anno, Pompeio et Crasso consulatum gerentibus, decerni debuisse: quod tamen ne fieret, facile perfectum est, consulum videlicet opera, qui Caesaris caussam tuebantur, cum Pompeius ei gener esset, Crassi vero filii cum Caesare, Marcus eius quaestor, Publius legatus in Gallia militarent.

tarent. quod si de consularibus provinciis lege Sempronia decernendis actum esset; timendum erat consulibus, ne in eam sententiam plures irent, quae Caesari Gallias adimeret. itaque cupierunt, idque facile consecuti sunt, ne consulares provincias obtinentibus succederetur. Oritur quaestio, si consulares provinciae lege Sempronia decretae non sunt, quo modo Pompeius Hispanias, Crassus Syriam, vtramque consularem accepit? Non senatus consulto, sed lege tribunicia, quam tulit C. Trebonius, vt iis prouinciis quinquennium vterque praeesset. nam, si a senatu lege Sempronia prouincias accepissent; annua tantum prouinciarum fuisset administratio. quam ob causam, et simul quia verebantur, ne Galliae sibi a Caesaris aduersariis decernerentur, petere prouincias, omissa lege Sempronia a populo maluerunt, Caesaris exemplum secuti, qui et ipse Galliam citeriorem inuito senatu, lege Vatinia in quinquennium accepit. Restat illud, quod historiae ordo postulat, vt ostendamus, haec tria, de stipendio Caesari decreto, de decem legatis, de prorogata prouincia, quamquam a Cicerone continenti narratione demonstrentur, temporibus tamen distingui. non enim facta eodem anno sunt omnia: sed stipendium cum decem legatis decretum Marcellino et Philippo coss. quod indicat oratio de prouinciis habita, vt ait Asconius, iis consulibus. in ea enim oratione de decem legatis mentio fit, de prorogata prouincia verbum nullum. prorogatam autem sequenti anno, Pompeio et Crasso coss. Suetonius in Iulio c. 24. Velleius lib. 2. c. 46. Plutarchus in Gracchis, Appianus lib. 3. Dio lib. 39. Cicero ipse lib. 8. ad Attic. epist. 3. declarat.

Quod ad te ERN. *Quod ego ad te b. euius scribo*] Sic libri mei, sic Mediceus: et recte. mutare tamen nonnullis placuit, et pro, *ego*, reponere, *eo*.

Non delectat] Pluribus enim verbis, quae nos delectant, persequimur.

Litteris omnibus] Iuri ciuili, philosophiae, historiae, poeticae etiam facultati: quae ad oratoriam laudem cum pertineant, culta sunt a Cicerone diligenter: quod ipse suis in libris, et Plutarchus in eius vita testatum reliquit.

Tu, rebus tuis integris, discas] Me docuit calamitas: tu in re tua, non ita magna mercede, potes discere.

Neque salutis nostrae] Vt rempublicam quidem, sed simul cum ea nosmetipsos diligamus.

De filia, et de Crassipede] Ciceronis filia Tullia ter nupsit, contra quam Pedianus et Plutarchus videntur existimasse, L. Calpurnio Pisoni Frugi, Furio Crassipedi, cuius numquam praenomen inueni, P. Cornelio Dolabellae. Piso periit exsulante Cicerone; Crassipedis interitus mentio nulla; vt dimissam ab eo putem: Dolabella diuortium fecit: nec multo post ex partu decessit. quae colliguntur omnia ex his, et ad Atticum, et ad Q. Fratrem epistolis.

Speroque et opto, nobis haec coniunctionem voluptati fore] *Fore*, ad verbum, *spero*, non ad, *opto*, respicit. nam, *opto esse*, dicitur, non, *opto fore*. quo factum est, vt nonnulli, de mendo suspicati, legendum

dum putauerint, *optoque et spero*, ignari scilicet Ciceronianae consuetudinis: cuius exempla possum afferre multa, sed vno contentus ero: quo satis probabitur, non eius, quod prope adest, sed quod longius distat, nominis habitam esse rationem. prima verba lib. 1. de Leg. haec sunt: *Lucus quidem ille, et haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario.*

Lentulum nostrum] Naturalem huius P. Lentuli filium, adoptiuum autem Manlii Torquati, vt Dio lib. 39. narrat. Hunc ab Octauiano, victis reipublicae partibus, occisum ait Plutarchus, falso gloriatum, inani studio laudis, se quoque Caesaris necis cum Bruto et Cassio participem fuisse; quod ipsemet fatetur lib. 12. epist. 14. his verbis: *Ego me de republica puto esse meritum, vt non prouinciae istius beneficium exspectare debeam, sed tantum, quantum Cassius, et Bruti, non solum illius facti periculique societate, sed etiam huius temporis studio et virtute.*

Eximia spe, summae virtutis adolescentem] Eadem sententia de Curione dixit in Phil. 2. c. 18. *Adolescentem, summa spe et animi et ingenii praeditum.* In pueris autem, et adolescentibus laudari solet spes, facta non possunt. Huc pertinet Seruii locus, vbi explanatur illud Virgilii ex lib. 6. Aen. v. 877. *In tantum spe tollet auos* Rhetorice ait, *spem laudat in puero, quia facta non inuenit. est autem Ciceronis in Dialogo: Fanni, causa difficilis, laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.*

Studuisti] Scientiam litterarum Lentulo tribuere videtur Cicero in libro de clar. orat. c. 77. cum ait: *Quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae deerant.*

Imitatione tui fac erudias] Vt in tuam vitam, tamquam in speculum, intuens, tibi studeat esse quam simillimus. virtutis enim disciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem, atque imitationem tui. Quibus verbis vsus est Cicero de filio suo in epist. 7. ad M. Brutum.

Nulla enim erit hac praestantior disciplina] Legerat accuratissime Cicero Xenophontis libros de Cyro maiore conscriptos. quod ipse lib. 9. epist. 25. ad Papirium ostendit his verbis: παιδείαν Κύρου, *quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui.* Ex ea lectione haec erant praeclara multa in illius memoria, vt hoc fortasse de maiorum imitatione. nam apud Xenophontem lib. 8. c. 17. sic Cyrus moriens filios alloquitur: Ἐι μὲν οὖν ἐγὼ ὑμᾶς ἱκανῶς διδάσκω, οἵους χρὴ πρὸς ἀλλήλους εἶναι· εἰ δὲ μή, καὶ παρὰ τῶν προγεγενημένων μανθάνετε, αὕτη γὰρ ἀρίστη διδασκαλία.

Quia tuus] Amamus enim amicorum filios, qualescumque sunt, parentum causa. quam sententiam confirmant Trebonii verba lib. 12. epist. 16. *Tibi*, inquit, *quod vere facere possum, libenter gratulor, nec minus etiam nobis: quod cum, quem necesse erat diligere, qualiscumque esset, talem habemus, vt libenter quoque diligamus.*

Quia te dignus] Virtuti deditus, ac probitati: vt, etiam si tuus non sit filius, amandus tamen suopte merito videatur.

Quia nos diligit] *Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis, a quibus prouocere:* vt est in epist. 1. ad M. Brutum.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Desperata iam reductione regis, queritur de statu rerum communium; vt ex eo Lentulus de sua ratione meditetur. itaque negotialem epistolam esse dicemus: quandoquidem ad Alexandrinum negotium tota fere narratio spectat. quiddam tamen quasi consolationis affert, cum ait: sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate: *et cum subiungit infra:* Pompeium tibi valde amicum esse cognoui. *Postremo claudit epistolam spe supplicationum, et officii sui mentione: vt Lentuli dolorem, amissa regis restituendi spe, aliqua saltem ex parte leniat.*

EXPLANATIO.

De omnibus rebus] Non de regia tantum caussa, sed omnino de omnibus rebus, quae ad te pertinent.

Pompeius] Consul.

Susceperit] Agendum tua caussa.

Ex Emplatorio] Non agnosco Romanam gentem: et malim, *ex M. Plaetorio.* Plaetorii enim inter gentes Romanas noti; et M. Plaetorius praetor in orat. pro Cluent. c. 53. nominatur.

Praefuit] Praecipuam curam, dum agerentur, adhibuit.

Non facile est scribere] Cum tota ratio senatus, iudiciorum, rei totius publicae commutata sit.

Quidem certe] Ita veteres loquebantur de re satis optata, cum eam, quae erat optatior, assequi non licebat. res, inquit, communes optime se non habent, sunt tamen in amicorum nostrorum potestate. non habemus, quod volumus, vt sit optimus rerum communium status: id quidem certe habemus, quod secundo loco optandum erat, vt in amicorum nostrorum potestate sint. Epist. 9. *Tu me consiliario, fortasse non imperitissimo, fideli quidem, et benenolo certe, vsus esses.* Quo loco separatim posuit, elegantiae caussa, *quidem*, et *certe:* quemadmodum epist. 5. *Catoni quidem, quoquo modo se res habeat, profecto resistimus.*

Amicorum] Pompeii et Caesaris: addo etiam Crassum; cum quo, rogatus a Pompeio, et Caesare, a Publio praeterea, ipsius Crassi filio, redierat in gratiam. epist. sequenti, et lib. 5. epist. 8. et apud Plutarchum in Crasso.

Nullam mutationem] Vere: numquam enim postea respublica valuit.

Habitura res esse videatur] Hic est ille numerus, quem in Cicerone obtrectatores eius notabant; non quod optimus non esset; sed quod ei nimium familiaris, quasi de industria quaesitus. Tacitus in dialogo de orat. c. 23. *Nolo irridere rotam fortunae, et Ius Verrinum, et illud, tertio quoque sensu in omnibus*

bus pro sententia positum, Esse videatur. Quinctilianus quoque lib. 10. c. 2. *Noueram*, inquit, *quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent*, Esse videatur. Sane et in ea, quae proxima sequitur, idem iteratum est. Verum, vt mihi videtur, inique faciunt, qui vitiosum existimant, quod et a sententia postulatur, et aures ob numeri suauitatem oblectat, nec tamen, vt ait Tacitus, tertio quoque sensu in omnibus pro sententia ponitur.

Vt debeo] Ob eius in me merita.

Vt tute mihi praecepisti] Cum eius in me beneficium, cuius ipse testis fueras, praedicares. In epist. sequenti: *Pompeio plurimum, te quidem ipso praedicatore ac teste, debebam.*

Vt me pietas, vtilitasque cogit] *Pietas*, erga optime de me meritum: *vtilitas*, cum habendam mihi rationem aliquando etiam salutis intelligam. Epist. sequenti: *Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum praesidiis iis, quae semper habui, nunc etiam potentium benevolentiam coniunxissem.* Pietatis autem nomen erga eos etiam, qui summa in nos beneficia contulerunt, vsurpari solere, diximus in epist. 1. Antiqui libri, vel, *dictas*, vel *dictas*, habent: ex quo nonnulli legunt, *dignitas* quod, vt opinor, diuersam a Ciceronis mente sententiam habet, cogebatur enim vtilitate, non dignitate; quae reuocare potius ab eorum amicitia videbatur, qui de sua potentia, non de republica laborabant, et sibi non nihil, salutis causa, detrahendum a dignitate, dixit in proxima epistola. idemque significat, cum subiungit, non libenter se rectum, et confirmatum a republica sensum deponere. et infra: *dignitatem illam consularem fortis et constantis senatoris, nihil est, quod cogitemus.* At enim, cum proxime dixerit, *vt debeo*, videtur abundare, *pietas*. Non abundat, sed auget id, quod dixit: quod et oratorium est, et Ciceroni, oratorum omnium principi, frequentissimum. saepe enim ita debemus, vt officio moueamur potius, quam impellamur. Itaque Cicero, non se debere tantum, sed cogi etiam pietate, demonstrat; cum Pompeium in recuperanda salute ita paene sui studiosum senserit, vt erga liberos parentes: in quos nomen pietatis conuenire, iam diximus.

Ad eius rationes] Ad ea, quae illi vtilia sunt, quaeque ille vult. Pompeium significari, satis constat.

Putasti] Cum de me ageres.

Quam sit difficile] Indicat, se coactum sua consilia ad potentium voluntatem accommodare coepisse.

Praesertim rectum] Non enim facile boni ciues a sententia demouentur.

Confirmatum] Veterem, ac diuturnam sententiam appellauit in epistola superiore.

Ipse me confirmo] Quasi rem nouam: non tam vt saluti seruiam, quod antea non feci: quam vt optime de me merito gratiam referam. Proxime dixit: *me ad eius rationes adiungo.*

A quo honeste dissentire non possum] Cum is auctor fuerit salutis meae.

Simulatione] Quia Pompeius in ciuitate plurimum valeat.

Animi inductio] Excluditur simulatio, non tamen amor ostenditur.

tur. propterea subiungit: *et mehercule amor.*

Videantur] Magni amoris argumentum, vt voluntatem sequatur opinio.

Aduersarii] Qui optimates haberi volebant.

Concedant omnes] Cum intelligant, honeste me a Pompeio, cui tantum debeam, dissentire non posse.

Vel taceam] Transit ad minora. nam, si conceditur, vt ea defendat, quae Pompeius velit, multo magis, vt taceat: maxime vero, vt ad studia se referat litterarum: quo videri posset, ea, quae fierent, non probare, et multo magis consulere videretur dignitati suae, quam si vel defenderet in senatu, quae Pompeius vellet, vel etiam taceret.

Per eiusdem amicitiam] Cui roganti, vt in senatu adsim, eiusque voluntatem defendam, pro amicitia deesse non possum.

Perfuncti essemus] *Perfunctus esse* dicitur, qui ad exitum alicuius rei, siue optabilis ea sit, siue contra, iam peruenit. prioris generis exemplum hoc est: *perfungi honoribus amplissimis.* et lib. 3. de Orat. c. 2. *Qui ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium conceſſu, ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem, atque omnia vitae consilia morte peruertit.* Et Sulpicius lib. 4. epist. 5. *Omnibus bonis prope perfunctam esse.* Posterioris generis plura et apud hunc nostrum, et apud alios exempla suppeditant. *Defungi*, valet idem, sed hoc differt, quod in malam partem semper, vt mea memoria est, accipitur: quo modo Coelius lib. 8. epist. 1. vsus est: *Et hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, vt defungeremur, optaui.*

Dignitas] Quod erat praemium maximorum laborum.

Capessenda] Administranda. id enim est *capessere.* epist. sequenti: *Neque integra re mihi ad consulendum, capesseremne rempublicam, implicatus tenebar.* Lib. 3. de republ. apud Augustinum lib. 2. de ciu. Dei c. 21. *Omnino nulla respublica est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam, factioue capessat.* Lib. 4. apud eundem lib. 2. c. 10. *Aeschines Athenienſis, vir eloquentissimus, cum adolescens tragoedias actitauisset, rempublicam capessiuit.*

Nulla cum grauitate] Assentiri enim iis, contra quos antea reipublicae caussa senseris, leuitatis est.

Paucis] Si pauci, quo modo ab iis frustra dissentitur? quia pauci quidem principes, Caesar, Pompeius, Crassus, sed factio eorum maxima.

Frustra] Cum etiam in senatu, qui alienior ab iis antea fuit, auctoritate plurimum valeat.

De tua ratione] De eo, quod ad te pertinet, de regia caussa.

Senatus] Per quem consecuti sunt, quae ne per populum quidem sine seditione se assequi posse arbitrabantur. Populum non nominat, quia commutatus is non erat: semper enim Caesaris caussam iuuit.

Otium] Satis superque habebimus, si per eos, qui rerum potiuntur, nobis licebit esse otiosis.

Praestaturi] Permittent, nihil vt agamus, et otiosa, et tranquilla vita perfruamur.

Quidam homines] In primis M. Cato, eiusque sororum viri, M. Bibulus, et L. Domitius Ahenobarbus,

bus, Caesaris, et Pompeii veteres inimici.

Dignitatem consularem] Consularium enim sententiae magnum in senatu pondus habere debent; in quo dignitas est; nunc non habent: amissa igitur dignitas est.

Fortis, et constantis] Qui nullis periculis a tuenda republica deterretur. cuius nunc fortitudinis atque constantiae neque praemium est vllum, paucis omnia tenentibus: neque fructus, quia frustra dissentitur.

Ordinem coniunctissimum] Equestrem ordinem: quem ipse Cicero consul cum senatu coniunxerat. alienatus autem est a senatu Catonis opera, qui, petentibus Asianis publicanis, vt induceretur locatio vectigalium, quae, cupiditate prolapsi, nimium magno conduxerant, responsum dari passus non est: quam Caesar, anno sequenti consul, occasionem arripuit conciliandi sibi, et a senatu disiungendi ordinis equestris. de quo Suetonius in Iulio c. 20. *Publicanos, remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit: ac, ne in locatione nouorum vectigalium immoderatius liceretur, propalam monuit.* Idem confirmat Dio lib. 38. et Appianus lib. 2. de bell. ciu. Cicero autem lib. 1. ad Attic. epist. 17. plane rem exponit. *Asiani*, inquit, *qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: vt induceretur locatio, postulauerunt. Ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus.* Ibidem paullo post: *Ego conseruans rationem, institutionemque nostram, tueor, vt possum, illam a me conglutinatam concordiam.* Epist. 18. *Alienati equites Romani. sic ille annus duo firmamenta reipublicae, per me vnum constituta, euertit: nam et senatus auctoritatem abiecit, et ordinum concordiam disiunxit.* In eadem: *Cato miseros publicanos tertium iam mensem vexat, neque iis a senatu responsum dari patitur.* Lib. 2. ad eundem epist. 1. *Cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino collocaram, senatum deseruerit.* Ibidem paullo post: *Quid impudentius publicanis renunciantibus? fuit tamen, retinendi ordinis caussa, facienda iactura. Restitit, et pernicie Cato.* In Catilinam autem orat. 4. c. 7. ad conseruandam senatus equitumque concordiam hortatur his verbis: *Quam coniunctionem si, in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus: confirmo vobis, nullum posthac malum ciuile ac domesticum ad vllam reipublicae partem esse venturum.*

Hominem clarissimum] Pompeium, quem abalienauerant a senatu, qui ea, quae ille, deuicto Mithridate, regibus, dynastis, et ciuitatibus in Asia concesserat, confirmari a senatu non permiserant: quorum princeps fuit L. Lucullus, qui sororem M. Catonis Seruiliam in matrimonio habebat, adiuuantibus Catone et Metello Celere consule. ex quo Pompeius, vxore ducta Caesaris filia, facile impetrauit, vt is consul acta sua confirmaret. Appianus lib. 2. de bell. ciu. Dio lib. 37. Suetonius in Iulio c. 19.

Eo consule] Non, cum erit consul, sed, quoad erit. hoc enim anno, quod iam diximus, consulatum gerebat cum M. Crasso.

Affixum] Numquam ab eo discedam, haerebo illi, vt haerent ea, quae

quae affixa sunt. lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1. *Dedit etiam alteram illam mihi, qua iubes eum mihi esse affixum, tamquam magistro.*

Etiam propter id ipsum] Non solum quia te diligit, sed etiam propter id ipsum, quod me tibi, de me optime merito, eam, quam debeo, praestare memoriam, ac beneuolentiam intelliget: tum quia solet amabilis, et iucunda apud omnes esse grati animi significatio: tum eo praecipue nomine, quod Pompeius, qua in ipsum quoque voluntate sim, cui debeo plurimum, inde coniecturam capiet.

Minimam] Vnde tibi, quo animo sim in maximis, licet coniicere.

Consequi possum] Sic epist. 4. *Si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum assecutus.*

Rumor erat] Verus. nam epist. sequenti: *te esse imperatorem, provinciamque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, vt debeo, laetor.* Quamquam explorata Lentuli victoria nondum erat. si enim certus bene gestae rei nuncius allatus esset, epistolam inscripsisset, *Lentulo Imperatori*, vt in epistola sequenti.

Pompeio] Vt, allatis tuis litteris, rem bene gestam significantibus, referat ad senatum de supplicationibus tibi decernendis.

Plus contenderimus, quam possumus] Velle se plurimum Lentuli caussa, ostendit, nec tamen praestare posse, quantum debeat. Simile illud lib. 4. epist. 8. *Vt me non solum omnia debere tua caussa, sed ea quoque, etiam quae non possim, putem.* Item Phil. 6. c. 7. *Consilio, quantum potero, labore, plus paene, quam potero, excubabo vigilaboque pro vobis.*

Quam debemus] Nam, vt omnia tua caussa praestem, vincentur tamen meritis tuis officia mea. Quod autem hic, *minus quam debemus*, lib. 6. epist. 4. dixit, *merita non assequar.*

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Sine dubio moralis est epistola, ob eam maxime caussam scripta, vt id, quod factum est, recte factum ostendatur. quaerenti enim Lentulo, cur cum inimicis, Caesare, Appio, Vatinio, in gratiam Cicero redierit, atque ita, vt Vatinium, quem accusauerat antea, defenderit, ac laudarit, caussas exponit consilii sui. Tota vero eius excusatio quinque potissimum rationibus nititur: primum, quod, cum et Pompeio plurimum debeat, et mirificam Caesaris erga se, fratremque suum liberalitatem sit expertus, ad eorum se rationes non inuitus adiungat, a quibus honeste dissentire non possit: deinde, quod in eum sensum non tam alliciatur beneficiis, quam compellatur iniuriis; cum ei ciues improbi nocere studeant, boni etiam inuideant: tertio loco, quod, habendam esse non modo dignitatis, verum etiam salutis rationem, exsulii sui calamitate doctus, intelligat: tum, quod, cum Pompeio, ac Caesare, optime vtroque de republica merito, coniungi, et eorum caussa paullisper sententiam mutare, turpe

non

non sit: idque confirmat sapientissimorum hominum auctoritate, qui perpetuam in republica gubernanda sententiam numquam laudauerint: postremo, quod, in eo se nihil contra Lentuli voluntatem comm sisse, crediderit; cuius animum nouerit tum sibi amicissimum, tum nulla in ceteros maleuolentia suffusum. Extrema pars epistulae negotia continet, de suis scriptis, de Lentuli rebus domesticis, de Q. Fratris negotio, de Appii cupiditate Ciliciae administrandae, de publicanis.

EXPLANATIO.

Lentulo Imperatori] Re bene gesta, qui ab exercitu imperator erat appellatus, litteras suas imperatoris nomine inscribebat: quod Cicero fecit lib. 2. epist. 10. Similiter, qui ad eum scribebant, imperatorem appellabant: propterea superiores litterae inscribuntur *Lentulo proconsuli*, victoria nondum certa; hae vero, *imperatori*, cum plane cognita res esset.

Grauissimum] Quod tamen sua grauitate tuorum in me meritorum pondera non aequat.

Sanctissimum] Proprie enim de diis vsurpatur, inde transfertur in patriam, in parentes, in optime meritos. epist. 1.

Abundantia quadam amoris, vt etiam grata sint ea] Vera laus liberalitatis in eo sita est, cum ita beneficium damus, vt ab eo, qui accipit, non modo fructum, aut mercedem vllam non exigamus, sed ne exspectemus quidem. hac laude Cicero ornat Lentulum: sed adiungit alteram, humanitatis videlicet, cum studia sua non modo ab eo non exspectari significat, sed grata etiam esse, neque grata ob eam causam, quod vtilitatem, vel honorem pariant, sed propter quandam amoris abundantiam, significat.

Sine nefario scelere] Peccat, qui gratiae referendae occasionem praetermittit: sed nec, quicumque peccat, sceleratus est; nec omnia scelera nefaria sunt. Ostendit igitur Cicero magnitudinem eius beneficii, quod a Lentulo acceperit, cum ait: ea studia ita a se deberi, vt praetermitti sine nefario scelere non possint.

Notior atque illustrior] Geminatio verborum idem significantium, (πλεονασμὸν rhetores appellant,) modo virtus est, vbi sententiam auget, vel ornat; modo vitium, vbi neutrum: quo de vtroque genere lib. 8. c. 3. et lib. 9. c. 3. disputat Quinctilianus. hic non est otiosum, *illustrior*: addit enim ad sententiam: quia nota multa sunt, nec tamen illustria. ornat autem, quia translata verba quiddam habent magnificentius, quam propria, et orationem, vt ait Cicero in oratore, quasi stellae quaedam illustrant.

Hoc tempore omni] Triennium. nam ante biennium Lentulus, consulatu functus, iuerat in Ciliciam, mansitque ad Caluinum, et Messallam consulem: quo anno successit ei App. Claudius.

Ostendis] Verbis significas. sic epist. 1. *Ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.*

Potes] Ostendis, inquit, futurum, vt opiniones nostrae consentiant in capessenda republica, idque

que potes, quia me tuarum actionum, sententiarum, voluntatum socium, comitemque habebis. Hoc in extrema fere epistola.

Vehementer exspecto] Propter mutuam beneuolentiam, et opinionum similitudinem.

In sententiis senatoriis] Omissa populi mentione, senatum nominat: cuius causam optimates tuebantur; cum leues, et improbi cives populi gratiam sectarentur.

Actione atque administratione reipublicae] Latius patebat, *actione:* contraxit igitur, et a toto actionum genere transit ad eam partem, in qua Lentulo notior, et illustrior eius animus esse potuisset. id autem erat, reipublicae administratio: cum qua sequens verbum *floruissemus*, apte congruit.

Floruissemus] Coniunctis enim duorum consularium sententiis, vtrique dignitas comparatur.

Ostendam equidem] Vt intelligas, me non aliter, ac debeam, sentire. veruntamen, si tu adfuisses, nihil sine consilio tuo fecissem, te auctore prorsus in omnibus rebus vsus essem.

Auctore] Secutus essem voluntatem tuam in reconciliando cum Caesare, Appio, Vatinio gratia.

Amicissimo et sapientissimo] Cur ei non obtemperem, atque obsequar, qui et omnia mea causa vult, et ita excellit sapientia, vt errare non possit? hoc enim simul vtrumque requiritur in eo, qui consilium dat.

Fideli quidem et beneuolo] Fides, et amor a consiliario postulantur. non enim praestare fidem, quod probitatis est, videtur satis: sed agere etiam oportet ea diligenter, quae ad rem pertinere ducimus; quod amoris est. ita, cum beneuolentiam, et sapientiam Lentulo tribuerit, ei se comparat in beneuolentia: quod amabile potius, quam odiosum est: sapientiam vero nec eandem sibi arrogat, nec tamen omnino detrahit, cum ait, *fortasse non imperitissimo.*

Tua quidem causa] Nam mea te adesse maluissem. Expressit egregie lib. 2. epist. 1. eandem sententiam his verbis: *Ego te abfuisse tam diu a nobis, et dolui, quod carui fructu iucundissimae consuetudinis, et laetor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus.*

Imperatorem] Appellatum ab exercitu. lib. 2. epist. 10.

Bene gestis rebus] Materiam triumphandi rectores prouinciarum ex finitimarum gentium bellis quaerebant. Triumphauit Lentulus ex Cilicia, non statim ad vrbem reuersus, sed post aliquot menses: id quod ex eo loco lib. 5. ad Attic. epist. 21. licet intelligere: *Accepe-ram satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas.*

Vberiores et praesentiores ERN. *praestantiores*] Apte post copiam subiungitur magnitudo: idque Cicero saepe facit. cum igitur ad sententiam et Ciceronis consuetudinem accedat veterum aliquot librorum auctoritas; verbum, *praestantiores*, in *praesentiores*, quod alii maluerunt, commutare visum non est.

Vlciscendis] Dicimus, *vltus est inimicum*, vt hic, et *vltus est sese*, vt paullo post, sensu eodem. significat autem eos, qui se in reductione

ctione Ptolemaei regis aduersarios Lentulo praebuerant.

Inimicos esse] Populares ciues hic significat; optimatesautem, cum subiungit, *inuidere*: quod vtrumque genus saepe notat in his epistolis.

Propugnationem] In consulatu.

Actionis] Cum me consul virtute, et constantia in patriam ab exsulio reduxisti.

Perennis inimicus] Cum sequatur, *in te potissimum*, C. Catonem hunc esse, possit aliquis iure suspicari, qui biennio ante tribunus plebis rogationem tulerat, vt imperium Ciliciae Lentulo abrogaretur. epist. 5.

Fractam] A consequentibus nominantur multa: vt hic, *fractam vim*, Cicero appellat, quia Lentulo non nocuit. exitus enim, quam infirma vis eius esset, ostendit.

Debilitatam] Translatis illustratur oratio. haec autem duo, *frangi*, et *debilitari*, saepe Cicero coniungit, vt lib. 5. epist. 13. *Circumspice omnia membra reipublicae, quae notissima sunt tibi. nullum reperies profecto, quod non fractum, debilitatumue sit.* et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Animos nostros frangi, et debilitari molestia non oportet.* Et pro Flacco c. 26. *Quae vrbs auctoritate tanta est, vt tam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen, huius vrbis laude nitatur.*

Nostram vicem] Quod ad nos pertinuit, quod ipsi facere debuimus. sic, *doleo tuam vicem*, veteres dicebant, pro, quod ad te pertinet: et Plautus in Captiu. Act. 3. Sc. 3. v. 10.

— *Neque de hac re negotium est,*
quin male
Occidam, oppetamque pestem,
heri vicem meamque.

Vltus est ipse sese] Se ipse punivit, poenas ipse sibi eas intulit, quas inferre nos debuimus.

Ne libertatis quidem] Vt ei ne liberum quidem sit in publico versari; vel quod scelus aliquod insigne committere voluerit: vel quod reuocatus in iudicium sit; cum defendente Scauro, hoc ipso anno, vt Pedianus docet, Quinctili mense absolutus esset. certe cum propter alia flagitia, tum eo nomine inuisum esse optimatibus oportuit, quod tribunus plebis intercesserat, ne consules Marcellinus, et Philippus comitia consularia habere possent. ex quo senatus, ad moerorem indicandum, vestem mutauit. epitome Liuiana lib. 105. quo magis haec suspicor ad eum attinere: nam de P. Clodio quidem, Ciceronis, et Lentuli inimico, vix crediderim. non enim hoc in eum conuenit, *nullam sibi libertatis partem reliquit.* id enim quale esset, vel ipsius scripta Ciceronis, ad obiiciendum parati, vel monumenta annalium ostenderent. Porro tantum abest, vt omnes libertatis partes Clodius amiserit, vt etiam pristinam dignitatem retinuerit, quippe qui de petenda suo anno praetura, id est, biennio post aedilitatem ab eo gestam, cogitauerat. quod Cicero in orat. pro Milone c. 12. testatum reliquit.

In meis rebus expertum] Quod dixit epist. 5. *Te videre, et sentire eandem fidem esse, hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus; ex tuis litteris intellexi.*

In molestia gaudeo] Figura quaedam ex mistione contrariorum orationi venustatem concilians: quae nisi pluribus ostendatur exemplis,

fortasse non facile dabitur imitandi facultas. Nobis autem, hunc interpretandi laborem suscipientibus, id maxime propositum fuit, vt adolescentes, pro viribus ingenii nostri, commodiore quadam quasi via ad aliquam eloquentiae laudem perduceremus. Duplex igitur haec figura est. aut enim cum significatione doloris, et molestiae, coniungitur gaudium, et consolatio: aut contra, gaudii consolationisque significationem dolor, et molestia sequitur. Primum genus hoc exemplo declaratur, *in molestia gaudeo.* Et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 15. *Se effecturum, vt ego in medio dolore, ac desiderio tui, te, cum a me abesses, potissimum secum esse laetarer.* Nec dissimile illud epist. 6. *Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod valde suspicor, fore, vt infringatur hominum improbitas.* Aut illud lib. 1. ad Attic. epist. 17. *In ista incommoditate alienati illius animi, et offensi, illud inest tamen commodi.* Aut lib. 11. epist. 26. *In maximo meo dolore hoc solatio vtor.* Alterum genus agnoscitur lib. 15. epist. 21. *Sed tamen in ea voluptate, hunc accepi dolorem.* lib. 16. epist. 8. *In magna consolatione ingens inest sollicitudo.* lib. 2. ad Q. Fr. epist. 10. *Nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc adspersit molestiae.* Pertinere videtur ad hoc genus et illud lib. 2. epist. 16. *Hoc adspersi, vt scires, me tamen in stomacho solere ridere.*

Non ita magna mercede] Quod explanauit epist. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.* et epist. 7. *Multum interest, vtrum laus imminuatur, an salus deseratur.*

Maximo dolore] Afflicta salute, cum eiectus patria fuim.

De qua ratione] Vt intelligas, quam incerta sit hominum fides. quae me caussa de vetere illa mea, diuturnaque sententia prope iam depulit, et cum inimicis in gratiam reduxit. Hoc Cicero significat, vt consilii sui mutationem, cuius caussam Lentulus quaesierat, excusset.

Cum Caesare, et cum Appio] Quos antea inimicos diuersis nominibus habuerat, Appium, P. Clodii, fratris sui, gratia; Caesarem, quod in quodam iudicio, de statu temporum paullo liberius locutus, eius animum offenderat. de quo Suetonius in Iulio c. 20. haec: *Ciceronе in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium, inimicum eius, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona transduxit.* Idem ipse confirmat in orat. pro domo c. 16. *Hora fortasse sexta diei quaestus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quaedam de republica, quae mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus.* Et in orat. de prouinciis c. 17. *Traduxit ad plebem inimicum meum: siue iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi: siue exoratus.* Idem Plutarchus, Dio, alii.

Esse in gratia] Audierat Lentulus, Ciceronem de commodis, et ornamentis Caesaris maxime omnium in senatu laborasse. decreuerat enim ei sua sententia supplicationes

tiones quindecim dierum, quod ante contigerat nemini; stipendium, et decem legatos: praeterea, cum de successione Galliarum ageretur, luculentam habuerat de conseruanda Caesari vtraque Gallia orationem, quae nunc exstat, inscripta, *de prouinciis consularibus.*

Teque id non reprehendere] Offensus Lentulus iisdem, quibus Cicero, vitiis optimatum, inuidia scilicet, atque obtrectatione, nouam Ciceronis cum inimicis coniunctionem, maximeque cum Caesare, populi gratia florentissimo, non improbabat. Scripserat enim ad eum Cicero cum alia de amicorum perfidia, tum illud epist. 7. *In te, homine omnium nobilissimo, similia inuidorum vitia perspexi.*

Vatinium] Quem maxime oderat, et reipublicae caussa, et sua: quod primum tribunus plebis contra senatus voluntatem multa commiserat; deinde testimonium dixerat in P. Sextium, cuius in primis opera Cicero in patriam redierat. Exstat in Vatinium oratio.

Defenderim] Defendit rogatu Caesaris: vt infra. ipse etiam Vatinius lib. 5. epist. 9. defensum se a Cicerone, eiusque patrocinio periculum euasisse significat. Valerius Max. lib. 4. c. 2. *Cicero P. Vatinium, dignitati suae semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est.*

Laudarim] Defendebant reos patroni, laudabant viri nobiles, vt eorum auctoritas ac testimonium quasi commendaret eos iudicibus. paullo post: *Sedente Cn. Pompeio, cum vt laudaret P. Sextium, introisset in vrbem.* Et M. Scaurum, quem Cicero defendit, laudatum a nouem consularibus, in Asconio legimus.

Ego me] Haec tota narratio ad euitandam leuitatis, et inconstantiae culpam pertinet. ostendit enim Cicero, se in patriam rediisse ita animatum, vt et cum quibus, et contra quos antea, cum iisdem, et contra eosdem in capessenda republica sentiret: sed eum sibi animum, eamque sententiam inuidia, et obtrectatione quorundam sibi esse ereptam. probat hoc exemplis, quod in Sextii iudicio, sedente Cn. Pompeio, non reputans quid ille, aut quid Caesar vellet, contra vtrumque suam pristinam dicendi libertatem retinuerit, maxime vero, quod de agro Campano diuidendo sententiam dixerit eam, quae Caesarem, et Pompeium, eius generum, optime de se meritos offendit.

Initio rerum, atque actionum tuarum] Non quo primum tempore Lentulus de eo restituendo coepit agere, sed cum primum restitutus est; vt e sequentibus apparet. dicit enim, *initio actionum tuarum*, pro, initio reditus mei; qui actio tua fuit.

Reipublicae] Vt in ea tuenda pristinam consuetudinem seruarem.

Quendam] Hoc verbo amoris magnitudo tanta declaratur, quantam verbis exprimere non licet. sic enim loquimur, vbi conceptam animo sententiam enunciare, atque ostendere pro voluntate non possumus: lib. 2. epist. 4. *Incredibilis quaedam exspectatio.* in hac, infra: *Commemoranda quaedam, et diuina Caesaris in me, fratremque meum liberalitas.*

In te ipsum] Non solum in rempublicam.

Summa ac singularia] Possunt enim esse summa, nec tamen singularia. Sunt enim *summa*, qui-

bus nulla maiora; *singularia*, quae omnium maxima.

Studia] *Amorem*, et *studia* nominat, quia nec amorem semper studia comitantur, praesertim summa, et singularia, nec semper studiis amor, praesertim incredibilis, adiunctus est.

Deberem] Et hic augetur sententia. dixi, *amorem* interdum sine studiis esse, *studia* sine amore: iure igitur vtrumque Cicero coniunxit. nunc addo, eum, qui et amet incredibiliter, et ei, quem amat, summe faueat, interdum hoc facere sua sponte, non beneficio adductum: quo minor eum, si ab illa voluntate discedat, sequitur infamia. maior igitur ab eo exspectanda constantia, qui amat eum, cui plurimum debet; cum intelligat, sibi non inconstantiae modo famam, sed ingrati quoque animi crimen pertimescendum.

Multum adiuuisset] Cum enim omnes magistratus vna cum Lentulo de salute Ciceronis promulgarint, in eoque omnes ordines, hominesque contenderint, ideo restitutus ab ipsa republica Cicero videtur.

Communi officio ciuium] Erga patriam, cui nascimur, vt dixit Plato.

Debitum praestitissem] Proprie coniungitur verbum, *praesto*, cum iis rebus, quibus agendis aut fidei satisfacimus, vt cum aliquid promittitur; aut officio, vt cum patriae, amicis, bonis viris opitulamur.

Hac me mente fuisse] Idem erat, si copiam quaerimus, *hoc animo*, *hoc sensu*, *hac sententia*; idem etiam, vt varietur loquendi genus, *hanc mihi mentem fuisse*. vnde illud Sallustianum bell. Cat. c. 52. *Longe mihi alia mens est*.

Te consule] Per quattuor menses, eoque amplius: rediit enim in patriam Cicero Sextili mense: quod ostendit lib. 4. ad Attic. epist. 1.

Audiuit] Cum sententiam dicerem. non enim reputans, quid Pompeius vellet, aut socer eius Caesar, in omnibus meis sententiis de republica pristinis permanebam.

Collocutionibus] *Collocutio* inter duos est; *sermo*, et inter duos esse, et patere latius potest, et *collocutio* sermonem ab arbitris remotum, priuatim, et paullo secretiore loco habitum, videtur indicare; *sermo* autem, licet inter duos habeatur, celebri tamen esse loco potest. itaque maior quaedam in collocutione, quam in sermone, res videtur agi: secreto enim colloquentes, intimum animi sensum liberius, quam in publico, patefaciunt.

Illis] Ante triennium. consules enim fuerant post reditum Ciceronis Marcellinus, et Philippus; Pompeius, et Crassus; Appius, et Domitius, quorum paene peractum esse consulatum, significat in extrema epistola mentio Appii, Lentulo succedere cupientis.

Reliqua nostra dignitate] Pertinebat enim ad eius dignitatem, si et domum suam recuperaret; et post reditum suum domo pulsus a Clodio, vltorem eius iniuriae senatum haberet: et in damnis rei domesticae sarciendis paullo liberaliorem optimatum voluntatem experiretur.

Nonnullorum] Eorum, qui de reditu eius laborauerant: quos ita offen-

offendit Ciceronis cum Pompeio, et Caesare multis rebus declarata reconciliatio, vt alii pristinum studium magna ex parte deposuerint, alii odium etiam aduersus Ciceronem susceperint. cum enim grauissimum, et acerrimum eius inimicum, P. Clodium amplexarentur, in manibus haberent, fouerent, ipso praesente oscularentur; argumento id quidem erat, Ciceronem eis esse odio; licet palam non profiterentur. Nec dubium est, Catonem, et Bibulum in primis significari, qui non modo Caesarem, sed Pompeium etiam, Caesaris caussa, vehementer oderant.

De monumentis meis] De domo. quae cum Ciceroni sit restituta, quod multis locis constat; possit aliquis quaerere, cur Lentulum dicat adiutum in ea non esse. tollitur dubitatio, si restitutam quidem Ciceroni domum intelligamus, partem tamen quandam, in qua suum nomen Clodius inscripserat, non esse restitutam: quam opinionem adiuuant illa, quae sequuntur aliquanto post: *Iidemque postea, non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, sed operis locatio mea fuerat,) monumentum vero senatus, hostili nomine, et cruentis inustum litteris esse passi sunt.*

Cum fratre eram domo expulsus] Expulsi erant fabri de area, in qua domum Ciceronis aedificabant. qua tota de re sic lib. 4. ad Attic. epist. 3. *Armatis hominibus ante diem* III. *Non. Nouemb. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quae ex senatus consulto consulum locatione reficiebatur, et ad tectum paene peruenerat. Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodii, inspectante vrbe, coniectis ignibus, magna querela, et gemitu, non dicam bonorum, qui, nescio, an nulli sint, sed plane hominum omnium.*

Ex auctoritate senatus] E senatus consulto. factum enim erat senatus consultum, placere domum Ciceroni restitui, porticum Catuli locari. de quo lib. 4. ad Attic. epist. 2. *Auctoritatem* autem *senatus* pro senatus consulto interdum vsurpari, diximus in epist. 2.

Sarciendis] Quod enim Clodius euerterat, id cum senatus publico sumptu aedificandum censuisset, aestimarunt consules de consilii sententia, quanti fuisset aedium superficies: neque hoc solum, sed quanti etiam fuissent villae, Tusculana, et Formiana, euersae ab eodem Clodio. quam Cicero aestimationem in domo non improbat, in villis accusat lib. 4. ad Attic. epist. 2. *Postridie*, inquit, *senatus consultum factum est id, quod ad te misi. deinde consules porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemtores statim sunt demoliti, libentissimis omnibus. nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt H-S. vicies; cetera valde illiberaliter: Tusculanam villam quingentis millibus; Formianum H-S. ducentis quinquaginta millibus. quae aestimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur.*

Quae cum viderem; neque enim erant obscura] Similiter locutus in orat. pro Sextio c. 19. *Haec ego cum viderem (neque enim erant occulta.)* Et in Agraria 2. c. 4. *Quae cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem: (neque enim obscure*

gerebantur.) Imitatus est fortasse Demosthenem, qui sic in oratione περὶ τοῦ στεφάνου· ταῦτα ὀρῶν, (ὃ γὰρ ἦν ἀφανῆ.)

Quam erant illa grata] Inuitum se de pristina sententia depulsum esse, et, omissa optimatum caussa, suam voluntatem, ad popularium ciuium, optime de se meritorum, dignitatem aggregasse, probat hoc argumento, quod licet in quibusdam non eam, quam exspectarat, voluntatem agnouerit, illico tamen de vetere suorum institutorum cursu ad noua consilia non deflexerit. est enim boni viri, de republica vehementius, quam de suis rebus, ac de se ipso, laborare.

Quae fecerant] Pro salute mea. decet enim, maiorem haberi rationem beneficii, quam iniuriae.

Teste] Qui studium illius in mea salute videras.

Sed amore etiam] Non amamus pariter, quibus debemus, et quos, etiam si nullum ab iis beneficium acceperimus, amandos tamen esse iudicamus. Amabam, inquit, Pompeium, ante quam ei obligatus essem, iudicio meo, quod habui semper de illius virtute, permotus.

Quid ille vellet] Volebat idem, quod Caesar, vel affinitatis caussa, quod eius filiam in matrimonio habebat; vel quorundam optimatum impulsus iniuriis. de quo sic epist. 8. *Dignitas illa consularis amissa est, culpa eorum, qui a senatu et ordinem coniunctissimum, et hominem clarissimum abalienaverunt.*

Pristinis] Quod ante exsulii mei calamitatem senseram, reuersus in patriam idem sensi.

Ego] Tria ponit exempla, quibus probet libertatem suam in dicenda sententia.

Sedente Cn Pompeio] In iudicio, cum defenderet Sextium Cicero, de vi accusatum ab Albinouano. exstat oratio.

Sextium] *Sextii* plebeii, *Sestii* patricii. Lapides Capitolini, et nummi veteres.

Introisset in vrbem] Quod vt ei saluis legibus liceret, a senatu impetrauerat. alioqui, cum esset cum imperio frumentariae curationis caussa, vrbem introire non poterat.

Testis Vatinius] Testis in Sextium; de quo in oratione, quam in eum Cicero habuit.

Amicum esse coepisse] Marcellino enim, et Philippo coss. quo anno Sextius de vi caussam dixit, decreuit Cicero sua sententia Caesari supplicationes quindecim dierum, stipendium, decem legatos: vt in orat. de prouinciis c. 11.

Bibuli] Quem Vatinius tribunus plebis, et Caesar consul exire domo prohibuerant, ne Caesaris acta impediret. Cicero, Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio.

Omnium triumphis, victoriisque anteferre] Triumphis Pompeii, victoriis Caesaris.

Eodem teste] Pompeio.

Eosdem esse] His verbis nec ipsi Pompeio pepercit. is enim pro Caesare consule contra Bibulum, eius collegam, omni non solum studio, sed etiam contentione dimicavit. Plutarchus, et alii.

Interrogatio] Oratio in Vatinium interrogatio est. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 4. *Vatinium, a quo palam* (Sextius) *oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus.* Videtur

tur Vatinius respondisse Ciceroni, nam eius oratio, in qua *scurram consularem* Ciceronem vocauit, nominatur a Macrobio lib. 2. Saturn. c. 1.

Illius tribunatus] Quem gessit Caesare consule.

De vi] Qua Bibulum obnunciantem foro expulit, atque etiam in vincula ducere conatus est. Cicero, Suetonius, Plutarchus, alii.

De auspiciis] Quibus neglectis, leges pro Caesare Vatinius tulit. plena omnis historia.

De donatione regnorum] Puto id significari, quod in orat. in Vatinium c. 12. ita scriptum est: *Volo vti mihi respondeas, fecerisne foedera tribunus plebis cum ciuitatibus, cum regibus, cum tetrarchis?*

Hac in caussa] P. Sextii.

In senatu] Cum sententiam diceret.

Marcellino et Philippo consulibus] Suspicor hoc abundare. cur enim annus nominibus consulum notetur: cum et haec proxima superiora eodem anno dicta sint?

Nonis April.] De quo sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 5. *Nonis Apr. senatus consulto Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam ad H-S CCCC. Sed eodem die vehementer actum de agro Campano, clamore senatus prope concionali.*

De agro Campano referretur] Hoc Caesari ac Pompeio vehementer displicuisse, ex iis, quae Cicero subiungit, licet intelligere. si caussa quaeritur, haec est. legem tulerat Caesar in consulatu de agro Campano diuidendo, diuisitque extra sortem viginti millibus ciuium, quibus terni, pluresue liberi essent, quod ex Tranquillo cognoscitur. Quid igitur de agro Campano, siquidem diuisus iam erat, referri ad senatum opus erat? dicam quod sentio. Duae partes erant agri Campani, vna publica, de qua Suetonius in Iulio c. 20. *Agrum*, inquit, *Campanum, ad subsidia reipublicae vectigalem relictum, Caesar diuisit extra sortem viginti millibus ciuium, quibus terni, pluresue liberi essent.* Altera, quae possidebatur a priuatis, quam emi pecunia publica, et plebi item diuidi Caesar voluerat. atque hanc agri Campani partem cum in orat. 2. in Rullum c. 25. Cicero significat, vbi de priuatis agris, in publicum Campanum incurrentibus, loquitur: tum vero planissime in orat. pro domo c. 9. his verbis: *Quis illam opimam, fertilemque Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit?* Inuehitur in Clodium, qui pecuniam illam, qua emi a priuatis agri Campani partem lex Iulia iubebat, ex aerario sumptam Gabinio dederat. Nec vero Gabinio tantum, sed eius etiam collegae Pisoni partem eius pecuniae Clodius largitus erat, qua de re sic in orat. in Pisonem c. 12. *Cauerat sibi ille sororius adulter, vt, si tibi prouinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex reipublicae visceribus dedisset, omnium suorum scelerum socium te, adiutoremque praeberes.* Vocat *ereptam ex reipublicae visceribus pecuniam*, quam in orat. pro domo c. 9. *ereptam vi ex Caesaris rebus actis.* Eodem spectat illud lib. 2. ad Q. Fr. epist. 5. *Acriorem caussam inopia*

pecuniae faciebat. Et lib. 2. ad Attic. epist. 17. *Quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significant?* Erogandam enim fuisse pecuniam in agri Campani emptionem, vtrobique ostendit. Haec igitur pars agri Campani, cuius diuisio publicam pecuniam requirebat, Caesare consule, qui legem tulit, diuisa non est: nec diuisam puto ante ciuile bellum. Scribit enim haec Coelius Ciceroni, belli ciuilis initio, lib. 8. epist. 10. *Illud addo ad actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Caesarem laborare, sed Pompeium valde nolle, ne vacuus aduenienti Caesari pateat.* Suspicor autem diuisionem illam ante Caesaris necem non esse factam. sunt enim haec in epistola D. Bruti, scripta Caesare mortuo, lib. 11. epist. 20. *Quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, video facultatem fore ex agris Sullanis et agro Campano.* Sed quaeritur, cur eo vsque producta diuisio sit. Quia, cum Caesar leges, Bibulo de caelo seruante, contra auspicia tulisset, eius acta non libenter senatus comprobabat. nihil enim, cum de caelo seruaretur, agi cum populo poterat. abundamus exemplis, vel ex ipso Cicerone, vel ex veterum annalibus. Dixerat igitur hanc sententiam Cicero, vt idibus Maii de agro Campano, frequenti senatu, referretur. qua sententia Pompeio, et iis, qui Caesari studebant, iniectus timor est, ne de infirmandis omnibus eius actis in senatu ageretur: quandoquidem saluis auspiciis nihil egerat, Bibulo de caelo seruante. Nec vero primus Cicero post Caesarem consulem agendam agri Campani caussam censuit: nam P. Lentulo, et Q. Metello coss. in extremo anno, Lupus tribunus plebis de agro Campano retulerat: vt patet ex lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1. Eius autem agri diuisionem duabus de caussis improbabant boni viri; primum quia legem illam Caesar contra auspicia tulisset; deinde, quia pecunia publica, cuius inopia magna erat, emi agrum Campanum ex illa lege oportebat.

Frequenti senatu] Vt senatus consultum fieri posset contra Caesaris legem de agro Campano diuidendo. certus enim erat senatorum numerus; qui si non adesset, senatus consultum fieri leges vetabant. Vnde illud M. Fuluii contra M. Aemilium, lib. 39. c. 4. apud Liuium: *Qui per infrequentiam furtim senatus consultum factum ad aerarium detulerit.* Festus: *Numera senatum, ait quiuis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat senatus consultum, postulatque, vt aut res, quae adferuntur, diuidantur, aut singuli consulantur; aut, si tot non sint senatores, quo numero liceat praescribi senatus consultum.* Legimus etiam apud Pedianum, C. Cornelium tribunum plebis legem tulisse, ne quis in senatu legibus solueretur, nisi ducenti affuissent. Quod si quis necessarium senatus consulto conficiendo senatorum numerum scire velit, Dionem consulat, cuius haec sunt verba lib. 54. *Augustus, cum videret, frequentes non semper conuenire senatores, decreuit, vt a pauciaribus, quam quadringentis, senatus consulta fieri possent: cum antea nisi quadringenti affuissent, rata non essent.*

Idibus

Idibus Maiis] Quo tamen die relatum non esse, scribit ipse lib. 2. ad Q. Fr. epist. 8. *Quod*, inquit, *Idibus, et postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non est actum.* Ideo autem eo die, vt senatus decreuerat, de agro Campano non est actum, quia sententiam Cicero mutauit: quod indicant ea, quae sequuntur.

Num potui] Quis non videt, maiorem in sententia vim esse, si a particula, *num*, incipiat, periodum claudente interrogandi nota, quam si a, *non*, sine eadem nota? et haec vis hic maxime requiritur, vbi se Lentulo, tamquam bonum ciuem, nec exsulii mutatum calamitate, iactans, actiones pro republica suas extollit. Eadem vis agnoscitur lib. 1. de Orat. c. 9. *Num quod eloquentiae vestigium appareret?* pro, *nullum prorsus eloquentiae vestigium apparet.* quod idem erat in sententia, sed, vt patet, languidius. Haec, in re satis nota, tamen dixi: quia nonnullos dubitare audio, vtrum rectius, *num*, an *non*.

Magis in arcem illius causae inuadere] Magis aduersari Caesaris, ac Pompeii voluntati. translatione vsus est, ad indicandam animi sui fortitudinem accommodata. nemo enim, nisi fortis, et constans, in arcem inuadit.

Temporum meorum] Quae monere videbantur, ne quid contra potentium voluntatem agerem. quod cum antea feciissem, cum P. Clodio ad perniciem meam conspirarunt.

Actionum] Veterum actionum pro republica, cum quibus consentire videbatur sententia Ciceronis de agro Campano dicta, nulla eorum ratione habita, quorum ope restitutus erat ab exsulio.

Quorum numquam putaram] Pompeium significari, satis constat ex iis, quae sequuntur.

Cum mihi nihil ostendisset se esse offensum] Nec enim, quid sentiret, Pompeius ostendere solitus est. epist. 5. *Nosti hominis tarditatem, et taciturnitatem.* lib. 8. epist. 1. *Solet aliud sentire, et loqui.*

In Sardiniam, et in Africam] Vt frumentum ad vrbem conuehendum curaret: quam potestatem ex senatus consulto et lege ei mandatam esse, iam diximus. lib. 4. ad Attic. epist. 1.

Lucam] Extremum opidum Galliae Cisalpinae, quae Caesaris imperio cum Transalpina, et Illyrico regebatur. ad mare inferum Luca fuit, ad superum Rauenna. ad vtrumque igitur, saluis legibus, Caesarem venisse constat. quod si citra Lucam, et Rauennam aliquod opidum eius prouinciae fuisset: quis dubitat, quin eo venturus fuerit, vt cum Crasso et Pompeio maximis de rebus loqueretur? Haec qui ambigit, idem, vt meridie lucere neget, adducetur.

Venit] Antequam in Sardiniam proficisceretur. sic enim itineris ratio postulat; patet etiam in sequentibus.

Ab eoque] Cuius defensionem pro Gabinio Cicero ferre non potuerat. Infra: *cum me disputantem, non lacessentem laesisset, exarsi.*

In Sardinia] Quaero, quid hoc tempore negotii gereret in Sardinia Q. Cicero. an propraetor eam regebat? non videtur, neque con-

sentaneum est; cum Asiae iam triennium praefuisset. puto igitur eum iuisse in Sardiniam, vt frumentum curaret, missum a Pompeio legationis nomine. nam et Pompeius, annonae praefectus, quindecim legatos, frumentariae curationis caussa, postulauerat a senatu; quod lib. 4. ad Attic. epist. 1. legimus; et eos confestim circa prouincias, conquirendi frumenti gratia, dimisit: quod Appianus lib. 2. de bell. ciu. scriptum reliquit. veri autem simile videtur, cum Pompeius in his legatis principem nominauerit M. Ciceronem, id ab eo muneris recusatum esse, et in Quintum fratrem esse translatum: qui nauigauit in Sardiniam Decembri mense: quod significat epist. 1. lib. 2. ad eum, in extremo. congruunt igitur tempora, dimissis hieme legatis a Pompeio ad regiones frumentarias, et Quinto Cicerone Decembri mense in Sardiniam profecto. Praeterea videtur omnino cum aliqua potestate Quintus in Sardinia fuisse: quod vt sentiam, facit illud lib. 2. ad eundem epist. 6. *quosdam venisse Olbia dicebant, qui te vnice laudarent, plurimique in prouincia fieri dicerent.* Et in eadem epistola verba sunt, quae Lucceium Quinto successisse demonstrant; quod ea potestas, non, vt aliae a senatu, vel a populo datae, certum tempus ac definitum haberet, sed Pompeii tum daretur, tum auferretur arbitrio. *Lucceium*, inquit, *videre volebam, quod in Sardiniam iter habebat. Hominem conueni, et ab eo petiui, vt quam primum te nobis redderet.* statim, dixit: *tu, mi frater, simul ac ille venerit, primam nauigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris.*

Te, inquit, ipsum cupio] Lector admonendus, quod pertinet ad vsum Latinae linguae, nec Ciceronem, nec Terentium, nec omnino quemquam reipublicae temporibus, *inquit*, vsurpare, nisi praepositio aliquo verbo. quod non attigissem, nisi peccare in hoc saepe non obscuri nominis homines animaduerterem.

Dependendum tibi est] Promissa persoluenda. ductum ab aeris grauis dependendi, id est persolvendi, more prisco, antequam pecunia signaretur. Plinius lib. 33. c. 3.

Spopondisti] Receperat enim Pompeio Quintus Cicero, si Marcus frater in patriam ab exsulio reuocaretur, operam eum daturum, vt Caesaris acta a senatu confirmarentur, nec omnino quidquam, quod aut ipsi Pompeio, aut Caesari displiceret, esse facturum. docent hoc ea, quae sequuntur.

Quid multa] Cum rem conferre volumus in pauca, vtimur hoc loquendi genere, *quid multa? quid plura? quid quaeris? quid multis opus est? quid pluribus opus est? quid verbis opus est?* et, sine interrogandi nota, *ne multa, ne multis, ne plura, ne pluribus, ne te multis morer, ne te multis teneam, ne sim longior;* et, quod est lib. 4. epist. 4. *noli quaerere:* quaeque praeterea in suas Elegantias collegit Aldus filius.

Questus est grauiter] Quod in Caesaris iniuria se quoque laedi putaret, vel propter affinitatem, vel communis potentiae caussa.

Sua merita] In Marcum quidem Ciceronem praecipue, quem in

in patriam cum Lentulo consule reduxerat, sed fortasse etiam in ipsum Quintum; quem fuisse tum ipsius Pompeii legatum in Sardinia suspicamur.

De actis Caesaris] Vt ea, quae consul Caesar, aduersante, ac de caelo seruante collega Bibulo, egerat, Ciceronis restituti sententia confirmarentur. quod cum Pompeio Quintus promisisset, non praestare fidem eius Marcus frater in ea sententia de agro Campano visus est. Eadem caussa Caesarem adduxit, vt eiici a Clodio Ciceronem pateretur. de quo sic in orat. pro Sextio c. 18. *illi aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res anni superioris labefactari a practoribus, infirmari a senatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur.* Et in eadem de prouinc. c. 18. *Ecce illa tempestas, caligo bonorum, et subita atque improuisa formido, tenebrae reipublicae, ruina atque incendium ciuitatis, terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus.*

Voluntate Caesaris egisse] Hac de re sic in orat. de prouinc. c. 18. *Cneus Pompeius idem mihi testis de voluntate Caesaris, et sponsor est illi de mea.*

Non possem] Quod sensum confirmatum deponere difficillimum esset.

Vibullium] Q. Vibullium, praefectum fabrum Pompeii ciuili bello, eiusdemque copiarum ductorem. lib. 8. ad Attic. epist. 2. et epist. Pompeii ad Ciceronem eodem libro 11. et epist. Caesaris lib. 9. ad Attic. 6. idemque lib. 1. de bell. ciu. c. 15.

Integrum] Ne quid agerem. Vbi enim coepta res agi, non amplius integra videtur, sed tamquam imminuta, detracta scilicet ea parte, quae confecta iam est. Coelius lib. 8. epist. 6. *De Dolabella integrum tibi reseruo, suadeo.*

Reseruarem] Reseruauit: vt lib. 2. ad Q. Fr. epist. 8. demonstrat: et hic in sequentibus non obscure cognoscitur.

Collegi ipse me] Vt accuratius de officio meo mecum ipse considerarem, quasi animum collegi. Hoc loquendi genus ipse interpretatur in Tusc. 4. c. 36. *Quid est*, inquit, *se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere?* Sic lib. 3. epist. 10. *Etsi grauiter primo nuncio commotus sum, quod nihil tam praeter opinionem meam accidere potuit: tamen, vt me collegi, cetera mihi facillima videbantur.* Lib. 5. epist. 18. *Rogo, atque oro, te colligas, virumque praebeas, et, qua conditione omnes homines, et quibus temporibus nati simus, cogites.* Et lib. 12. ad Attic. epist. 35. *Etsi minus vrgeor, meque ipse propemodum collegi: tamen indigeo tui consilii.* Ad eundem lib. 15. epist. 21. *Tum me collegi, verens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret.* Ad M. Brutum epist. 9. *Iudicium tuum magni aestimans, idque veritus, me ipse collegi.*

Cum ipsa quasi republica collocutus sum] Quasi sum collocutus cum ipsa republica. non enim revera colloquimur cum republica, sed ipsa cogitatio colloquii similitudinem habet.

Persun-

Perfuncto] Sic epist. 8. *Laboribus maximis perfuncti essemus.* Nec abhorret ab vsu Latini sermonis, si, *perfuncto*, referas ad, *multa*: cum Terentius quoque in Phorm. Act. 2. Sc. 1. v. 51. dixerit:

—— *Functus adolescentuli est Officium liberalis.*

Quem bonum ciuem semper habuisset, bonum virum esse pateretur] In optima republica nihil inter bonum ciuem, et bonum virum interesse, docet Aristoteles pluribus verbis lib. 3. Polit. nam in republica optime instituta nihil est vtile, quod non honestum. itaque bonus ciuis ab officio boni viri discedere non cogitur. Hic autem Cicero bonum ciuem a bono viro distinguit, quia patriae simul et amicitiae satisfacere non possit. verum, duobus propositis honestis, minori maius praeferendum esse quis dubitet? maior igitur patriae, quam amicitiae, habenda ratio est, quod ipse lib. 3. de Offic. c. 10. declarat. *Quae videntur*, inquit, *vtilia, honores, diuitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra iusiurandum, ac fidem, amici caussa, vir bonus faciet.* Quamquam, cum dicat, *bonum virum esse pateretur*, quasi gratiae loco postulat ab ipsa republica, quod ab eius rationibus alienum esse, id est, quod officio boni ciuis aduersari, non ignorat. Eandem sententiam in orat. pro Plancio c. 38. posuit his verbis: *Res vero ipsa publica, si loqui posset, ageret mecum, vt, quoniam sibi seruissem semper, numquam mihi: fructus autem ex se non, vt oportuisset, taetos, et vberes, sed magna acerbitate permixtos, tulissem: vt iam mihi seruirem, consulerem meis.*

In illis autem meis actionibus] Hactenus ostendit, se et Pompeii caussa, cui deberet plurimum, et fratris sui fide, quam Pompeio de se dederat, adductum esse, ne quid amplius contra Caesaris voluntatem moliretur: nunc alteram caussam affert, cur a sua sententia discesserit, maleuolentiam, et obtrectationem quorundam optimatum.

Videbantur] Quia, quod ad Caesarem attineret, simul ad Pompeium, Caesaris generum, attinere videretur.

Certorum hominum] Catonem in primis, Bibulum, L. Domitium, Caesaris inimicos, describit: de quibus infra: *Quidam homines, et iidem illi, quos saepe nutu, significationeque appello, cum se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, neque tum denique sibi esse visum reipublicae, qualis fuissem, restitutum, cumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebant, mihi et illum inimicum, et eos, qui in eadem caussa essent, numquam amicos futuros.* Eosdem in orat. de prouinciis c. 19. designat: *A viris fortissimis, et de me optime meritis quibusdam peto, vt, si ego illos meorum laborum, et incommodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse.*

Non satisfacere Pompeio] Quia meas actiones, ac sententias ad illius voluntatem, de soceri potentia laborantis, parum accommodarem. Dicit idem lib. 4. ad Attic. epist. 5. *Quibus sententiis dixi, quod et ipsi*

ipsi probarent, laetati sunt tamen, me contra Pompeii voluntatem dixisse.

Erat hoc mihi dolendum] Movebar fratris mei fide, Pompeii voluntate, certorum hominum malevolentia: sed ea me res ad consilii mutationem grauissime impulit, quod iidem illi, quibus actiones meae pro republica probabantur, inimicum non modo meum, sed legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, me praesente, oscularentur, mihi vt stomachum facerent, de patria, deque ipsis optime merito.

Inimicum meum] P. Clodium: quem oderant antea, post, cum ille Caesaris acta coepit oppugnare, diligere coeperunt. de quibus in orat. de prouinciis c. 20. *Leuissime*, inquit, *feram, si forte aut iis minus probaro, qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt, aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt, cum ipsi, et cum meo, et cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.*

Meum autem] Idem erat, *vel potius:* sed vsus est eo correctionis genere, quod indignationem prae se fert.

Sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic foueba[illegible], sic, me praesente, osculabantur] Augent singula, et familiaritatem, ac benevolentiam quoque declarant.

Stomachum facerent] Iram commouerent: locus pro locato. stomachus enim irae sedes est.

Funditus perdidi] Plane mihi impero, ne qua omnino re irascar. Dolebam, inquit, non irascebar. Hanc sibi laudem adsciscit Cicero in epistola ad Caerelliam: ex qua recitat haec verba Quinctilianus lib. 6. c. 4. *Haec aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.*

Hic ego] Quarta ratio ad tuendam consilii mutationem: quod se non cum improbis, ac perditis ciuibus, sed cum optime de republica meritis coniunxerit. *Hic*, rationem temporis, non locum, vt alibi, notat: perinde ac si dixerit: *quae cum ita se haberent.* vsurpatur de re praesenti lib. 5. epist. 15. *Hic tu ea me abesse vrbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae?* De praeterita autem re, lib. 3. epist. 8. *Hic ego multa simul cogitaui.*

Humano consilio] Quantum homini licuit. non enim, vt omnia circumspiciantur, hominis natura patitur.

Circumspectis rebus meis omnibus] Probat id, quod dixit: *non illi quidem, vt mihi stomachum facerent.* nam si stomachum feciissent; statim iracundia praeceps, nihil de boni ciuis officio cogitans, ad noua capessendae reipublicae consilia delatus esset, verum tanti non fuit iniuria, vt susceptam ab adolescentia sententiam temere proiiceret. circumspexit prius omnia: rationes pro vtraque parte subduxit: quarum summa facta, cognouit, plures esse causas, quae ad Caesaris, Pompeiique coniunctionem, quam quae ad defendendas optimatum partes hortarentur. in Caesare enim, et Pompeio praesidii plurimum sibi contra suos inimicos paratum videbat: in optimatibus vero nihil fidei, nihil expertus erat constantiae.

Et

Et perditis] Sunt enim quidam ita improbi, vt perditi tamen non sint: *perditi* vero, quorum ita mens a recta ratione discessit, vt ad sanitatem redire iam non posse videantur.

Rempublicam teneri] Varie diversis locis explicat hanc sententiam. Epist. 8. *Res communes sunt in amicorum nostrorum potestate.* In eadem: *Qui potiuntur rerum.* Lib. 4. epist. 7. *Qui tenet rempublicam.* Epist. 8. eiusdem lib. *Qui omnia tenet.* Epist. 9. ibidem: *Omnia delata ad vnum sunt.* Epist. 13. ibidem: *Qui plurimum potest.*

Meis temporibus] Cinna, Mario, Sulla dominantibus.

Nonnullis aliis] Cum decemviri rempublicam tenerent.

Non modo praemiis] Quidam hoc loquendi genus imperfectum iudicarunt; quod, *non modo non praemiis*, et apertius, et vsitatius esse videretur. nos, et auctoritatem veterum librorum, et Ciceronis consuetudinem secuti, omnino legimus, *non modo praemiis.* valet enim idem, quod, *non modo non praemiis:* vt sit, *non modo*, pro *nedum.* Exempla fidem facient. Lib. 9. epist. 17. *Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non interfuim, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit.* Quo item loco, *non*, inculcatum erat, contra veteres libros. Sic et lib. 2. ad Attic. epist. 16. *Qui mihi non modo praemiorum, sed ne sermonum quidem vmquam fructum vllum, aut gratiam retulerunt.* In quo animaduertendum, *praemiorum, sermonum*, pro *praemiis, sermonibus*, vsurpatum esse. Lib. 10. epist. 8. *Regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile.* Et lib. 11. epist. 24. *Mihi non modo irasci, grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune licet.* Lib. 1. de Orat. c. 46. *Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit.* Et in orat. 2. in Rullum c. 29. *Si non modo dena iugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum, intelligetis: tamenne vexari rempublicam contemni maiestatem populi Romani, deludi vosmet ipsos diutius a tribuno plebis patiemini?* Tusc. 1. c. 36. *Mortuorum non modo vitae commodis, sed ne vita quidem ipsa quisquam caret.* Tusc. 5. c. 33. *Tertias, quod essent plane inanes, neque necessitatem modo, sed ne naturam quidem attingerent funditus eliciendas putauit*, id est, et non modo non necessitatem. Suspicarer et Coelium lib. 8. epist. 11. scripsisse, *non modo fecit:* quod est in peruulgatis libris, *non modo non fecit.* nam a plerisque abest antiquis libris alterum, *non.* Varro lib. 8. de ling. Lat. *Dicam de vniuersa analogia, cur non modo videatur esse reprehendenda, sed etiam cur in vsu quodam modo sequenda.* Atque in his, quae recitaui, locis, *non modo*, vsurpatum videtur pro *nedum.* Eadem loquendi consuetudo agnoscitur in Graecis. nam Isocrates in oratione, quae Πλαταϊκὸς inscribitur: Οὐχ ὅπως τῆς κοινῆς ἐλευθερίας μετέχομεν, ἀλλ' οὐδὲ ἰδιαίας μετρίας ἀξιωθήμεν τυχεῖν. Et in eadem infra.

Fortissimi viri] Manifestis enim periculis non moueri, temeritatis est,

est, non fortitudinis: quod a sapientissimis proditum.

Ad eorum caussam me adiungerem] Cum iis in republica non consentirem, non sequerer eorum sententiam, meam voluntatem ad eorum dignitatem non aggregarem.

Cn. Pompeius] Arguit a Pompeii virtute, summisque in rempublicam meritis: a Caesaris vetere amicitia, et erga se, fratremque suum liberalitate: ab ipsa republica, Caesaris rebus gestis vehementer aucta: a Pompeii fratrisque sui fide: a Platonis auctoritate: a sua calamitate: ab optimatum quorundam invidia, et inconstantia: a ratione temporum. quae subiungit deinceps omnia diligenter, famam veritus improbitatis, non modo leuitatis, et inconstantiae, praesertim apud Lentulum, bene erga rempublicam animatum.

Princeps esset] Pro Plancio c. 39. *Ego Cn. Pompeium non tuear, quem omnes in republica principem esse concedant?* Princeps autem eo facilius in republica Pompeius, quia Caesar et Crassus aberant, hic in Parthis, ille in Gallia bellum gerens.

Rebus gestis] Maioribus, quam superiorum omnium: ter enim triumphauerat, ex tribus orbis terrae partibus, Africa primum, deinde Europa, postremo Asia, Mithridate victo.

In praetura, et in consulatu] Praetor Maniliam rogationem suasit, vt Pompeio Mithridatici belli cura mandaretur. exstat oratio. consul cum aliis eum ornauit officiis, tum etiam, quod retulit de supplicationibus decernendis, republica Mithridatico bello feliciſſime gesta. *Quo consule referente*, ait in orat. de prouinciis c. 11. *primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, cuius sententia primum duplicata est supplicatio consularis: mihi enim istis assensi, cum, eiusdem Pompeii litteris recitatis, confectis omnibus maritimis, terrestribusque bellis, supplicationem dierum duodecim decreuistis.* Et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 4. *Ille, cum a me singularibus meis studiis ornatus esset.*

Auctoritate] Non potestate. priuatus enim, cum actum est de reditu Ciceronis, Pompeius erat. sic in orat. pro Milone c. 15. *Cn. Pompeius auctor, et dux mei reditus.* Et in orat. pro domo c. 12. *Hic tibi,* (Lentule) *grauissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit.* Auctoritatem etiam Lentulo tribuit in orat. pro Sextio c. 32. cum designatus consul sententiam in senatu dixit de Cicerone reuocando.

Sententia] Quam dixit in senatu de reditu meo. In orat. pro Milone c. 15. *Cuius sententiam senatus omnis de salute mea grauissimam, et ornatissimam secutus est.* Pro domo c. 12. *Hic in senatu princeps sententiae fuit.*

Me adiuuissent] In recuperanda salute.

Haberet inimicum] Pulso Cicerone, omnem suam vim contra Pompeii, Caesarisque potentiam Clodius conuertit. Quod autem iterauit *inimicum*, non auribus modo, verum etiam sententiae consuluit,

ſuluit, cuius augeri vim, iterato verbo, apte tamen collocato, plane conſtat. nam ſi loco moueas, *inimicum*, frigebit.

Quibusdam in ſententiis paullum] Non in omnibus, ſed in quibusdam, nec omnino, ſed paullum.

Immutaſſem] Minus eſt, quam, *permutaſſem*, aut *commutaſſem*.

Summi viri] Quaerit excuſationem artificio quoque verborum. minuit enim iam ſuum factum, cum dixit, *quibusdam in ſententiis, paullum, immutaſſem*. hic autem facti cauſſam ſtudioſe auget, cum inquit, *ſummi viri, de me optime meriti, dignitatem*: quae mouent ſingula.

In coniuncta et cauſſa et dignitate] Res enim vtriusque communis agebatur; cum et ſuperiora communi conſilio geſſiſſent; et vtrique non publica libertas, ſed immoderata ipſorum potentia propoſita eſſet. quod ſi communis eorum cauſſa; ſequitur, vt communis item eorum dignitas ſit. itaque aggregare ſuam voluntatem ad Pompeii dignitatem Cicero non poterat, niſi iunctum cum eo Caeſarem complecteretur.

Vetus amicitia] De qua ſic in orat. de prouinciis c. 17. *Illud tempus familiaritatis et conſuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni, conſobrino noſtro, ac omnium noſtrum adoleſcentia fuit, praetermitto.*

Humanitas eius ac liberalitas] *Humanitas* poteſt eſſe in vultu et verbis, nullis praeterea officiis: *liberalitas* ſine officio numquam eſt. vtraque laude Caeſar excelluit. infra: *ſic enim te exiſtimare velim; cum a vobis, meae ſalutis auctoribus, diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officiis me tam eſſe deuinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam.*

Litteris, et officiis] Litteris ad M. Ciceronem miſſis, officiis in Quintum collatis: qui tunc erat Caeſaris legatus in Gallia. infra, et lib. 4. ad Attic. epiſt. vlt. *Quintum meum tuumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator.*

Maximis rebus a Caeſare geſtis] Caeſaris hic, non Pompeii, mentionem facit; quod ad eum praecipue Campana cauſſa pertinebat: is enim conſul de agro Campano diuidendo legem tulerat.

Grauiſſime autem me in hanc mentem impulit] Animaduertenda copia, qua vſus eſt in augenda ſententia: tres enim quaſi gradus eſſe video, primum, *multum valuit vetus amicitia*: alterum, *vehementer res ipſa publica me mouit*: tertium, *grauiſſime autem me in hanc mentem impulit et Pompeii fides, et fratris mei.* nam, *impulit*, plus eſt, quam, *mouit*, quod iam dixerat.

Caeſari dederat] Cum ei pollicitus eſt, me, ſi reſtitueret, eius actis aduerſarium non futurum.

Apud Platonem] Platonis verba ſunt haec lib. 4. de Legibus: Μηδεὶς ὑμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλην θάττον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἂν ποτε πόλιν, καὶ τὰς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονία. Quorum verborum ſententiam Cicero ſatis plane, ſed more ſuo liberius expreſſit.

Quales in republica principes] Quales ii, qui rempublicam gubernant. In orat. pro Sextio c. 49. *Nihil eſt, quod populus a delectis, principibusque diſſentiat.* De ſummis

mis autem ciuitatis viris, non de iis, qui singulari dominantur imperio, intelligendum esse, ostendit ipse, quasi hunc locum interpretans, lib. 3. de Leg. c. 14. *Licet*, inquit, *videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque fuerint summi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam.* Similiter et Xenophon lib. 8. de Cyri disciplina c. 8. Ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτὸν ἐπιτοπολὺ γίγνονται. Et Isocrates ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τοῦ βασιλεύειν· Τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι Idem in ea, quae inscribitur Νικοκλῆς· Φιλεῖ τὸ πλῆθος ἐν τούτοις τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὸν βίον διάγειν, ἐν οἷς ἂν τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἑαυτῶν ὁρῶσι διατρίβοντας. Et in Areopagitico: Τοιούτους ἡλπιζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἵοιπερ ἂν ὦσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπισταταῦντες. Et in Ecclesiastico c. 10. v. 2. *Qualis est rector ciuitatis, tales et inhabitantes in ea.* Idem agnoscitur in omni disciplina, et arte, praesertim in re militari. bonum enim, malumue ducem in vtramque partem milites imitantur. de quo Sallustius in Iugurtha c. 32. *Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant, secuti morem imperatoris, plurima et flagitiosissima facinora fecere.*

Tales reliquos solere esse ciues] Ex quo intelligebam, mutato optimatum sensu, mihi quoque et sententiam, et voluntatem esse mutandam. Infra: *non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti.* Et paullo post: *tota iam sapientium ciuium, qualem me et esse, et numerari volo, et sententia, et voluntas mutata esse debet.*

Ea fundamenta iacta] Labat aedificium, fundamentis male iactis; firmum est, bene constitutis. prima igitur consulis Ciceronis actio quasi fundamentum fuit publicae libertatis, atque constantiae. consulis enim virtute senatus excitatus, extremo anno, cum de poena coniuratorum ageretur, eandem virtutem imitatus est.

Ex Kalendis Ianuariis] A primo magistratus die per totum deinde annum. In Pisonem c. 2. *Ego Kalendis Ian. senatum, et et bonos omnes, legis agrariae, maximarumque largitionum metu liberaui.*

Confirmandi senatus] Vt ad eam, quae principem ordinem decet, animi constantiam, atque ad studium defendendae reipublicae meo excitarentur exemplo.

Nonis Decembris] Quo die de coniuratis extremo supplicio afficiendis senatus consultum factum est. hinc illa vox pro Flacco c. 40. *O nonae illae Decembres, quae, me consule, fuistis! quem ego diem vere natalem huius vrbis, aut certe salutarem appellare possum.* et M. Brutus in epistola 17. ad Atticum: *An, quia non omnibus horis iactamus idus Martias, similiter atque ille nonas Decembres suas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt?* Et in orat. post reditum in senatu c. 5.

Vel animi, vel auctoritatis] *Animi*, in dicendis sententiis; *auctoritatis*

Eloritatis, quia, quod senatus in coniuratos decreuit, perfectum est. non enim fortasse valuisset eius ordinis auctoritas, nisi eum iam antea confirmatum esse constaret.

Idemque memineram] Sui consulatus beneficio vnum fuisse bonorum sensum vsque ad Caesarem et Bibulum consules, demonstrat. quo magis confirmat illud Platonis, *quales in republica principes, tales reliquos solere esse ciues.*

Vsque ad Caesarem et Bibulum consules] Per triennium.

Pondus] Caesare enim consule, contemni coepta est, ac leuis esse senatus auctoritas: et, quam a senatu non impetrabat, a populo, Vatinia lege, citeriorem Galliam consul acepit.

Postea] Postero anno, Pisone et Gabinio coss.

Hispaniam citeriorem] Vt duae Galliae, sic duae Hispaniae fuere, vlterior, et citerior. citeriorem ex praetura, quam Afranio et Metello coss. gesserat, Lentulus obtinuit, Caesare et Bibulo coss. id Caesar ipse lib. 1. de bell. ciu. c. 22. testatur.

Cum imperio] Lege curiata dato, sine qua rem militarem attingere non licuit. orat. 2. in Rullum c. 12.

Mercatores] Qui meam salutem, acceptis pretii loco prouinciis, tribuno plebis Clodio vendiderint. Pro Sextio c. 10. *Foedus fecerunt cum tribuno plebis palam, vt ab eo prouincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum, et pecuniam quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno plebis afflictam et constrictam rempublicam tradidissent. id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant.* Idem pro domo, de prouinciis, in Pisonem.

Seruos] Quas Piso et Gabinius imperio consulari seditiones exstinguere debuerunt, eas, tamquam serui, imperante iis tribuno plebis, adiuuerunt. Cledium enim seditionis ducem, seruos, ac ministros consules fuisse ostendit.

Casus] Non mea culpa, sed casus. Et ait, *quidam casus*, ne originem inimicitiarum cum Clodio pluribus verbis exponat.

Caput meum] Me. ponit enim partem pro toto, et eam partem, in qua vitae domicilium est.

Quasi certaminis caussa] Speravit Clodius, si Ciceronem vexaret, eam fore caussam bonos cum improbis committendi.

Mediam contentionem] Erat enim inter ciues ex partium dissensione contentio, sed sine armis. ex ea contentione certamen potuit exsistere: idque sperauerant improbi, coniecto in medium, quasi ad animos concitandos, capite Ciceronis.

Mirificus consensus ERN. *Mirifica*] Apta notetur ad amplificandum copia, *mirifica*, *incredibilis*, *singularis*.

Consensio] Quidam libri, in iis Mediceus, *consensus*. quod erratum librarii fuit.

Senatus] Promulgata enim Clodii lege aduersus eos, qui ciues Romanos indicta caussa condemnassent (quibus verbis, Ciceronis nomine suppresso, pernicies tamen ei parabatur) senatus, quod in summo dolore fieri solitum est, vestitum mutauit: consulesque Piso et Gabinius, vere seditionum serui, ac ministri, senatum ad vestitum redire iusserunt.

Italiae]

Italiae] Quam ad defendendum paratam Cicero pro se pugnare noluit. atque hac tota de re libet verba subscribere, in primis ad hunc locum accommodata, quae sunt in orat. pro Sextio. c. 14. *Erat in luctu senatus: squalebat ciuitas, publico consilio mutata veste: nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime decreuisset de mea salute: cum subito edicunt duo consules, vt ad suum vestitum senatores redirent.* Et paullo post c. 16. *In caussa tam bona, tanto studio senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, cessi tribuni plebis, despicatissimi hominis, furori.*

Non dicam, quid acciderit] Quibus caussis afflictus sim, non exponam: ne multos laedam.

Breui] Et *breui*, et *breuiter* eodem sensu Cicero dixit: quod veteres quoque Grammatici notarunt. Sulpicius etiam lib. 4. epist. 5. *Decreui breui ad te perscribere.*

Non mihi exercitum] Cum et equestris ordo, et omnes boni summum in illius defendenda salute studium profiterentur. de quo sic in orat. pro Sextio c. 19. *Quid agerem, iudices? scio enim, tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse.*

Duces] Tres maxime designat, Pompeium, Caesarem, Crassum: qui cur eum deseruerint, caussa explicatur in eadem oratione c. 18. *Illi*, inquit, *aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res anni superioris labefactari a praetoribus, infirmari a senatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur.*

Qui reliquerunt] Reliquit eum, praeter ceteros, Pompeius, pollicitus non semel, ei se numquam defuturum. de quo sic lib. 2. ad Attic. epist. 20. *Clodius adhuc mihi denunciat periculum: Pompeius affirmat, non esse periculum; adiurat; addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri.*

Simularunt] Significat eos, qui Ciceroni auctores fuerunt, vt Clodio cederet; ne inter ciues perniciosa contentio excitaretur. De Hortensio sic lib. 1. ad Q. Fr. epist. 3. *Me summa simulatione amoris, summaque assiduitate quotidiana, sceleratissime, insidiosissimeque tractauit.*

Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est] Veritus, ne consilium suum de complectendis Pompeio, et Caesare, parum fortasse probaretur, duobus affirmantibus verbis alia de re vsus est. nam, *quidem certe*, post incertam, aut non satis probatam rem ponuntur, vt lib. 4. epist. 14. *Opera, consilio, studio quidem certe.* Et lib. 16. epist. 22. *Spero ex tuis litteris, tibi melius esse: cupio quidem certe.*

Qui meos ciues] *Qui*, refertur ad, *nostrum consilium:* habetur enim ratio sententiae potius, quam Grammaticae.

A me conseruatos] Coniuratione exstincta.

Spoliatos ducibus] Dixit iam, sibi duces defuisse.

Seruis armatis obiici noluerim] Saepe hoc Cicero gloriatur. in oratione quidem pro Sextio c. 20. sic: *Te, te, inquam, patria, teſtor, et vos penates, patriique dii, me veſtrarum ſedum, templorumque cauſſa, me propter ſalutem meorum ciuium, quae mihi ſemper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugiſſe.* Seruos autem significat, quos sibi conciliauerat Clodius, collegiorum nomine: de quibus in orat. in Pisonem c. 4. *Collegia, non ea ſolum, quae ſenatus ſuſtulerat, reſtituta, ſed innumerabilia quaedam noua, ex omni fece vrbis, ac ſeruitio concitata.* Et in eadem paullo post c. 5. *Pro Aurelio tribunali delectus ſeruorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi vmquam nec facere, nec pati turpe duxit.* Et pro domo c. 21. *Cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas?* Et pro Sextio c. 15. *Iisdem conſulibus inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cum vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur: ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.* Et post reditum ad Quir. c. 5. *Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi centuriarique vidiſſem: — armis decertare pro mea ſalute nolui.*

Pro me ſtante] Incolumi, ante quam eiicerer. sic lib. 7. epist. 2. *Magnum quiddam ſpectauit; nec ſua ſponte, ſed eorum auxilio, qui me ſtante ſtare non poterant.* Et lib. 6. epist. 6. *Cum me ex republica expuliſſent ii, qui illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt.*

Affictum] Antitheta, *ſtante, affictum.*

Excitare] Proprie excitamus dormientes. vnde lib. 16. epist. 4. *Excita ex ſomno tuos litteras.* Transfertur ad alia, vt hic, et lib. 6. epist. 1. *Cunctantem et diffidentem excitare.*

Cum de me ageres] Vt in patriam redirem.

Qua in cauſſa] *Cauſſam* vocat totum id, quod ad ipsum pertinet. Epist. 1.

Praedicabo libenter] Beneficium enim libenter praedico, iniuriam obliuiscor.

Quibusdam] Ii sunt, de quibus iam dixit, *certorum hominum ſermones referebantur ad me.*

In tenendo] Vel quia timuerint, vel quia se timere simularint.

Suam auctoritatem] Quam amiserunt stultitia, et inconstantia sua, cum in gratiam redierint cum P. Clodio, inimico meo, nec eam, quam ego exspectaueram, in meis rebus voluntatem praestiterint. Hoc et paullo post ostenditur, et epist. 7. significatur iis verbis: *Profecisse tantum mihi videntur ſtultitia, et inconſtantia aduerſariorum, vt etiam auctoritate iam plus valerent.* Significat enim, se commotum eorum iniuriis, cum Caesare in gratiam rediisse, eique sua sententia supplicationes, stipendium, legatos decreuisse.

Ad cauſſam adiunctio] Cum pro mea salute propugnationem suscepit contra Clodium, et reliquos, qui non tam me, quam senatus auctoritatem, oppugnauerant.

Singularibus] In oratione de prouinciis c. 16. non *ſingulares*, sed *prope ſingulares* ait Caesari honores

nores esse decretos: nec tamen loquitur inconstanter. hic enim habet rationem praeteriti temporis, quod eos honores antea nemo consecutus esset; ibi autem futuri, quod similes prope nemo consequi posse videretur.

Nouis honoribus, ac iudiciis senatus] Supplicatione quindecim dierum, stipendio exercitus, decem legatis. epist. 7. In orat. pro Plancio c. 39. *Ego C. Caesaris laudibus desim, qu-s primum populi Romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurimis, atque amplissimis iudiciis videam esse celebratas?*

Primum illa furia ERN. *furta*] Significatur illud tempus, cum Clodius, amore captus Pompeiae, Caesaris vxoris, ad eam introiuit, vbi sacrificium Bonae deae pro populo fiebat. Lib. 1. ad Attic. epist. 12. *P. Clodium credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, cum pro populo fieret.* Sed hoc non refertur ad proximum verbum, *consecuta.* non enim illa furta, Ciceronis reditum consecuta: sed ea commiserat Clodius, Messalla et Pisone coss. id est, triennio ante Ciceronis exsulium. Est igitur, *primum illa furta*, perinde ac si dixerit, primum illa furta nota sunt, quibus iam antea polluerat Clodius aedem Bonae deae. Sed hoc etiam vehementer dolendum, quod proxime contigit, qui et tres sorores suas stuprauerat, et in opertum Bonae deae, quo viris non licebat, noctu flagitii caussa introierat, post reditum meum de vi accusatum a Milone tribuno plebis, impunitatem tamen esse consecutum. Vbaldinus Baldinellius, et alii cum postea secuti, legendum putarunt, *furia*, pro *furta*, locum alioqui mutilum arbitrati: quem tamen interpungendi ratio sic adiuuat, vt nihil desiderari satis constet. nec tamen cuiusquam industriam reprehendo: sed a veteribus libris (omnes autem mei, et Mediceus etiam habet, *furta:* quod, vt ostendi, sententia non respuit) sine magna caussa discedendum non existimo. Ridicule autem nonnulli de interpungendi notis antiquos libros consulunt, diuersos omnino, ad hanc quidem partem quod attinet, a recentioribus impressis. nam, *illa furta muliebrium religionum*, sententia ita fert, si, *furta religionum*, pro nocturno flagitio in sacris vsurpentur.

Bonam deam] Cui sacrificabant mulieres in domo pontificis maximi. hac de re satis copiose in orat. pro domo c. 40. de haruspicum responsis c. 5 pro Milone c. 31. in Paradox. c. 4. Festus etiam sic: *Damium sacrificium fiebat in operto, in honorem Bonae deae, dictum a contrarietate, quod minime sit δημόσιον, id est, publicum. dea quoque ipsa δαμία, et sacerdos eius δαμίας appellabatur.* Arnobius autem, Lactantii Firmiani magister, lib. 5. aduersus gentes, *Faetam*, inquit, *Fatuam, Bona quae dicitur dea, transeamus: quam myrteis caesam virgis, quod, marito insciente, seriam meri ebiberit, plenam, Sex. Clodius indicat sexto de diis Graecorum, signumque monstrari, quod, cum ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta, ne myrteas fas sit inferre verbenas sicut suis scribit in Caussalibus Plutarchus.* Sunt autem, quae *Caussalia* vocat Arnobius, Plutarchi Problemata: in quibus

bus hoc de Bona dea legitur. Aliter Macrobius lib. 1. Saturn. c. 12.

Tris sorores] Quas a Clodio stupratas, constans fama fuit. Tres autem, an duae potius Clodii sorores fuerint, quaero, dissimilitudine locorum in dubitationem adductus. hic quidem tres nominat Cicero, et Plutarchus in Ciceronis vita, his verbis: Λεκκάλλος δὲ καὶ Θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λεκκάλλῳ συνῴκει· πολλὴ δὲ ἦν δόξα, καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερεντίαν μὲν Μάρκιος Ῥῆξ, Κλοδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν Κορβυαντίαν ἐκάλουν, etc. Aduersatur Varronis testimonium. lib. enim 3. de re rust. c. 16. sic loquentem Appium induxit, P. Clodii fratrem: *Cum pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus essem relictus: quarum alteram sine dote dedi Lucullo.* In hac varietate non facile est verum diiudicare: Varroni tamen libentius assentimur: nec mentiri Ciceronem, aut Plutarchum opinamur: qui fortasse tres Clodii sorores ita nominarunt, vt duas germanas, iisdem parentibus natas, significarent, tertiam patruelem, aut consobrinam, e Terentia gente: quod Plutarchus indicat, qui nuptam Q. Marcio Terentiam vocat. quem locum olim deprauatum suspicabar, et legendum, *Tertiam:* postea mutaui sententiam, cum animaduertissem, νεωτάτῃ, dictum esse a Plutarcho de ea, quae L. Luculli vxor fuit. Sic lib. 4. ad Attic. epist. 3. *contentio fratrum trium turpis:* quo loco duo germani fratres, Appius, et Publius, significantur, tertius patruelis Q. Metellus Celer, cuius patris soror fuerat mater P. Clodii. De duabus autem sororibus a Clodio stupratis, ea scilicet, quae Metello, et ea, quae Lucullo nupsit, mentionem saepe facit idem, qui tres hic nominat, Cicero in orationibus pro domo, pro Sextio, in Pisonem, pro Coelio, pro Milone.

Impunitatem est illorum sententiis assecutus] Ne quis putet hoc dici, Clodium absolutum esse iudicum sententiis, in eo iudicio, quod de violatis Bonae deae sacris factum est: quod ante Ciceronis exsulium factum erat: sed, quorundam optimatum, quorum hic Cicero inconstantiam, et perfidiam accusat, sententiis, in senatu dictis, factum esse, vt iudicium illud, quod Milo tribunus plebis Clodio de vi accusato intendebat, omitteretur; ex quo non absolutus Clodius, (non enim *absolutus* dicitur, de quo latae sententiae non sunt) sed impunitatem consecutus, quia punitus non est, vere, ac proprie dicitur. Tota vero res ita se habet. Restituto Cicerone, cum eius domus ex senatus consulto reficeretur, expulsi a Clodio fabri de area sunt: disturbata porticus Catuli, quae ipsa quoque ex senatus consulto reficiebatur, et ad tectum paene peruenerat: Q. Ciceronis domus primo fracta coniectu lapidum, deinde inflammata. Neque hac vna vi contentus quieuit Clodius, sed, sexto post die, cum lapidibus, fustibus, gladiis M. Ciceronem insecutus est: sequenti autem die Milonis domum expugnare, et incendere ita conatus est, vt palam cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit, propterea Milo tribunus plebis eum de vi accusauit. Sed iudicium, opera Clodii,

Clodii, eiusque amicorum, vsque eo perductum est, donec habitis aedilitiis comitiis, Clodius aedilis creatus in iudicium vocari non potuit. non enim vocare in iudicium eos licuit, qui magistratum gerebant. hoc igitur queritur Cicero, et iure queritur, quod, cum ageretur in senatu, vtrum ante comitia iudicium fieret, quod Milo, Cicero, nec pauci praeterea, bene de republica sentientes, exoptabant, an, quod Clodius, eiusque factio postulabat, vt comitia ante iudicium haberentur: quo posset, magistratum adeptus, poenam effugere; senatus consultum factum sit, vt post comitia iudicium fieret: in quibus positam esse Clodii, nocentissimi hominis, salutem, licebat intelligere. Hac de re sic in orat. pro Sextio c. 44. *Volitat aedilis, accusat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exsultantem repressit. hic, qui se est tutatus sic, vt in priuata re deos penates suos, in republica iura tribunatus auspiciaque defenderet, accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.* Non licuisse Miloni per senatus auctoritatem Clodium accusare, demonstrat. In orat. autem de prouinciis c. 20. *Qui meum*, inquit, *inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt.* Praeterea lib. 4. ad Attic. epist. 3. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1. Impunitatem igitur Clodius assecutus est, quia iudicium fieri de eo, aedile creato, non licuit. Optimatum vero sententiis, quia comitia fieri ante iudicium voluerunt. Nec tamen omnes notat optimates, sed tantum eos, qui iudicium de Clodio a Milone accusato fieri noluerunt. nam bonos aliquot in senatu pro Milone, id est pro republica sensisse, satis ostendit iis verbis, quae iam recitauimus ex oratione de prouinciis. cum enim dixit: *qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt*, optimatum duo genera significat, eos, qui Clodium texerunt, et eos, qui repugnarunt.

Tribunus plebis] Milo.

Poenas persequi] Supplicium sumere.

A seditioso ciue] A Clodio, qui fabros de area Ciceronis expulerat, domum Q. fratris fregerat, atque inflammauerat, Milonis oppugnauerat, eiusdem generis alia commiserat.

Per bonos viros] Per iudices integerrimos.

Sustulerunt] Milo praeclarissimum exemplum vindicandae seditionis, Clodii damnatione, voluit in rempublicam inducere: at hi contra, Clodio impunitatem assecuto, exemplum illud egregium, quod ab omnibus comprobari debuit, de republica sustulerunt. id maxime per consulem Metellum Nepotem, per Appium, P. Clodii fratrem, praetorem, per Serranum tribunum plebis factum esse, ostenditur in orat. pro Sextio c. 41. his verbis: *Descendit ad accusandum. quis vnquam tam proprie reipublicae caussa; nullis inimicitiis, nullis praemiis, nulla hominum postulatione, aut etiam opinione, id vnquam esse facturum? Fracti erant animi hominis. hoc enim accusante, pristini illius sui iudicii turpitudinem desperabat. Ecce tibi consul, praetor, tribunus plebis, noua noui generis edicta proponunt: ne reus adsit, ne citetur,*

ne quaeratur: ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat.

Iidemque postea — passi sunt] Hac tota re diligenter indagata, et, vt opinor, comperta, sententiam Ciceronis, quam breuissime, aut certe quam planissime potero, conabor ostendere. Tria monumenta, tresque eorum inscriptiones, in singulis singulae, fuerunt. Primum, atrium Libertatis, in imo Palatii cliuo, senatus decreto aedificatum, locante Cicerone consule, post oppressam Catilinae coniurationem: vt conseruatae libertati honor haberetur, extaretque publicum monumentum ciuitatis ab impiorum manibus ereptae, in hoc atrio cruentas illas litteras, deleta priore inscriptione senatus, Clodius tribunus plebis incidit, quinquennio post Ciceronem consulem: quas litteras mansisse, senatus maxima ignominia, cum summo Ciceronis dedecore coniuncta, queritur in hac epistola Cicero: quam scripsit, L. Domitio, Ap. Claudio coss. quadriennio post Clodii tribunatum. Eandem rem attigerat biennio ante, Marcellino, et Philippo coss. in orat. de harusp. resp. in qua c. 27. sunt haec: *Imperatorum monumenta euertit: inimicorum domos disturbauit: vestris monumentis nomen suum inscripsit.* Cum dixit, *nomen suum inscripsit*, non dubito, quin significauerit eas litteras, quas hic, facta eiusdem monumenti mentione, *cruentas* appellauit. Quod autem dixi, hoc atrium in cliuo Palatii infimo potius, quam in summo, fuisse; eo sum adductus, quia lib. 4. ad Attic. epist. 16. ita scriptum est: *vt forum laxaremus, et vsque ad atrium libertatis explicaremus.* Nam ad radicem Palatii, vbi atrium Libertatis fuisse dixi, non ad summum collem, illam fori partem ex voluntate Caesaris explicare Cicero cogitauerat. Hoc atrium non puto sacrum, et dedicatum fuisse: quia leguntur haec in orat. pro Milone c. 22. *Quaestiones vrgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis.* Non enim arbitror quaestiones de seruis haberi potuisse in sacris locis: nisi si in ea oratione non illud significatur atrium Libertatis, quod senatus decreto, Cicerone consule, factum diximus, sed illud, quod multis ante annis Romae fuit, de quo Liuius lib. 43. c. 16. *Censores extemplo in atrium Libertatis adscenderunt: et, ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis seruis publicis, negarunt, se prius quidquam publici negotii gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.* Alterum monumentum est porticus a Q. Catulo, C. Marii consulis collega, de manubiis Cimbricis exstructa: quam porticum eodem anno Clodius, quo Ciceronem expulit, euertit; sublatoque Catuli nomine, suum incidit. euertit autem, non vt aream faceret, sed vt ex ea, et euersae Ciceronis domus parte nouam porticum exstrueret, sicuti exstruxit. qua de re sic in orat. pro domo c. 38. *Hanc vero, Pontifices, labem turpitudinis, et inconstantiae poterit populi Romani dignitas sustinere, vino senatu, vobis principibus publici consilii, vt domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fului Flacci, ad memoriam poenae publice constitutae coniuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra salutem reipu-*

reipublicae fecerat, et senatus sententia est interfectus, et eius domus euersa, et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Ista autem fax, ac furia patriae, cum urbem, Pisone et Gabinio ducibus, cepisset, occupasset, teneret, uno eodemque tempore et clarissimi uiri mortui monumenta delebat, et meam domum cum M. Flacci domo coniungebat: ut, qua poena senatus affecerat euersorem ciuitatis, eadem iste, oppresso senatu, afficeret eum, quem patres conscripti custodem patriae iudicassent. Quae sequuntur c. 39. ad nouam porticum pertinent, id est, ad eam, quam tum ex euersae Ciceronis domus parte, tum ex Catuli porticu Clodius fecerat. *Hanc*, inquit, *in Palatio, atque in pulcherrimo urbis loco porticum esse patiemini, furoris tribunicii, sceleris consularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis reipublicae, doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rempublicam, et semper habuistis, non modo sententiis, sed, si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis.* De tota porticu locutus ea subiungit, quae non ad totam attinent, sed ad partem dumtaxat dedicatam, id est ad eam, quam e Ciceronis domo Clodius Libertati dedicauerat: nam, quae pars in vetere Catuli porticu a Clodio facta est, eam cur dedicatam putem, caussae nihil video. *N si quem*, inquit, *illius cassissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. O rem, quam homines soluti ridere non desinant: tristiores autem sine maximo dolore audire non possint! Publiusne Clodius, qui ex Pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit?* Addam et illud ex eadem oratione c. 43. de Catuli monumento testimonium, in quo est luculenta apostrophe ad Q. Catulum: *Tu, Q. Catule, M. Fuluii domum, cum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, vt eius, qui perniciosa reipublicae consilia cepisset, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Hoc si quis tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, cum is tribunus plebis, qui auctoritatem senatus, iudicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, consulibus non modo inspectantibus, verum adiuuantibus, disturbaret, euerteret, idque cum eius ciuis, qui rempublicam ex senatus auctoritate consul defendisset, domo coniungeret: nonne responderes, id, nisi euersa ciuitate, accidere non posse?* De litteris autem huic monumento inscriptis, infra c. 53. sic: *Tu, procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio, reipublicae tenebris offusis, demerso populo Romano, euerso atque eiecto senatu, diruueris, aedificaris, religione omni violata, reipublicae tamen nomine contaminaris: in ciuis huiusce aedibus, et in urbe, quam suis laboribus ac periculis conseruasset, monumentum deletae reipublicae collocaris, ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine, incideris: id sperasti rempublicam diutius, quam, quoad mecum simul expulsa careret his moenibus, esse laturam?* Locum autem huius inscriptionis verisimile est

fuisse, non vbi antea fuerat inscriptio Catuli, quae fuit in media vetere porticu, sed in media parte totius nouae porticus. nam, si Catuli porticum Clodius euertit, eandemque ita aedificauit, vt, adiuncta Ciceronis aedium parte, longiorem faceret; quod multa confirmant: quis dubitet, mutatum quoque inscriptionis locum? quod si locus mutatur; certe nusquam aptior, quam in media noua porticu. Hic quaeri potest, manseritne, restituto Cicerone, haec inscriptio, sicuti mansisse illam in monumento senatus, Cicero ad Lentulum scribens questus est. Non mansisse, idem Cicero lib. 4. ad Attic. epist. 2. significat his verbis: *Consules porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemptores statim sunt demoliti.* Si porticum demoliti sunt redemptores: non mansisse Clodii inscriptionem, satis constat. Tertium monumentum est, quod in parte Ciceronis aedium forum spectante, id est, in ea, quae coniuncta est cum Catuli porticu, Libertati Clodius dedicauit, illato Tanagraeae cuiusdam meretricis simulacro, quod pro Libertate coleretur. hoc monumentum significatur in eo loco orat. pro domo c. 37. *In conspectu totius vrbis domus est mea, Pontifices: in qua si manet illud, non monumentum vrbis, sed sepulchrum, inimico nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea vrbe, in qua tropaea et de me et de republica videam constituta. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, vt, cuius vrbis seruatorem me esse senatus omnium assensu toties iudicarit, in ea possim intuerè domum meam euersam non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem exstructam et positam in oculis ciuitatis, ne vmquam conquiescere possit fletus bonorum? Exstructam*, inquit, quod in eius parte euersa Clodius porticum fecerat, et in summa porticu, ne impediretur ambulatio, monumentum Libertatis. Infra quoque c. 41. *Ista tua pulchra Libertas deos penates, et familiares meos lares expulit, vt a te ipsa, tamquam in captiuis sedibus, collocaretur?* Et paullo post c. 42. et 43. *Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quae domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus, et miserrimae populi Romani seruitutis. Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in seruorum potestatem ciuitas tota venisset? At vnde inuenta est ista Libertas? quaesiui enim diligenter. Tanagraea quaedam meretrix fuisse dicitur. eius non longe a Tanagris simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioso Libertatis sacerdote, ad ornatum aedilitatis suae deportauit. — signum de busto meretricis ablatum isti dedit, quod esset signum magis istorum, quam publicae libertatis. Hanc deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri, a fure sublatam, a sacrilego collocatam? haec me domo mea pellet? haec vltrix afflictae ciuitatis, reipublicae spoliis ornabitur? haec erit in eo monumento, quod positum est, vt esset indicium oppressi senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis?* De eodem monumento paullo post c. 44.

c. 44. *At videte hominis intolerabilem audaciam cum proiecta quadam et effrenata cupiditate. Monumentum iste numquam aut religionem vllam cogitauit: habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos coniungere. — domus mea illa prope tota vacua est: vix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum accessit. caussa fuit ambulatio, et monumentum, et ista Tanagraea, oppressa libertate, Libertas. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum; cetera eiusmodi, facile vt omnium domos et laxitate et dignitate superaret. Ambulationem* vocat porticum adiectam, exstructam in parte Ciceronis aedium, qua prospectus erat in forum: *monumentum* autem, illam partem, in qua dixi positum a Clodio simulacrum Libertatis, id est Tanagraeae meretricis. Atque, in hoc etiam tertio monumento inscriptum fuisse nomen Clodii, etsi verba Ciceronis iam recitata ostendunt, iterabo tamen eadem. *In conspectu*, inquit, *totius vrbis domus est mea, Pontifices: in qua si manet illud, non monumentum vrbis, sed sepulcrum, inimico nomine inscriptum; domi grandum potius aliquo est.* Initicitur in huius fere narrationis exitu tamquam scrupulus abeunti. positum enim dicet aliquis simulacrum Libertatis non in domo Ciceronis, sed in Catuli portico, quia scripta sunt haec in orat. de haruspicum responsis c. 15. *Simulacrum ereptum ex meretricis sepulcro in imperatoris monumento collocaras.* Quid igitur? an a se ipso dissentire Ciceronem putemus? non dissentit, sed quia tota illa porticus, tum e Catuli vetere porticu, tum e Ciceronis aedibus facta, *porticus Catuli* vsitato nomine vocabatur; ideo simulacrum illud in Catuli monumento positum dicit, habita nominis ratione; cum tamen idem in sua domo positum vere dixerit. Hoc tertium monumentum sacrum dedicatumque fuit. ideo *delubrum* Cicero vocat in ea pro domo c. 53. ναὸν Plutarchus, νεὼν Dio: et lib. 4. ad Attic. epist. 1. *De domo nostra nihil adhuc pontifices responderunt. qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus.* Dixi de tribus monumentis, tribusque inscriptionibus: vnum senatus mansisse monumentum, vnamque simul inscriptionem, et in hac ad Lentulum epistola, et in oratione de haruspicum responsis, Cicero non mediocri cum dolore significat. Illud addam quasi extra rem, nec tamen prorsus a re seiunctum: non esse a Clodio totam Ciceronis domum dedicatam, sed eam tantum partem, quae ad Catuli porticum accessit, et in qua, vt ipse Cicero dixit, ambulatio, monumentum, et Tanagraeae simulacrum fuit. nam reliquam domum Clodius, vt in sua domo porticum trecentum pedum cum conclauibus efficeret, occuparat, simulata emptione Scatonis cuiusdam Marsi: qua de re sic in eadem pro domo c. 44. *Homo religiosus, cum aedes meas idem emeret et venderet: tamen illis tantis tenebris non est ausus suum nomen emtioni illi adscribere. posuit scilicet Scatonem illum, hominem sua virtute egentem, vt is, qui in Marsis, vbi natus est, tectum, quo imbris vitandi caussa succederet, nullum*

nullum haberet, aedes in Palatio nobilissimus emisse se diceret. Inferiorem aedium partem assignauit non suae genti Fonteiae, sed Clodiae, quam reliquit: quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus. In eadem supra c. 41. *Hominem inuenire ista labes tum, cum omnia tenebat, neminem potuit, cui meas aedes addiceret, cui traderet, cui donaret: ipse cum loci illius, cum aedium cupiditate flagraret, ob eamque caussam vnam vna iusta illa rogatione sua vir bonus dominum se in meis bonis esse voluisset: tamen illo ipso in furore suo non est ausus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, possidere.* Et lib. 4. ad Attic. epist. 2. de parte areae dedicata, non de tota domo, aperte mentio fit. nam, quia sacra loca habitare profanis non licet, ideo Clodius eam partem non dedicauit, quam partim cum sua domo coniungere, partim Clodiae genti assignare cogitabat. Habitasse autem in Palatio Clodium proxime Ciceronem, sic vt paries parietem attingeret, non modo ex iis, quae iam posui, coniicere facile licet, verum etiam ex iis verbis, quae sunt in orat. de haruspicum responsis c. 15. *Quid habet mea domus religiosi, nisi quod impuri et sacrilegi parietem tangit?* Et in ea pro domo c. 44. *Monumentum iste nunquam aut religionem vllam cogitauit: habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos coniungere.*

Hostili nomine] Quia suum nomen Clodius inscripserat; sic in orat. pro domo sua c. 37. *in conspectu totius vrbis domus est mea, Pontifices: in qua si manet illud, non monumentum vrbis, sed sepulcrum, inimico nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo est etc.*

Cruentis] Quasi ex meo cruore confectis. meam enim eiectionem, id est, meum interitum, testantur.

Inustum] *Inscriptum*, dixit in oratione pro domo: sed hic *inustum*, cum stomacho pronunciavit, quasi per vim eae litterae impressae, inustaeque fuerint.

Passi sunt] Haec verba satis declarant, non esse Ciceroni restitutam eam aedium partem, quam Clodius Libertati consecrauerat.

Vt aliptae] Etsi *aliptae* ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν, quod est *vngere*, dicti sunt: hic tamen si pro vnctoribus accipias, non admodum congruere cum sententia videbitur. vires enim, et colorem, oleum non auget: sed adhibetur corporibus ad lassitudinem vitandam. quare libentius acceperim pro iis, qui exercitationibus athleticis praeerant, quos γυμνασιάρχας Graeci vocant. cum enim athletis normam, et rationem exercendi corporis praescriberent, virium et coloris rationem habere videbantur. hoc sensu et Celsus vsurpauit, cum dixit initio librorum suorum: *Qui suae sponte est, nullis se obligare legibus debet, neque medico, neque alipta egere.* et Aristoteles Moral. lib. 2. Cur autem gymnasiae, *aliptae* interdum sint appellati, occurrit ea ratio, quod ad eorum curam vnctio quoque athletarum pertinebat. ita non a toto munere, vt gymnasiae, sed a parte muneris, *aliptae* dicti sunt: vt gymnasium quoque *palaestra* vocabatur, cum palaestra

laestra gymnasii pars sit. *Aliptas* vero pro vnctoribus, proprio sensu, saepe vsurpauit Coelius Aurelianus.

Virium et coloris rationem habere voluissent] Id est, vt me non solum ab exsulio reuocassent, sed pristinam simul cum salute dignitatem restituere voluissent. Lib. 4. ad Attic. epist. 2. *Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci.*

Nunc] Pro, *sed*, vt lib. 1. de Divin. c. 29. *Quae quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus. nunc onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus.* Et in prooemio Tusc. 3. *Nunc paruulos nobis natura dedit igniculos.* et alibi saepe. Graeci quoque νῦν pro ἀλλὰ crebro vsurpant.

Apelles] Cous, pingendi mirus artifex, cui palmam in hoc genere detulit antiquitas. Dilexit eum praecipue, pingique ab vno voluit, vt a Pyrgotele scalpi, a Lysippo fingi, a ceteris edicto vetuit Alexander ille Macedo. Plinius lib. 7. c. 37. et lib. 35. c. 1. Horatius lib. 2. epist. 1. et hic noster lib. 5. epist. 12. et lib. 2. ad Attic. epist. 21. in Bruto c. 18. lib. 3. de Orat. c 7. et alii.

Veneris] Quae vna maxime inter Apellis opera excelluit. celebratur a Cicerone lib. 2. ad Attic. epist. 21. lib. 3. de Offic. c. 2. lib. 1. de Diuin. c. 13. in Orat. c. 2. lib. 1. de Nat. Deor. c. 27. lib. 4. in Ver. c. 60.

Politissima arte] Cui nihil deesset, exquisita in primis, et egregia. sic *politum iudicium*, *polita doctrina*, *politus homo.*

Inchoatam] Inchoatum est, quod principia tantum habet. sic lib. 3. de Offic. c. 2. *Vt nemo pictor esset inuentus, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolueret.*

Reliquit] Inexspectata morte oppressus.

In capite meo] Quia salutis tantum, non etiam dignitatis meae, rationem habere voluerunt.

Elaborarunt] Cum me in patriam reduxerunt.

Non modo inuidorum] De quibus hactenus locutus est.

Sed etiam inimicorum] Qui multo etiam magis, quam inuidi, sperauerant me post reditum, memoria calamitatis admonitum, fracto, ac demisso animo futurum.

De vno acerrimo] *Vno*, magis exprimit Metelli fortitudinem, quam si dixisset, *de acerrimo*: quasi praeter ceteros ea laude excelleret.

Constantia] Cum in L. Saturnini legem de agro Gallico diuidendo, per vim latam, iurare noluit, et in exsulium abire, quam de sua sententia decedere, maluit. Plutarchus in Mario. Appianus lib. 1. de bell. ciu. in orat. pro Sextio c. 16. et 47.

Q. Metello, Lucii filio] Distinguendus erat a duobus Metellis, quorum vtrique praenomen Quinto fuit, Balearico, et Nepote. itaque vel Numidici cognomen, vt in orat. pro Sext. c. 62. vel patris praenomen, vt hic, addi oportuit. Eandem ob causam lib. 3. de Orat. c. 18. dixit: *Hinc haec recentior Academia emanauit, in qua exstitit diuina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades: cuius ego etsi multos auditores cognoui*

gnoui Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum, et socerum meum Scaeuolam, qui eum Romae audiuit adolescens, et Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarissimum virum. Hoc Caeciliae familiae cognomen vnde manauerit, Festi fragmenta demonstrant. *Metelli* inquit, *dicuntur in re militari quasi mercenarii. Attius Annalium 27. Calones, famulique Metellique Caculaeque; a quo genere hominum Caeciliae familiae cognomen putatur ductum.*

Fracto animo et demisso] Fracta enim demittuntur potius, quam extolluntur.

Est vero probandum] Ironia: quae negandi vim habet, cum affirmare verba tamen ipsa videantur. Sic Virgilius lib. 4. Aen. v. 93.

Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus. —

Summa voluntate] Tantum abest, vt inuitus, vt etiam libentissime, precibus propinquorum, amicorumque neglectis, patria cesserit.

Egregia animi alacritate abfuerit] Cum reliqui fere omnes, erepto adspectu patriae, in moerore iaceant. Recitat Gellius lib. 17. c. 2. ipsius Metelli, ex epistola ad Domitios, haec verba: *Illi omni iure, atque honestate interdicti: ego neque aqua, neque igni careo; et summa gloria fruiscor.* De hac Metelli alacritate, et perpetua vultus, animique constantia, Valerius lib. 4. c. 1. et is, qui librum scripsit de viris illustribus.

M. illum Scaurum] Patrem eius, pro quo extat mutilata Ciceronis oratio, patricium, Aemiliae gentis, saepe principem senatus. in censura Aemiliam viam strauit, pontem Aemilium exstruxit. Nominat eundem cum laude in orat. pro Sextio c. 47. in ea pro Rabirio c. 7. et Sallustius, in Iug. c. 25. Pedianus, Plinius lib. 36. c. 15. scriptor libri de viris illustribus c. 72. Dicit autem *M. illum Scaurum*, vt hic distinguatur ab eo M. Scauro, qui consularis et ipse fuit, sed Aureliae gentis, id est plebeii generis, minime cum hoc virtute, et honore conferendus. itaque, cum loquitur Cicero de nobiliore Scauro, addit fere, distinguendi gratia, pronomen, *ille*, vt in ea pro domo c. 19. *Quod M. Drusus in legibus suis plerisque, bonus ille vir M. Scaurus, et L. Crassus consularis non obtinuerint.*

Constantia et grauitate] Qui a C. Graccho vsque ad Q. Varium seditiosis omnibus restiterit, quem nulla vis, nullae minae, nulla inuidia labefecerit. sic enim de eo scripsit Cicero in orat. pro Sextio c. 47. in ea vero, quam pro eius filio habuit, cuius exstant reliquiae quaedam, *custodem* appellat *reipublicae*. Ter accusatum, a Domitio tribuno plebis, a Q. Seruilio Caepione, a Q. Vario tribuno plebis, nec vmquam damnatum indicat eadem oratio. Actione autem prima in Verrem ornat eum eadem constantiae, grauitatisque laude. Sic enim Scauri generum, M. Acilium Glabrionem, praetorem, alloquitur c. 17. *Circumstant te summae auctoritates, quae te obliuisci laudis domesticae non sinant: quae te dies, noctesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum auum, grauissimum socerum fuisse. Quare, si Glabrionis patris vim,*

et

et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis: si aui Scaeuolae prudentiam ad prospiciendas insidias, quae tuae, atque horum famae comparantur: si soceri Scauri constantiam, vt ne quis te de vera, et certa possit sententia demouere: intelliget populus Romanus, etc. Constantiam eius Pedianus etiam ad orat. pro Scauro commendat his verbis: *Q. Seruilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae inuidiam, et aduersus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Seruilius Glaucia. Scaurus tanta fuit constantia, et animi magnitudine, vt Caepionem contra reum detulerit, et, breuiore die inquisitionis accepta, effecerit, vt ille prior caussam diceret, M. quoque Drusum tribunum plebis cohortatus sit, vt iudicia commutaret.*

Grauitate] In eadem oratione pro Scauro grauitatem ei tribuit. *Curia*, inquit, *illa de grauissimo principatu patris, fortissimoque testatur.*

Suspicabantur] Quia verisimile videretur; malis enim saepe frangitur constantia.

Cumque Metellum] Sic malo, quam, *cum Q. Metellum.* est enim haec altera ratio, cur maiore etiam, quam antea, esse animo deberet. Habent autem libri quoque veteres, in iis Mediceus, *eumque.*

Promulgantibus omnibus] Legem de reditu Ciceronis omnes magistratus promulgarunt, praeter Appium praetorem, P. Clodii, qui Ciceronem sua lege eiecerat, fratrem, et duos tribunos plebis, Serranum, et Numerium Quinctium, quos in oratione in Pisonem c. 15. *de lapide emptos* vocat. pro Milone autem c. 15. *Septem*, inquit, *praetores, octo tribuni plebis, illius aduersarii, defensores mei.*

Referente consule] P. Lentulo. idem in orat. post reditum ad Quir. c. 4. *Ego iis, a quibus eiectus sum, prouinciis obtinentibus, inimico autem optimo viro et mitissimo, altero consule referente reductus sum.* Hoc tamen intelligendum, quia Lentuli maxime opera in patriam restitutus est Cicero, ideo relationem in senatu ei tantum tribui, cum tamen alter consul, non a principio, sed P. Seruilii Isaurici oratione permotus, in relatione consenserit. itaque, cum ait Cicero, Lentulum retulisse, actionis initium, et praecipuam sui reditus caussam spectat; cum vero addit, simul Q. Metellum retulisse, exitum rei considerat. primo enim adversatus non est Metellus Lentulo referenti, post etiam, Seruilii cohortatione, et precibus, adiuuit. vnde illud in orat. post redit. in senatu c. 10 *Itaque dimittitur non modo salutis defensor, qui ante hoc vnum beneficium fuerat inimicus, verum etiam adscriptor dignitatis meae.* Et in ea post redit. ad Quir. c. 6. *P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus senatus, vno dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam, quibus potuit, verbis amplissimis ornauit.* Et pro domo c. 27. *O Metellus, collega tuus, de me ad senatum tecum vna retulit.* Et pro Sext. c. 62. *Vt etiam Q. Metellus consul, qui mihi vel maxime ex magnis contentionibus reipublicae fuisset inimicus, de mea salute retulerit.*

Comitiis centuriatis] Quibus legem tulit Lentulus consul. qua de

de re sic in orat. pro domo c. 28. *Constat, nullis vnquam comitiis, campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse.* In Pison. c. 15. *Legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia: — Quae lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini ciui vllam, quo minus adesset, satis iustam excusationem esse visam: nullis comitiis vnquam multitudinem hominum tantam, neque splendidiorem fuisse.* Et pro Sextio c. 51. *Cum de me eodem ex senatus consulto, comitiis centuriatis, ferebatur, quis est, qui non profiteatur se affuisse, et suffragium de salute mea tulisse?* Comitiorum tria genera fuerunt: de quibus alio loco pluribus verbis. hoc tantum dicam, centuriatis creari solitos esse maiores dumtaxat magistratus, consules, decemviros, tribunos militum consulari potestate, censores, praetores: iisdem a maioribus tantum magistratibus leges esse latas, vt cum de bello indicendo ferebatur; haberi autem a tribuno plebis non potuisse, qui non fuit inter maiores magistratus. quod si perduellionis aliquem tribunus plebis accusaret, (quo de crimine centuriatis comitiis populus iudicare solitus est) petebat a consule diem, quo populum in campum Martium per centurias non ipse, sed consul ad iudicium conuocaret. Liuius lib. 2. c. 56. Gellius lib. 13. c. 12. et lib. 15. c. 27.

Ordinibus] Augere sententiam Cicero videtur, cum, facta hominum mentione, ordines subiungit: quod illi familiare est. Lib. 3. epist. 10. *Quae de hominum, atque ordinum omnium erga te studiis scribis ad me.* Et pro Cornelio, orat. 1. *Num alicui gratificabatur aut homini, aut ordini?* et Coelius lib. 8. epist. 17. *Praeter foeneratores paucos, nec homo, nec ordo quisquam est, nisi Pompeianus. Omni genere hominum, et ordine,* dixit lib. 2. de Offic. c. 24. Tres autem erant ordines in ciuitate, senatus, equites, plebs.

Quod quemquam maleuolentissimum] Vel minima res maleuolentissimos offendit: ego tamen nihil committo, quod iure quemquam, vel maleuolentissimum, possit offendere.

Alienioribus] Cum quibus nulla intercedit amicitia. Lib. 2. ad Attic. epist. 20. *Si modo erunt eiusmodi litterae, quas in alienum incidere nolim.* Et lib. 10. ad eundem epist. 11. *Obsignata iam epistola superiore, non placuit ei dare, cui constitueram, quod erat alienus.* Lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Si Clodius vi agere conabitur; spero fore, studiis non solum amicorum, sed etiam alienorum, vt vi resistamus.* Pro Murena c. 27. *Ea conditione* (Cato) *nobis erat in hac ciuitate natus, vt eius opes, et ingenium praesidio multis, etiam alienissimis, vix cuiquam inimico, exitio esse deberent.*

Eos] Quos saepe nutu, et significatione appellat. inuidebant enim Ciceroni, nouo homini, optimates multi.

Splendorem, et Speciem] Dignitatem et gratiam.

Intuentur] Plus est, *perspicere*, quam *intueri*. propterea de manifestis, splendore, et specie, dixit, *intuen-*

intuentur: de occultioribus autem, sollicitudine, et labore, *perspicere non possunt*. Similibus verbis, in simili sententia, vsus est Isocrates, cum scriberet ad Iasonis liberos: Τὰς μὲν ἐξουσίας, inquit, καὶ τὰ κέρδη, καὶ τὰς ἡδονὰς ὁρᾶτε, καὶ τούτων ἀπολαύσεσθαι προσδοκῶσι· τὰς δὲ ταραχὰς, καὶ τοὺς φόβους, καὶ τὰς συμφορὰς, τὰς τοῖς ἄρχουσι συμπιπτούσας, καὶ τοῖς φίλοις αὐτῶν, ὑ θεωρεῖσιν. Crebro incurrebat Cicero in huiusmodi figuras; primum quidem, quia valebat ingenio; deinde, quia libros maxime pernolutabat Isocratis: quem laudat egregie lib. 2. de Orat. c. 3. in Bruto c. 12. in Oratore c. 13.

Sollicitudinem, et laborem] Quibus eum splendorem, eamque speciem tueor.

Quibus ornem Caesarem] Cui decreuerat supplicationem quindecim dierum, stipendium, decem legatos. quod supra ostendi.

Quasi defeciſſem ERN. *Quasi defeciuerim*] Hic, *quasi*, non minuit, sed indicat: vt si dixisset: illud queruntur in meis sententiis, quod a pristina caussa desciuerim. Eadem vis huiusce verbi cognoscitur apud Suetonium in Tiberio c. 11. cum ait: *Ab Ostia oram Campaniae legens, imbecillitate Augusti nunciata, paullum substitit. Sed, increbrescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei commoraretur, tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit.*

A pristina caussa] Ab optimatum caussa, qui se tueri rempublicam profitebantur; cum Caesar, Pompeius, et Crassus pro ipsorum potentia contendere viderentur. *Pristina* vero, quam ante exsulium, nulla neque Caesaris, neque Pompeii ratione habita, defenderat.

Cum illa sequor, quae paullo ante proposui, tum hoc non in postremis] Cum illa me ad ornandum Caesarem cohortantur, quae paullo ante collegeram, fides Pompeii, quam Caesari de me dederat, Quinti fratris, quam Pompeio: ipsius Pompeii voluntas, de me optime meriti; quorundam optimatum cum inimico non solum meo, sed etiam patriae, ac bonorum omnium reconciliatio; Caesaris et vetus amicitia, et incredibilis quaedam in me, fratremque meum liberalitas; res ipsa publica, Pompeii, Caesarisque rebus gestis non mediocriter aucta; quae cum iis, quibus tantum deberet, nolle contentionem fieri videretur. cum igitur haec me mouent: tum accedit illa ratio, a Platone comprobata, quod, quales in republica principes, tales video reliquos solere esse ciues.

Coeperam exponere] Cum enim sententiam Platonis posuissem de corruptis principum exemplo ciuibus, eam vt probaret, ita longe digressus est, inducta commemoratione sui consulatus, vt a proposito non nihil aberrasse videatur. itaque narrationem interruptam, ab alio tamquam orsus principio, retexit.

Non offendes eundem bonorum sensum] Ex quo sequitur, vt sententia quoque nostra commutanda videatur, siquidem Platonem audimus, mutatae ciuitatis caussam in principes conferentem.

Reliquisti] Tertio ante anno in prouinciam iuerat Lentulus: interea conuersus est orbis reipublicae,

sed maxime superiore, anno, Pompeio, et Crasso coss.

Confirmatus] Confirmandi enim senatus consul ipse ex Kal. Ian. fundamenta iecerat.

Interruptus, afflictus] Annum significat, quo multa per vim, contraque auspicia gesta sunt a Caesare consule, eiusque voluntatis ministro Vatinio tribuno plebis.

Recreatus abs te totus est] Amissam enim Pisone, et Gabinio coss. auctoritatem senatus reuocasti tum aliis in rebus, tum vero in salute mea, quam Clodius, ingenti senatus dolore, afflixerat.

A quibus tuendus fuerat] De iis loquitur, quos supra appellauit his verbis: *aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam.* Et: *certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me.* Et: *usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quam fuerant iidem in tenendo.* Infra vero: *quidam homines, et iidem illi, quos saepe nutu significationeque appello. Tuendus* autem passiue, vt *fruendus, vtendus:* sed ipso quoque verbo passiue vsus est Varro lib. 3. de re rust. c. 1. *In pace a rusticis Romani alebantur, et in bello ab his tuebantur.*

Fronte atque vultu] Quae saepe mentiuntur.

Sustinetur] Fallendi studio suscepta.

Nostro illo statu] Cum sententiae nostrae magnum in senatu pondus haberent.

Optimates] Patroni, ac defensores publicae causae: quos ita definit in orat. pro Sext. c. 45. *Duo genera semper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui versari in republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi, et esse voluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant, vt sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur.*

Sensu ERN. *Sententia*] In senatu: ex qua non eundem esse eorum sensum, qui fuerat antea, cognouimus.

Tabella] In iudiciis: cum absoluerunt, quos damnari oportuit. Nec dubito, quin hic Cicero Sex. Clodii, nocentissimi hominis, absolutionem significet; quem senatorum vrna copiose absoluit; ad quos dirigitur haec tota narratio. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6.

Sapientium ciuium] Qui rempublicam optimo et amplo, et consilio tractarent, *sapientes* olim vocabantur: et hoc sapientiae genere Theages ille Platonicus optat excellere. hac igitur de sapientia loquitur Cicero, non de illa, quae, vt a Stoicis definitur, *diuinarum humanarumque rerum perfecta scientia est.*

Idem ille Plato] A me antea nominatus.

Quem ego vehementer auctorem sequor] Cuius apud me grauis admodum auctoritas est; cui praecipienti aliquid maxime pareo; cuius etiam sententias in mea scripta libenter transfero. Plinius in praefat. *Cicero*, inquit, *in libris de republica Platonis se comitem profitetur: in Consolatione filiae, Crantorem, inquit, sequor.*

Tan-

Tantum contendere in republica] Platonis verba sunt in Critone: Πανταχῆ ποιητέον ἃ ἂν κελεύσῃ ἡ πόλις τε, καὶ ἡ πατρίς; ἢ πείθειν αὐτὴν, ἢ τὸ δίκαιον πέφυκε; βιάζεσθαι δὲ ὐχ ὅσιον ἥτε μητέρα, ἥτε πατέρα; πολὺ δὲ τούτων ἔτι τὴν πατρίδα; Idem dixit in epistola longa ad Dionis propinquos: Πατέρα δὲ ἢ μητέρα ὐχ ὅσιον ἦν ὔμιν προσβιάζεσθαι, μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους· βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνω φυγῶν, καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν, μὴ δυνατὸν ἢ γίνεσθαι τὴν ἀρίστην.

Quantum probare] Rationibus. nam vis neque patriae, neque parentibus afferenda. quod Plato dixerat, ἢ τὸ δίκαιον πέφυκε, convertit, *quantum probare tuis civibus possis.*

Vim neque parenti, neque patriae] Eundem Platonis locum Sallustius in prooemio Iugurthini c. 3. videtur imitatus. *Vi quidem*, inquit, *regere patriam, aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est.*

Ait] Non hoc ait in eodem dialogo, sed in epistola ad Perdiccam, quam Ficinus Dionis esse putat. Subscribemus Graeca verba; in quibus de seniore iam populo, veteribusque institutis assuefacto, non de desipiente mentio fit. sed videlicet Ciceronis hoc est in Graecis conuertendis, vt verba non numeret, sed tamquam appendat. quod ipsemet in prooemio libri de optimo genere oratorum c. 5. profitetur. Ἐὰν δέ τις ἀκούσας ταῦτα εἴπῃ, Πλάτων, ὡς ἔοικε, προσποιεῖται μὲν τὰ δημοκρατίᾳ ξυμφέροντα εἰδέναι· ἐξὸν δὲ ἐν τῷ δήμῳ λέγειν καὶ συμβουλεύειν αὐτῷ τὰ βέλτιστα, ὃ πώποτε ἀνασὰς ἐφθέγξατο πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν, ὅτι Πλάτων οὐδὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε, καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον, καὶ εἰσιόντα ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν, πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου ξυμβουλῇ πράττειν. ἐπὶ πάντων ἂν ᾤετο, καθάπερ πατρὶ συνεβούλευεν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύειν ᾤετο, πλέον δὲ κακὸν ποιήσειν.

Quod] Deesse videtur, quo referatur. nam ea, quae sequuntur, verba, *offendisset, vidisset, dissideret, arbitraretur*, propinquam particulam, *cum*, singula respiciunt: quod acute intuentibus visum iri arbitror.

Propeiam desipientem senectute] Similitudine vsus est Cicero hominum non morbo, aut casu aliquo, sed senectute desipientium. nam, vt aetatis vitium corrigi iam non potest: sic populum diuturna peccandi consuetudine ita corruptum, vt prope ad insaniam peruenerit, nulla ratio ad sanitatem traduxerit.

Nec persuadendo] Quia prope desiperet senectute.

Nec cogendo] Quia vim neque parenti, neque patriae asserri oporteret.

Dissideret] Quis autem, quod praestari a se posse diffidat, id conetur? Sallustius in eodem loco, ex Platonis verbis, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύειν ᾤετο, πλέον δὲ κακὸν ποιήσειν, hanc sententiam ita refert: *Frustra niti, neque aliud fatigando, nisi odium, quaerere, extremae dementiae est.*

Cogi fas esse non arbitraretur] Hoc pendet non a proximo, *cum*, sed ab eo, *quod*, vbi causam explicare Cicero incipit, cur Plato rempublicam non attigerit: hoc modo: *atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendae reipublicae*

fuisse, quod populum Athenienſem, cum perſuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur.

Mea ratio fuit alia] Verbum, *ratio*, multis rebus eleganter communicat Latina lingua, nec ſemper eodem ſenſu. lib. 3. epiſt. 5. *Animadverti, et didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem, vt mihi consuleres, restitueresque, et praeparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior, et solutior esse posset.* Et ibidem, infra: *Tua ratio postea est commutata.* Et epiſt. 8. eiusdem libri: *Mea ratio in tota amicitia nostra constans, et grauis reperietur.* Quibus in locis, atque aliis, quae breuitatis cauſſa praetermitto, licet intelligere, quae res huic ſubiecta verbo ſit: nec difficilis imitatio eſt: ſed verbo verbum explanare ſi quis velit, fruſtra fortaſſe conabitur. Eſt enim *ratio* nonnumquam id, quod ad nos pertinet, et quaſi ſtatus quidam rerum noſtrarum: interdum autem actio potius videtur eſſe: vt cum dixit, *quo mea ratio facilior, et solutior esse posset.* Et illud, *tua ratio postea est commutata.* Et, *mea ratio in tota amicitia nostra constans, et grauis reperietur.*

Neque integra re] Integra Platoni res fuit ad conſulendum; quia numquam attigit rempublicam, quod mihi non contigit; qui cum rempublicam antea tractaſſem, propterea implicatus tenebar; quod rationes quaedam, vt a publicis rebus abstinerem, et ad noſtra me ſtudia litterarum referrem, quaedam contra, vt in vetere vitae curſu, publicisque actionibus pergerem, hortari viderentur.

Laetatus tamen sum] In hac moleſtia, quam ex mutatione ſententiae meae capiebam, laetabar tamen, quod in defendenda Caeſaris, Pompeiique cauſſa, non modo rationibus meis, otioque ac ſaluti conſulerem, ſed etiam ea defenderem, quae probari poſſent a bonis viris. Oſtendit ita ſe cum Caeſare, ac Pompeio ſentire velle, ne quid tamen, quod obſit reipublicae, committat. id infra confirmat, cum ait: *Facile patior, ea me de republica sentire ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reipublicae rationibus putem conducere.*

Caesaris liberalitas] De qua ante: *Hic multum valuit cum vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi et Q. fratri cum Caesare fuisse, tum humanitas eius ac liberalitas, breui tempore et litteris et officiis perspecta nobis et cognita.* Commemorat eam libenter Cicero, quia beneuolentiam liberalitas maximopere conciliat. infra quoque: *Eius omni et gratia, quae summa est, et opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, vt meis.*

Tantisque victoriis] Quantas ipſe exponit quinque primis libris de bell. Gall. ſuperatis Heluetiis et Germanis, vt in lib. 1. Neruiis, vt in lib. 2. de quibus, deque omni Gallia pacata cum Caeſar ad ſenatum litteras miſiſſet, decreta ei quindecim dierum ſupplicatio eſt; quod ante id tempus acciderat nemini: Venetis, maritimam Galliae partem contra Britanniam incolentibus, lib. 3. rurſus Germanis deuictis, Sicambris perterritis, cum Rhenum primus Romanorum cum exercitu tranſiſſet, Britanniae poſt ſecunda proelia obſidibus imperatis;

tis: quibus rebus Romae cognitis, decreta ei viginti dierum supplicatio: vt ex ipsius lib. 4. c. 38. constat: in Britanniam copiis iterum traductis, re bene gesta, tributo imposito, obsidibus acceptis, mox in Gallia Eburonibus, Aduaticis, Nerviisque pugna victis, vt lib. 5. quae gesta sunt Domitio et Appio coss. quo anno scripta est epistola, et, vt videtur, in extremo. itaque vel, quae commemoraui, omnia, vel pleraque certe significat Cicero, cum ait, *tantisque victoriis.*

Ornandus] Reipublicae caussa.

Meae salutis auctoribus] Quorum virtute atque opera sum in patriam restitutus. in libro de clar. orat. c. 77. *Duo praeterea Lentuli consulares, quorum Publius ille, nostrarum iniuriarum vltor, auctor salutis*

Discesserim] Vobis exceptis, nemo est, cui perinde ac Caesari debeam; secundum vos, nullius in me maiora, quam Caesaris, merita esse confiteor. Similiter locutus est lib. 6. epist. 12. *Omnes Caesaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et beneuolentia, sic, vt, cum ab illo discesserint, me habeant proximum.*

Deuinctum] Proxime: *commemoranda quaedam, et diuina Caesaris in me fratremque meum liberalitas.* Et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1. *Ille mihi, secundum te, et liberos nostros, ita est, vt sit paene par.*

Gaudeam] Debitori solere odio esse creditorem, cognoscitur ex Aristotele Ethic. lib. 9. Καθάπερ ἂν ἐπὶ τῶν δανείων, οἱ μὲν ὀφείλοντες βούλονται μὴ εἶναι οἷς ὀφείλουσιν, οἱ δὲ δανείσαντες καὶ ἐπιμέλονται τῆς τῶν ὀφειλόντων σωτηρίας· οὕτω καὶ τὸς εὐεργετήσαντας βούλεσθαι εἶναι τὸς παθόντας, ὡς κομιουμένους τὰς χάριτας. Non igitur qui beneficium accepit, sed qui dedit, gaudere solitus est. parit enim virtutis exercitatio laetitiam: et amamus eum, in quo liberalitatem, id est, virtutem, exercemus. is autem, cui tributum beneficium est, non aeque amat eum, qui tribuit, nec se deuinctum eius officiis cum gaudio confitetur. nemo est enim, quem suae tenuitatis commemoratio delectet. Cicero tamen erga bene de se meritos ita delectatur officio suo, non modo vt fateatur id, quod debet, sed etiam vt debere se gaudeat. quod ipsi Lentulo, cuius opera salutem recuperauerat, fore gratissimum intelligit. nam si talem Caesari animum praestat: quid faciet ei, cui se plus, quam Caesari, debere, iam dixit?

Facilia sunt] Nam, quae me caussae ad ornandum Caesarem adduxerunt, iisdem, vt cum Vatinio, et Crasso in gratiam redirem, adductus sum.

De Appio.] Cum quo per Pompeium, cuius filio nupserat Appii filia, in gratiam rediit: vt est in epist. ad M. Brutum, apud Quinctilianum lib. 9. c. 3.

De Vatinio] Quem, scire vis, cur defenderim, et laudarim. Gesserat cum eo graues inimicitias Cicero, tum reipublicae caussa, quia leges contra senatus voluntatem, contraque morem maiorum tulerat in tribunatu; tum etiam, quia testimonium dixerat in Sextium, quem Cicero de vi accusatum defendit.

Per Pompeium] Quo consule comitia habente, superiore proximo anno praetor Vatinius creatus

est, M. Catone reiecto: qui cum ante Vatinium populi suffragiis praetor fieret, consul Pompeius, auspicia mentitus, comitia dissolvit, quod ei, augur cum esset, iure sacerdotii licebat. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. 39.

Praetor est factus] Corruptis suffragiis, anno proximo, consulibus ex interregno creatis Pompeio et Crasso. Plutarchus.

Catonis] Viri optimi, qui cum Vatinio, nequissimo homine, praeturam anno proximo superiore petens, repulsam tulerat: hoc autem anno praetor erat. lib. 3. ad Q. Fr. epist. 2. Asconius in commentario orationis pro Scauro.

Defenderem] Accusatus est Vatinius, vt ait Pedianus in commentarii proœmio orationis pro Scauro, Appio et Domitio coss. id est, quo anno scripsit Cicero hanc epistolam: accusatus autem a C. Licinio Caluo de ambitu, quia praetoria comitia corrupisset. nam et centuriis nummos ab eo contra leges datos, ait Plutarchus in Pompeio: et Quinctilianus locum recitat lib. 6. c. 1. ex oratione Calui contra Vatinium de ambitu reum. *Egregie in Vatinium Caluus, factum, inquit, ambitum scitis omnes, et haec vos scire omnes sciunt.* Idemque lib. 9. c. 2. ponit illud ex oratione Calui in Vatinium: *Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.* Aquila quoque Romanus haec recitat ex Calui oratione in Vatinium: *Non ergo pecuniarum magis repetundarum, quam maiestatis; neque maiestatis magis, quam Plautiae legis; neque Plautiae legis magis, quam ambitus; neque ambitus magis, quam omnium legum omnia iudicia perierunt.* Legimus etiam in Seneca, declamationum lib. 6. *Caluus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de eloquentiae principatu habuit, vsque eo concitatus auctor fuit, vt in media oratione eius exclamaret Vatinius reus: rogo vos, iudices, num, si iste disertus est, ego damnandus sum?* Accedit Cornelii Taciti testimonium in dialogo de oratoribus c. 21. *Versentur*, inquit, *in hominum studiosorum manibus accusationes*, (Calui) *quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio.* Et infra ibidem c. 34. *Nono decimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, vno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Caluus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.* Ipse Vatinius ita scripsit ad Ciceronem lib. 5. epist. 9. *Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis seruas, P. Vatinius cliens aduenit, qui pro se causam dicier vult. Non, puto, repudiabis in honore, quem in periculo recepisti.* Et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 16. *Post meridiem*, inquit, *Vatinium aderam defensurus.*

Mira contentio] Nec mirum: tribunatum enim suum ex Caesaris libidine Vatinius gesserat: in quo, praeter alia, legem tulerat, inuito senatu, de Gallia citeriore ab eo simul cum Illyrio per quinquennium obtinenda. Suetonius in Caesare c. 22. Plutarchus, omnes historici.

Laudarim] Dixi iam, laudari solitos esse reos ab amplissimis viris; quod

quod eorum laudatio quasi quaedam apud iudices commendatio videretur.

Ne tibi ego idem reponam] Ne ego quoque abs te quaeram, cum veneris, cur nonnullos in iudicio laudaris, de quibus tamen haud optime sentias: possum idem quaerere a te absente; cum ex Hispania citeriore quibusdam laudationem miseris. Causam igitur defendendi Vatinii, Caesaris contentionem posuit. Et, quia subiicere Lentulus poterat: an etiam, vt eundem laudares, Caesar contendit? excusat laudationem suam ipsius Lentuli exemplo, cum alia ratione vix posset: siquidem necessaria, contendente Caesare, defensio videri poterat; laudatio autem, voluntaria. Scimus autem, hoc esse positum in oratoris artificio, vt, cum rationes et argumenta non suppetant, ad exempla confugiat.

Vltimis terris] Hispaniae duae fuerunt, citerior, et vlterior: quam vtramque anno superiore et senatus, et lege a tribuno plebis Trebonio perlata, populus Pompeio dederat. hic de citeriore accipiendum; cui praefuisse cum imperio Lentulum, supra demonstratum est iis verbis, *cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres.* Et quamquam vlterior Hispania potius, quam citerior, vltima terrarum esset ad Oceanum vsque pertinens: ad commune tamen Hispaniae nomen Cicero spectauit, cum esset ea tota prouincia ad occidentem, sicuti ad orientem Syria, terminus imperii Romani. De Cilicia tamen, quae citra Syriam est, dixit Cicero lib. 15. epist. 9. *a te ipso missi in vltimas gentes:* non quod vltimae gentes, sed quod inter vltimas imperii Romani. Sallustius autem in Coniuratione Catilinae c. 16. *Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat*, id est, extremis imperii, in finibus imperii, ad imperii fines. Et Nepos in Attici vita c. 20. *Antonius ex vltimis terris, quid ageret, curae sibi habebat certiorem facere Atticum.*

Miseris] Per litteras etiam ab iis, qui aberant, rei laudabantur. Asconius in commentario pro Scauro: et Planco Bursae laudationem a Pompeio, cum esset proconsul ad vrbem, ad iudices missam, legimus in Dione lib. 40.

Pertimueris] Apparet, laudatos a Lentulo, qui ab optimatibus dissiderent.

Sed tamen] Omissa laudatione, redit ad causas defensionis. quod enim P. Clodium quidam optimates, Ciceronis inimicum, ipso praesente amplexarentur, in manibus haberent, fouerent, oscularentur, vt ei stomachum facerent: propterea, vt eorum consuetudinem imitaretur, et quasi par pari referret, ipse quoque, hominem optimatibus inuisum, Vatinium defendit.

Par pari ERN. *Par pro pari referto*] Sic stat versus: *par pari*, trochaeum admiscebat, qui locum non habet in senariis. Graeci dicunt, ἀντιποιεῖν.

Quidam nobiles homines] De quibus ante: *Certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cum illa sentirent in republica, quae ego agebam, semperque sensissent: me tamen non satisfacere Pompeio, Caesaremque inimicissimum mihi futurum, gaudere se aiebant.* Et aliquanto post: *Quidam homines*

in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt.

Seuere seducerent] Quasi de grauibus, seriisque rebus cum eo deliberaturi. adhibetur enim ad seria seueritas. vnde praeceptum illud lib. 1. de Offic. c. 37. *Videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, seueritatem adhibeat; si iocosis, leporem.*

Suum Publium] Clodium, cum quo in gratiam redierant. quae maxime res ab optimatum caussa Ciceronem abalienauit, et cum Caesare, totaque Caesaris factione coniunxit, vt etiam duos maxime omnium infensos, atque inimicos optimatibus, Gabinium, rogatu Pompeii, Vatinium, Caesare contendente, defenderit, et laudarit. hoc ipsemet explanat in orat. de prouinciis c. 20. *Leuissime feram, si forte aut iis minus probaro, qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt, aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt, cum ipsi, et cum meo et cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.*

Leuiter repungere] Excusatio triplex, quod leuiter eos offendat, quod lacessitus, quod in re simili, id est in altero Publio.

Saepe facio] Quod in iudicio dixi, saepe facio, vt eorum animos leuiter repungam.

Diis hominibusque approbantibus] Sine vlla cuiusquam reprehensione. sic lib 2. ad Q. Fr epist. 4. *Vatinium, a quo palam oppugnabatur*, (Sextius) *arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus.* Contra lib. 3. ad eundem epist. 2. *Probe premitur*: (Gabinius) *nisi noster Pompeius, diis hominibusque inuitis, negotium euerterit.*

Habes de Vatinio] Cur Vatinium defenderim, cognouisti. *Habes*, inquit: quia, quae audimus, accipimus animo. infra: *Accepisti, quibus rebus adductus, quamque rem caussamque defenderim.*

De Crasso] De quo quaesiisse Lentulus non videtur. nam in prima epistolae parte Caesar, Appius, Vatinius, ex Lentuli litteris nominantur, Crassi nulla mentio. sed Ciceroni propositum in primis hoc est, vt excuset ea, quae sibi aliquam inurere notam inconstantiae possint. quare, cur et cum Crasso post reconciliationem contenderit, et, post contentionem, rursus in gratiam redierit, caussas diligenter exponit.

Magna iam gratia] Vetus inter eos fuerat simultas, vel exorta Cicerone consule, cum Crassus Catilinae consiliorum particeps esse putaretur, vt historiae declarant; vel, vt ego arbitror, multo ante, cum Cicero ab adolescentia sua, vt in hac epistola iam dixit, Pompeii fautor extitisset, Crassumque saepe, vt lib. 1. ad Attic. epist. 14. scripsit, in Pompeiana laude perstrinxisset: in suasione quidem legis Maniliae, laudem seruilis belli, Crassi virtute confecti, magna ex parte ad Pompeium transfert. Primus dies eos in gratiam reduxit, cum Crassus in senatu, praesente Pompeio, a Mithridatico bello proxime reuerso, de rebus a Cicerone consule in vrbe gestis ornatissime locutus est. cuius orationis illustrem sententiam cum Cicero ad Atticum scripsisset, subiunxit: *hic dies me valde Crasso adiunxit.* Rursus odium inter eos emersit,

emerſit, quo anno lege Clodia Cicero pulſus eſt, Craſſo Clodium adiuuante, vt in Plutarcho legimus. Iterum autem reconciliati, reſtituto in patriam Cicerone, intercedente Publio Craſſi filio, Ciceronis amantiſſimo, vt idem Plutarchus. Tertiae tum diſſenſionis, tum etiam reconciliationis cauſſa hic exponitur.

Communis concordiae cauſſa] Quod priuatas inimicitias reipublicae donandas putaret; ne quando priuatis odiis publica impediretur vtilitas.

Contriueram] Depreſſeram, conſumpſeram. contrita enim vim non habent. ſic in Tuſcul. 5. c. 30. *Reliquis quidem licet facere id, quod fere faciunt, vt grauitatem dignitatemque virtutis exaggerent. Quam cum ad caelum extulerint, quod facere eloquentes homines copioſe ſolent: reliqua ex collatione facile eſt conterere atque conſumere.*

Defenſionem Gabinii] In ſenatu, cum in abſentem Gabinium acerbiſſime inuectus eſt Cicero. oratio de prouinciis, et in Piſonem.

Diſputantem] Cum eo in ſenatu. nam, in iudicio, dixiſſet potius, *agentem.*

Laeſiſſet] Contumelia verborum. ſatis enim conſtat, non eorum modo animos laedi, contra quos aliquid fit, ſed eorum etiam, contra quos dicitur. in quibusdam tamen antiquis libris, *laceſſiſſet.*

Exarſi] Vt ignis ex arida materia, ſic nos iniuſte laeſi exardemus iracundia. bilis enim, quae commota iracundiam gignit, aſſimilatur igni, atque etiam, vt philoſophis placet, accipitur ab igne, vt animus ſpirabilis ab aere, humor ab aqua, viſcerum ſoliditas a terra. quod lib. 2. de Nat. Deor. c. 6. Cicero tradidit. Vſurpatur autem tribus modis hoc verbum: *exarſi iracundia*, vel *dolore: exarſit iracundia*, vel *dolor: exarſi*, ſimpliciter. Primi generis exemplum hic habemus, et lib. 2. in Ver. c. 20. *Exarſit iracundia, ac ſtomacho.* in epiſt. ad Brutum a Germ. rep. et ed. 2. *In Planci cauſſa exarſit incredibili dolore.* Alterum genus cognoſcitur ex lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Clodiani noſtros conſputare coeperunt. Exarſit dolor.* Simpliciter autem lib. 2. ad Attic. epiſt. 21. *Sibilis vulgi, ſermonibus honeſtorum, fremitu Italiae, vereor ne exarſerint.* Et in prooemio lib. 3. de Orat. *Cum homini et vehementi, et diſerto, et in primis forti ad reſiſtendum, Philippo, quaſi quasdam verborum faces admouiſſet, non tulit ille, et grauiter exarſit.*

Effudiſſe] Cum in gratiam rediuimus, nihil putani reliquum eſſe odii.

Reſiduum tamen inſciente me fuiſſet] Tota haec de veteris odii eruptione ſententia duas partes habet, vnam ex vno membro, cum incluſum illud odium omne repente apparuit; alteram ex duobus, *quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet.* vtraque igitur pars a ſe ipſa regatur, neceſſe eſt. quod cum ita ſit; quaero, unde pendeat hoc, *reſiduum tamen inſciente me fuiſſet*; non enim ad verbum, *quod*, accuſandi caſu enunciatum, referri videtur poſſe. quare aut ſubaudiendum alterum, *quod*: vt ita dicat: *quod* ego effudiſſe me omne arbitrabar, *quod* tamen inſciente me

reſiduum fuiſſet: aut ſoloeciſmi ſpecies quaedam videbitur: cuius generis alia quoque in Cicerone, Pediano etiam teſte, animaduertentur.

Fuiſſet] Placet: etſi varie ſcriptum eſſe videam in aliquot antiquis libris, *fugiſſet*, *effugiſſet*, *fudiſſet*.

Iidem illi] Veteres in plurali quoque dicebant, *idem*: ſed melior conſuetudo, vt *iidem* diceretur, obtinuit, quod analogiae lib. 2. Caeſarem probaſſe Cariſius oſtendit.

Saepe nutu ſignificationeque appello] De his enim ſaepe iam locutus, neminem vmquam nominauit.

Maximum fructum] Pro laetitia potius, quam vtilitate, *fructum* hic accipio, vt etiam lib. 10. epiſt. 5. *Ex tuis litteris cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad iudicandum: amoremne erga me tuum, an animum in rempublicam pluris aeſtimandum putarem.* Et in extrema epiſtola: *Illud ad tuam ſummam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te ſcio libentiſſime frui ſolere, pertinere;* pro laetari.

Ex libertate mea] Propter haec omnia: quod, ſedente Cn. Pompeio, dixerim me Bibuli fortunam, quam Vatinius affligiam putarat, omnium triumphis, victoriisque anteferre: quod, eodem teſte, alio loco, eosdem eſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, et qui me coegiſſent: quod in Vatinium ſumma libertate, animoque maximo, de vi, de auſpiciis, de donatione rerum, omnia dixerim: quod ſenatui quoque auctor fuerim, vt de agro Campano idibus Maii referretur: poſtremo, quod cum Craſſo magna libertate contenderim.

Foris] Vulgo, apud omnes homines: vt lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 8. *Senatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Foris valde plauditur.* Et lib. 3. ad eundem, epiſt. 2. *Nihil hominum ſermone foris clarius.*

Fructum tuliſſet] Bonam de me hominum opinionem auxiſſet.

Qui in eadem cauſſa eſſent] Communis erat cauſſa Craſſi, Caeſaris, Pompeii, qui ad ipſorum potentiam omnia referebant.

Iniqui] Cur enim, cum ex libertate mea maximum fructum cepiſſent, inimiciſſimos mihi fore principes viros laetabantur?

Honeſtiſſimos] In primis honoratos. lib. 2. epiſt. 15. *Emori Caeſarem honeſtum eſſe cupio.*

Perferrentur] Dixit ſupra: *Sermones referebantur ad me.*

Ita contendiſſet, vt nihil vmquam magis] Supra, eadem ſententia aliter expreſſa: *Caeſaris, vt illum defenderem, mira contentio eſt confecuta.* Eodem modo accipitur, *pugnare*, lib. 7. epiſt. 32.

Maxima moleſtia] Quid inirum? cum, praeter initam inter eos in cauſſa populari ſocietatem, Craſſi filii quaeſtor Marcus, Publius legatus, Caeſare imperatore in Gallia mererent.

Temporum meorum] Earum calamitatum, quas olim pertuli, quia nimium in republica libere ſenſiſſem. quod ne iterum accideret, prouidendum fuit. Hoc nomine caſus aduerſos interdum appellat, vt in extrema epiſtola: *Scripſi verſibus tres libros de temporibus meis.*

Et

Et in suasione Maniliae legis c. 1. *Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui.*

Natura] Quae me ab omni contentione reuocabat.

Paene a meis laribus] Non reuera a meis laribus, cum domi meae non cenauerit, sed paene a meis laribus; cum et apud me cenauerit, et in hortis generi mei. *Lares* pro aedibus ponuntur, quia praeesse putabantur aedibus: et iidem sunt omnium aedium lares; penates autem singularum aedium proprii. ideo separatim eos Plautus nominavit in Merc. Act 5. Sc. 1. v. 7.

Ego mihi alios deos penates persequar, alium Larem.

Condixisset] In diem certum denunciasset. sic enim Festus interpretatur.

Apud me] *Apud me, apud Pompeium, apud se*, valet in aedibus meis, in aedibus Pompeii, in aedibus suis. hic igitur non omnino proprie dictum est, *apud me*, quia cenauerat Crassus non in Ciceronis aedibus, sed in hortis Crassipedis. verum hortos Crassipedis quasi suas aedes putat: ideo dixit etiam, *paene a meis laribus.*

Commendatione] Laude.

In senatu] Hac de re sic ad Crassum, lib. 5. epist. 8. *Et cum consulibus, et cum multis consularibus tanta contentione decertaui, quanta numquam antea vlla in caussa: — veterique nostrae necessitudini iamdiu debitum, sed multa varietate temporum interruptum officium cumulate reddidi.*

Mea fides] Post reconciliationem.

Rem caussamque] *Res*, vt supra demonstraui, totum negotium significat; *caussa* negotii pars est, quae ad aliquem proprie pertinet. *res* igitur est hic, id quod Pompeio, et Caesari placebat; quos offendere, temporibus admonitus, Cicero nolebat: *caussa* vero, Vatinius, et Crassus, quorum alterum in iudicio, alterum in senatu, rogatu Caesaris, et Pompeii, defenderat.

In republica capessenda] Dixi iam, *rempublicam capessere*, idem esse, quod, administrare.

Pro mea parte] Quod ad me attinet. dixit enim epistolae initio: *Ostendam, qui sit meus sensus et status.*

Mihi integra omnia, ac libera fuissent] Si mihi pro meo sensu, ac iudicio rempublicam capessere licuisset: id quod non licuit: cum me fratris mei fides, Pompeii, Caesarisque beneficia, optimatum iniuriae commouerint. Paullo post: *Si essent omnia mihi solutissima, tamen in republica non alius essem, atque nunc sum. Cum vero in hunc sensum et allicior beneficiis hominum, et compellar iniuriis: facile patior, ea me de republica sentire ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reipublicae rationibus putem conducere.* Ideo autem plane integrum Ciceroni non erat, vt id ageret, quod maxime probaret; (probauerat autem semper, ac defenderat optimatum caussam, quam Caesar, et cum eo coniuncti Pompeius, et Crassus, populari via potentiam quaerentes, oppugnabant) quia cum Pompeium non solum beneficio, sed amore etiam, ac perpetuo quodam iudicio diligeret; Caesaris autem in se, fratremque suum mirificam liberalitatem esset expertus; praeterea reconciliatos cum inimico suo, familiarique coniunctos

iunctos amicitia, principes optimatum videret, discedere a pristina sententia cogebatur.

Contra tantas opes] Quod erat periculosum.

Neque defendum] Quod ipsa respublica nolle videretur. dixit enim supra: *Vehementer res ipsa publica me mouit, quae mihi videbatur contentionem, praesertim maximis rebus a Caesare gestis, cum illis viris nolle fieri: et, ne fieret, vehementer recusare.*

Conuersis rebus] Respexit ad illud Platonis, *quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse ciues.*

Temporibus assentiendum] Lib. 4. epist. 9. *Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum.* Dixit idem aliis verbis in orat. pro Plancio c. 38. *Stare*, inquit, *omnes debemus, tamquam in orbe aliquo reipublicae, qui quoniam versatur, eam deligere partem, ad quam nos illius vtilitas, salusque conuerterit.*

Praestantibus viris] Iis, qui optime administrandae reipublicae sententia praestiterunt.

Vt in nauigando] Nihil iucundius, atque etiam nihil vtilius, quam in legendo similia conferre. quo in genere qui versantur, his fere neque deest vmquam, quod scribant, et ea, quae scribunt, augere, et exornare facile possunt. Vsus est Cicero in orat. pro Plancio c. 39. eadem sententia, sumpto a nauigantibus exemplo. *An*, inquit, *cum videam nauem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probaui, sed alium non minus tutum, atque tranquillum: cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi, salute praesertim proposita, obtemperem, et paream? Neque enim inconstantis puto, sententiam, tamquam aliquod nauigium atque cursum, ex reipublicae tempestate moderari.* Cuius loci extremam partem iisdem verbis iteratam video in orat. pro Balbo c. 27. *Assentior*, inquit, *non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque cursum, ex reipublicae tempestate moderari.* Et lib. 16. ad Attic. epist. 7. *Nemo doctus vmquam mutationem consilii, inconstantiam dixit esse.*

Portum tenere] Pro, obtinere. epist. 1. *Teneri enim res aliter non potest.*

Mutata velificatione] Obliquo cursu, non directo, qui erat institutus.

Tandem ERN. *Tamen peruenire*] Non tam cito, sed aliquando tamen peruenire.

Cum dignitate otium] Epist. 7. *Neque salutis nostrae rationem habendam nobis esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute.* Et in principio lib. 1. de Orat. *Perbeati fuisse illi videri solent, qui in optima republica, cum et honoribus, et rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, vt vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent.*

Non idem semper dicere] More nauigantum, qui non eundem semper cursum tenent, sed eundem tamen portum, licet mutata velificatione, semper spectant.

Non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus] Salutem

lutem reipublicae, quae sententiam a nobis eandem perpetuo non postulat. Pro Plancio c. 39. *Ego vero haec didici, haec vidi, haec scripta legi: haec de sapientissimis, et clarissimis viris et in hac republica, et in aliis, ciuitatibus monumenta nobis litterae prodiderunt: non semper easdem sententias ab iisdem, sed, quascumque reipublicae status, inclinatio temporum, ratio concordiae postularet, esse defendendas.*

Solutissima] Soluta, et libera Ciceronis voluntas non erat, cum et alliceretur Pompeii, Caesarisque beneficiis, et compelleretur optimatum quorundam iniuriis.

Facile patior] Ita loquebantur, cum aliquid se nec admodum libenter, nec moleste tamen facere significabant. lib. 5. epist. 7. *Nulla re tam laetari soleo, quam meorum officiorum conscientia: quibus si quando non mutue respondetur, apud me plus officii residere facillime patior.*

Cum mihi] Coniuncta cum praesidiis iis, quae semper habuerat, potentium beneuolentia, paullo post.

Reipublicae rationibus] Publicae causae, omnium libertati. supra: *Laetatus sum, quod mihi liceret in eadem causa et mihi vtilia, et cuiuis bono recta defendere.* Sic locutus in prooemio lib. 1. de Inuent. *Is mihi vir et suis, et publicis rationibus vtilissimus, atque amicissimus ciuis fore videtur.*

Apertius haec ago] Ita me sentire profiteor.

Legatus est Caesaris] In Gallia. missus a Caesare cum legione in Neruios, Eburonum, Aduaticorum, Neruiorum obsidionem fortiter sustinuit. Caesar lib. 5. de bell. Gall. c. 39. seqq.

Ita illustri gratia] Quaecumque a me in illum profecta sunt, ita perspicue, sibi accidisse gratissima, demonstrauit, vt ego eum, vel minimis meis officiis, mihi obstrictum putarem.

Gratia] Apud populum valere enim in senatu auctoritate, apud populum gratia, proprie dicitur. Et Caesar, qui semper ad principatum spectauerit, mire popularis ab adolescentia fuit, multaque per populum, quae a senatu impetrare nequiuisset, consecutus est.

Opibus] Opum nomine, quantum valemus, continetur. lib. 6. epist. 6.

Consilia frangere] Non dissimile, *cogitationes debilitare*, epist. 6.

Potentium beneuolentiam] Eadem sententia lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. *Praesidium firmissimum petebamus et optimi, et potentissimi viri beneuolentia ad omnem statum nostrae dignitatis.* Hoc nimirum illud est, quod saepe dixit, spectandum esse cum dignitate otium, habendam non dignitatis modo rationem, sed etiam salutis.

Essem vsus eisdem] Indicat, eo se facilius in eam mentem esse deductum, quod probari a Lentulo consilium suum existimarit. quasi, Lentulo aliter sentiente, aliter ipse quoque sensurus fuerit. huc illud spectat epist. 8. *Ego quidem, vt debeo, et vt tute mihi praecepisti, et vt me pietas vtilitasque cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adiungendum putasti.*

Tempe-

Temperantiam et moderationem] Notum est ex Aristotele, et aliis, *temperantiae* nomine, perfectam virtutem, qua indomitae, atque exsultantes animo libidines cohibentur, indicari. verbum igitur, *moderationem*, sententia non requirit. Sed a more philosophorum longe distat oratoria loquendi consuetudo. Saepe copiam quaerit Cicero, non vt augeat, immutetue sententiam, sed vt explanet magis. neque vero nesciebat, moderationem a temperantia non differre, cum ipse et lib. 2. de Fin. c. 19. et Tusc. 3. c. 8. *temperantiam* definierit, atque explicauerit moderationis nomine: et lib. 1. de Offic. c. 27. 28. vbi quattuor virtutes nominat, *moderationem* pro temperantia vsurpauerit: sed, vt dixi, aperiendae, atque explanandae rei gratia, non necessariam vbertatem interdum amat. eodem modo lib. 12. epist. 27. *Est ita temperatis moderatisque moribus, vt summa severitas summa cum humanitate iungatur.*

Amicissimum] Itaque non dubito, quin ea voluisses, quae meis conducere rationibus existimasses.

Suffusum] Translato verbo latere interdum in animo maleuolentiam significat, vt aqua latet subter cutem fusa. Sic lib. 2. de nat. deor. c. 21. *aetherem aequabili calore suffusum* dixit.

Magnum et excelsum] Quae virtus plane viro digna. Graeci μεγαλοψυχίαν, Cicero lib. 1. de Offic. c. 43. *magnanimitatem* vocat. Magni autem excelsique animi est, neminem odisse, res eas parui pendere, quibus alii ad maleuolentiam, ac nocendi cupiditatem facile commouentur. Eidem tribuit animi magnitudinem epist. 5. et 7. et in lib. de clar. orat. c. 77.

Apertum et simplicem] Quod bonitatis est. ideo, quid sentires, qui tuus in me, ceterosque animus esset, nullo negotio perspexi.

Tales] Inuidos. nam epist. 7. *in te*, inquit, *homine omnium nobilissimo, similia inuidorum vitia perspexi.* Notatur etiam perfidia optimatum quorundam, Ciceroni in salute, Lentulo in dignitate cognita. epist. 5. 6. 7.

Mouerunt] Vt quibusdam in sententiis paullum me immutarem, meamque voluntatem ad summorum hominum, de meque optime meritorum, dignitatem aggregarem.

Salus mea] Vt in patriam redirem.

Etiam dignitas] Modeste petit, vt eundem se praebeat Lentulus in eius tuenda, atque augenda dignitate, quem in recuperanda salute praestiterat.

Socium comitemque] Non dixit, *adiutorem*, vt arrogantiam vitaret; et simul, quod in societatis nomine quaedam inesse videtur beneuolentiae significatio. *Socius* autem, proprie, agentem adiuuat: *comes* eum sequitur.

Orationes] Triennio scriptae, Marcellino et Philippo coss. vt pro L. Calpurnio Bestia, pro P. Sextio, in Vatinium, de prouinciis consularibus, de haruspicum responsis: Pompeio et Crasso, in Pisonem: Domitio et Appio, pro Scauro pro Vatinio, pro M. Coelio, atque etiam pro A. Gabinio, quem rogatu Pompeii hoc anno defendit, vt ex Dione lib. 39. et ex epistolis ad Atticum, et ad Q. Fratrem intelligitur.

nomi-

nominant et orationem de rege Alexandrino rhetores Latini, Aquila, et Fortunatianus: quam opinor habitam esse Marcellino et Philippo coss. quo anno scimus actum esse in senatu magnis contentionibus de restituendo Ptolemaeo, Aegypti rege.

Menocrito] Lentuli liberto. vsitatius nomen est, *Menocratis*, quam, *Menocriti*: sed libri veteres in *Menocrito* consentiunt.

Ne ERN. *Vt pertimescas*] Iocatur; quasi multarum orationum lectio molestiam Lentulo allatura sit.

Referoque ad mansuetiores Musas] Hoc plane anno poema ad Caesarem videtur scripsisse, de quo lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. et 9. fatebor tamen ingenue, quod mihi non mediocrem dubitandi caussam attulit. certe enim, cum dicat Cicero, *referoque me ad mansuetiores Musas*, videtur de poemate aliquo, a se scripto, velle subiungere: nec tamen id facit: nam infert statim, *scripsi igitur Aristoteleo more tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore*. Musis autem cum oratoria ratione quae communio est? quare vereor interdum, ne hoc totum, quod, inclusum parenthesi, a ceteris distinguitur, transferendum sit aliquo modo ad illud infra positum, *scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis*. Nisi si *mansuetiores Musas* vocauit ea studia, quae domi culta, ad lenitatem, atque humanitatem animos traducunt; cum orationes in foro habitae contentionem habeant. confirmare videtur hanc opinionem locus lib. 16. epist. 10. *Tu Musis nostris, para, vt operas reddas*. Et alibi *Musas* pro litteris posuit, vt lib. 2. ad Attic. epist. 5. *Cum omnibus Musis rationem habere cogito*.

A prima adolescentia] Adolescentulus Arati poema conuertit. quod hodie, temporis iniuria, mutilum habemus. Puer etiam tetrametro versu librum composuit, quem, vt ait Plutarchus, inscripsit *Pontius Glaucus*.

Delectant ERN. *Delectarunt*] Non ad proximum, quo se ad musas referre solitus est, sed ad longinquum adolescentiae tempus verbum, *delectarunt*, accommodauit, vt sit, ita me delectant, vt olim adolescentulum delectarunt. Simile illud in Bruto c. 75. de commentariis Caesaris: *Nudi sunt, recti, et venerit omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto*. Quod est: omni detracto, tamquam veste, orationis ornatu.

Scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore] Quid sit, *Aristoteleo more*, mecum ipse quaero, vtrum, quia dialogos et Aristoteles composuerit, qua de re Plutarchi testimonium exstat in consolatione ad Apollonium, et Basilii in epistola ad Diodorum, Themistii praeterea, et Philoponi: an vero, quia more quodam, non vulgari, sed exquisito, qualis Aristotelis mos fuit, artis oratoriae praecepta tradiderit. in quam equidem sententiam facile, et libenter inclino, commotus maxime sequentibus verbis, *quemadmodum quidem volui*: quibus minuere Cicero voluit arrogantiam, quasi nimium se extulisset, professus Aristotelico more se scripsisse de Oratore: maioremque etiam

iam prae se tulit modestiae speciem, cum subiunxit: *quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. arbitror*, inquit: quod fidentis non videtur: abest enim affirmatio. *Lentulo tuo:* adolescenti, non viro. nam facultatis in eo plus requiritur, qui viris placere velit. *non inutiles:* et hic opinionem vitat arrogantiae. nam si, *vtiles*, dixisset; promissio maior erat. Haec omnia modestiam declarant. et illud, *quemadmodum quidem volui;* valet hoc: an sim assecutus, ignoro: voluti quidem certe. Praeterea, doctrinam hic potius, et acumen Aristotelis, quam scribendi genus, indicari, ob eam caussam arbitror, quod in scribendi genere Platonem, et Xenophontem, quorum dialogis Aristotelis dialogos nemo conferre ausus est, aut solos, aut cum ipso saltem Aristotele nominasset. Sin ad doctrinam simul, et scribendi genus respexisse Ciceronem aliquis dicat: non prius hoc mihi persuaserit, quam, scriptum esse ab Aristotele de oratore dialogum, ostenderit. vnum autem eius dialogum de animo, Eudemum inscriptum, praeterea nullum, quod equidem legerim, veteres nominant. Basilius quidem dialogorum Aristotelis nomina non ponit: sed eum ait, et Theophrastum, cum dialogos componere essent aggressi, deterritos venustate Platonis ad aliam se scribendi rationem contulisse.

Abhorrent enim a communibus praeceptis] Quaenam erant communia praecepta? ea scilicet, quae lib. 1. de Orat. c. 31. exponuntur ex persona Crassi. *Non negabo*, inquit, *me ista omnium communia, et contrita praecepta didicisse: primum, oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate: deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis, ac temporibus locata.* Haec igitur Cicero in iis libris non esse ad bene dicendum valde necessaria confirmat: et praestantiora quaedam docet, partibus ita distributis inter Antonium, et Crassum; vt ille lib. 2. de materia oratoris; hic lib. 3. de ornandi ratione differeret. His autem libris nihil posse fieri elegantius, aut etiam vtilius, conuenit inter homines eruditos, atque ipse Cicero, de iis quid sentiret, ostendit lib. 13. ad Attic. epist. 19. *Sunt*, inquit, *etiam de oratore nostri tres, mihi vehementer probati.*

Omnem antiquorum] Aristotelis, et Isocratis: quod sequentibus verbis declaratur. quamquam antiquorum etiam omnium oratoria ratio in vno Aristotele continebatur. scripsit enim librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, vt lib. 2. de Inuent. c. 2. et lib. 2. de Orat. c. 38. legimus. Opposuit autem, *antiquorum rationem oratoriam, communibus praeceptis:* quod erant Romae, qui vulgo Rhetoricam artem docerent, et dicendi praecepta traderent. id Sullanis temporibus primus professus est L. Plotius Gallus, vt ad Titinium scripsit Cicero: cuius haec Suetonius verba recitat in libro de clar. Rhet. c. 2. *Memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. continebar autem doctissimorum*

morum hominum auctoritate, qui existimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.

Aristoteleam] Non opinor hos tantum, quos nunc habemus, sed alios quoque significari Aristotelis libros de ratione dicendi. ex his quidem, qui exstant, dubitari non potest, quin multa Cicero transtulerit in suos oratorios libros, praesertim in tertium: quod accurate legentibus patebit. De aliis vero eiusdem Aristotelis rhetoricis libris haec scripsit Cicero lib. 2. de Orat. c. 38. *Inter hunc Aristotelem, cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit, et hos germanos huius artis magistros, hoc mihi visum est interesse etc.* Quis porro neget, ex eo maxime libro, quo superiorum omnium artes complectebatur Aristoteles, multa Ciceronem in suos oratorios retulisse, cum ex eodem libro multa sumpserit adolescens, vt eos, de Inuentione quos inscripsit, minime cum oratoriis comparandos, veterum doctrina locupletaret? quod ipse lib. 2. eius artis c. 2. docet his verbis: *Nobis omnium, quicumque fuerunt, ab vltimo principio huius praeceptionis vsque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit. Ac veteres quidem scriptores artis, vsque a principe illo atque inuentore Tisia repetitos, vnum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit: at tantum inuentoribus ipsis suauitate et breuitate dicendi praestitit, vt nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem, reuertantur.* Haec Cicero. deinde, facta mentione eorum, qui Aristotelem, aut Isocratem secuti, praecepta dicendi reliquerunt, c. 3. *nos*, inquit, *nobis omnes, quod facultas tulit, proposuimus, et ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus.* Sumpsit igitur Cicero ab Aristotele multa, neque ex iis modo libris, quibus nunc vtimur, sed ex iis etiam, qui malo quodam periere litterarum fato. Praeterea gloriatur, ita se scripsisse oratorios, vt a communibus praeceptis abhorrerent, omnemque antiquorum Aristotelicam, et Isocraticam rationem oratoriam complecterentur. Laertius quattuor corpora rhetoricorum librorum Aristotelis nominat, Gryllum, vnicum librum, in quo, vt Quinctilianus lib. 2. c. 17. ait, *quaerendi gratia, quaedam subtilitatis suae argumenta excogitauit;* alterum, duos rhetoricae artis libros; tertium, vnicum librum, quem inscripsit Ars; quartum, libros duos, eadem inscriptione. quo numero tres, qui hodie sunt in manibus, exclusos videmus. At Cicero, et Quinctilianus, vt supra demonstrauimus, illos agnoscunt.

Isocrateam] De Isocratis arte discrepant veterum sententiae. Plutarchus certe ambigere se ostendit, cum illa mandauit litteris in eius vita: Εἰσὶ δ' οἱ καὶ τέχνας αὐτὸν λέγουσι συγγεγραφέναι· οἱ δὲ, οὐ μέθοδον, ἀλλ' ἀσκήσει χρήσασθαι. Hermogenis interpres Isocrati eam tribuit, Ἰσοκράτης, inquiens, φησὶν ἐν τῇ τέχνῃ, ὡς ἐν τῇ διηγήσει λεκτέον

τότε πράγμα, καὶ τὰ πρὸ τῦ πράγματος, καὶ τὰ μετὰ τὸ πράγμα, καὶ τὰς διανοίας, αἷς ἕκαστος τῶν ἀγωνιζομένων χρώμενος, τὸ δέ τι πέπραχε. Cum eo sensit Quinctilianus lib. 3. c. 1. nam, cum de Aristotele, et Isocrate loqueretur, *Ars*, inquit, *est vtriusque, sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est.* Idem tamen prorsus ambigit lib. 2. c. 15. cum ait: *Haec opinio originem ab Isocrate (si tamen reuera Ars, quae circumfertur, eius est) duxit.* Cicero noster eam plane repudiat lib. 2. de Inuent. c. 2. *Fuit*, inquit, *tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates: cuius ipsius quam constet esse artem, non inuenimus. Discipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus.* Hanc ergo dubitationem e scriptoris nomine ortam existimo, quia fuit alter Isocrates, Isocratis magni discipulus; a quo scriptam artem rhetoricam suspicari licet: cum praesertim discipulorum Isocratis multa se reperire dicendi praecepta Cicero dicat. Ac me quidem in hanc suspicionem illa etiam ratio ducit, quod Isocratis eiusdem iunioris esse orationem illam ad Demonicum, quae Isocrati magno tribuitur, Harpocration testis est. Atque haec omnia illuc refero, ne quis putet Ciceronem, quia dixerit Isocraticam rationem se esse complexum tribus oratoriis libris, Isocratis ipsius artem legisse, quam negauit vllam reperiri lib. 2. de Inuent. c. 2. itaque, *Isocrateam*, interpretor, ab Isocratis discipulis traditam, ex institutis tamen, et opinionibus magistri. quae enim ille voce docuit domi suae, postea scriptis eadem discipuli eius persecuti sunt. his autem cum iis, qui ab Aristotelis disciplina profecti sunt, controuersiae nonnihil fuit: quod Quinctilianus lib. 3. c. 1. significat. ait enim: *His succedere multi, sed clarissimus Gorgiae auditorum Isocrates. quamquam de praeceptore eius inter auctores non conuenit. nos autem Aristoteli credimus. Hinc velut diuersae secari coeperunt viae. Nam et Isocratis praestantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere: eoque iam seniore, (octauum enim et nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles praecipere artem oratoriam coepit.*

Rationem oratoriam] Quae de arte dicendi Aristoteles, et Isocrates praeceperunt. in hoc enim libri Ciceronis oratorii a communibus praeceptis abhorrent. Eodem spectat illud, quod scripsit lib. 2. ad Attic. epist. 1. *Meus liber totum Isocrati μυροθήκιον, atque omnes eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumsit.*

Tres libros de temporibus meis] De exsulio, atque etiam reditu: in his enim Lentulum, optime de se meritum, nominauit. scripsit etiam versibus tres libros de consulatu suo, sed antequam iret in exsulium: quod lib. 2. ad Attic. epist. 3. et lib. 1. de Diuin. c. 11. ostendit. hic autem Cicero commemorat, quae post discessum Lentuli, id est, post exsulium suum, scripserat. lib. 2. epist. 6. *Nouitate meorum temporum.*

Et erunt] Sperat futurum, vt a posteris etiam legantur. Sed eos aut

aut hominum incuria, aut vetustas ipsa perdidit.

Sed quia verebar] Ἔλλειψις, figura aliquid detrahens. nam hic sententia desiderat, *non misi:* vt sit; ideo non misi eos libros ad te, quia verebar eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare.

Totam ad te defero] Ad arbitrium tuum confero: vt se ipse interpretatur sequentibus verbis.

Consequi] Praestare. omnes meorum studiorum fructus ad te defero: vt iis arbitratu vtaris tuo.

Vt me nolim admoneri: rogari vero sine magno dolore vix possum] Rogari enim se, qui amant, non patiuntur. ideo dixit lib. 3. epist. 10. *Iniuriam mihi fieri putabam, cum rogabar.* Lib. 9. epist. 13. *Peto a te, vel, si pateris, oro, vt homines miseros conserues incolumes.* Lib. 13. epist. 18. *Ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certe admonitus, liberaliter Attico respondisses, vltro ad eum scripsisse.* Lib. 15. epist. 4. *Admonendum potius te a me, quam rogandum, puto.* Et lib. 12. ad Attic. epist. 35. *Te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis, aut pateris te rogari, vt hanc cogitationem toto pectore amplectare.*

In Ciliciam] Partem Lentuli prouinciae. vide epist. 7. *Qui Ciliciam Cyprumque teneas.*

Adiuncto isto fundo] De Cilicienſi fundo Q. Ciceronis nullam alibi mentionem inuenio. Emptus quidem non videtur, quantum ex verbo, *adiuncto*, licet intelligere: testamento fortasse legatus.

Exercitationibus] Oratoriis. declamando enim vel in scholis rhetorum, publice profitentium, vel domestica disciplina adolescentes exercebantur. Graecis autem exercitationibus ali melius ingenia posse, scripsit Cicero in epistola ad Titinium. cuius exemplo supra vsi sumus.

Neque cariorem, neque iucundiorem] Coniungit eadem lib. 2. epist. 2. *Cui et carus aeque sis, et iucundus, ac fuisti patri.*

Posteritas omnis intelligat] Tempori seruiens pollicetur, quod non praestitit. nullum enim librum Lentulo inscripsit, qui quidem exstet, aut ab iis nominetur, qui saepe scripta Ciceronis appellant.

Appius in sermonibus — quoad in vrbem introisset] Curiata lex a populo per curias congregato nomen accepit. curias autem, in quas Romulus populum distribuit, vt in sua quisque curia sacra publica faceret, ferias obseruaret, triginta fuisse, omnesque in Palatio, satis, vt opinor, notum est. ex his curiis cum populus, vt aliquid iuberet, aut iudicaret, in vnum locum coibat, *curiata comitia* vocabantur. coiuisse autem populum in Comitium, qui locus in foro fuit, docet Varro lib. 4. de L. L. Lex igitur curiata comitiis curiatis ferebatur; quibus autem de rebus, et a quo magistratu ferretur, non est alienum ostendere. De adoptione ferebatur, et de imperio militari. Si de adoptione ferri poterat vel a tribuno plebis, vel a consule. de tribuno plebis, locus indicat lib. 1. ad Attic. epist. 19. *Haec sunt in republica: nisi etiam illud ad rempublicam putas pertinere, Herennium quendam, tribunum plebis, tribui in tuum, sane hominem nequam atque*

egentem, saepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse. huic frequenter intercediture. De consule quis dubitet? cum Suetonius inter acta Caesaris consulis c. 20. hoc memoret: *P. Clodium, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona transduxit.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 12. *Quid Caesar? negat se quicquam de illius adoptione tulisse.* Adoptionem autem illam curiata lege factam esse, declarat oratio pro domo: in qua c. 15. sunt haec: *Negant fas esse agi cum populo, cum de caelo servatum sit. Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de caelo esse seruatum?* Et paullo post c. 16. *Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum: nihil reprehendo.* Et infra c. 29. *Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctorne esses, vt in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet, vt in filio. Quaero, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id XXX curiae iussissent, num id iussum esset ratum? certe non.* Confirmat Gellius lib. 5. c. 19. *Arrogantur*, inquit, *ii, qui, cum sui iuris sint, in alienam se potestatem tradunt: eiusque rei ipsi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur: nam comitia arbitris etiam pontificibus praebentur, quae curiata appellantur.* De imperio militari, quod extra vrbem gereretur, latam opinor esse curiatam legem vel ab eo ipso, qui accepturus esset imperium, si modo magistratus esset, vel a consule latam, ab ipso magistratu, qui vsurus esset imperio, auctor est Liuius lib. 9. c. 38. *Atque ei* (L. Papirio (dictatori) *legem curiatam de imperio ferenti, triste omen diem dixit.* A magistratu, qui non esset vsurus imperio, exemplo Ciceronis et Bibuli, (vt omittam alia quam plurima) demonstratur. nam et Cicero in Ciliciam, et eodem tempore Bibulus in Syriam, vterque aliquot annis post consulatum profecti sunt. latam autem de vtriusque imperio curiatam legem, ex eo liquet, quod vterque bellum gessit, vtrique supplicationes ob rem bene gestam decretae: Cicero etiam de triumpho cogitauit. itaque dubitandum non est, quin consules eius anni, Sulpicius, et Marcellus, alter, amboue, curiatam legem de eorum imperio tulerint. alioqui prouinciam quidem eo genere imperii, quod lex Cornelia dabat, administrare potuissent; quo se Appius, curiata lex ferri si non posset, contentum fore dictitabat: militarem autem rem, quae triumphi spem, et occasionem afferebat, nullo pacto iis attingere licuisset. curiatis enim comitiis rem militarem contineri lib. 5. c. 52. prodidit Liuius: consuli, si legem curiatam non haberet, attingere rem militarem non licuisse, Cicero in orat. 2. in Rullum c. 12. et ibidem: *consulibus, legem curiatam ferentibus, a tribunis plebis semper est intercessum.* Curiata igitur lege, in foro lata a consule, non a tribuno plebis (nam tribunis plebis nihil cum curiis) triginta lictoribus veteres triginta curias repraesentantibus, populus prouinciarum rectoribus imperium dabat, Cornelia senatus: sed Cornelia iuris dicendi potestatem, nihil pro viatico; curiata vero exercitus habendi,

belli-

bellique gerendi ius, cum stipendio militum, et proconsulis viatico, dabat. Et Cornelia, a L. Sulla dictatore lata, hoc sanxerat, vt, qui prouincias ex senatus consulto accepissent, imperium haberent, quoad in vrbem introissent: (studuit enim Sulla optimatum potentiae; plebem, quae aduersus eum pro Mario steterat, afflixit) curiata vero, quoties quisque in prouinciam iturus esset, de eius imperio ferebatur. Obstabat interdum, quod Appius timuisse videtur, intercessio tribunicia. itaque in agraria 2. c. 12. *Consulibus, legem curiatam ferentibus, saepe est intercessum.*

Si licitum esset] Sibi. non enim, quod ipse consul posset, id vt anni sequentis consul ferret, exspectare debuit.

Sortiturum esse] Consules vel sortiebantur prouincias, vel comparabant inter se.

Cum collega] L. Domitio Ahenobarbo.

Si curiata lex non esset] Ferri non posset, intercedente aliquo tribuno plebis.

Se paraturum ERN. *Se paraturum cum collega*] *Parare*, hic est paciscí, constituere. mos enim fuit, vt senatus consultum de prouinciis consularibus ita fieret, vt eas consules aut sortirentur, aut comparárent inter se: quod Liuii lib. 8. c. 20. testimonio probatur. *Extemplo igitur*, inquit, *consules noui L. Aemilius Mamercinus et C. Plautius eo ipso die Kal. Quinctilibus, quo magistratus inierunt, comparare inter se prouincias iussi.* et quod apud Liuium, *comparare inter se*, idem apud Ciceronem, *parare cum collega*. quamquam et, *parare inter se*, a veteribus dictum esse, Festi verba, licet praecisa et mutila, videntur ostendere. nam quod in Sallustii Iugurtha c. 47. legendum eruditi homines opinantur: *Q. Metellus et M. Silanus, consules designati, prouincias inter se parauerant:* non, vt antea, *partiuerant:* equidem iis libenter assentirer, nisi me quae sequuntur verba prorsus ab hac sententia remouerent. nam, si Sallustius dixisset, *prouincias inter se parauerant:* sortitionem exclusisset: *parare* enim, siue *comparare*, sortitioni opponitur. at subiungit: *Metelloque Numidia euenerat.* quo sortitionem esse factam, satis ostenditur. lego igitur, *partiverant*, cum duobus antiquissimis libris, vno Fuluii Vrsini, eruditissimi, et humanissimi viri, ante sexcentos annos descripto, altero Vaticanae Bibliothecae, eiusdem fere vetustatis. *Partiuerant* autem, sortitionem non excludit. vtroque enim modo fit prouinciarum partitio, siue sortiantur consules, siue comparent inter se: cum ex duabus alter alteram accipiat.

Prouinciam haberet] Non Ciliciam nominatim: quod si esset, quorsum de sortitione, aut comparatione loqueretur? sed prouinciam ideo habebat, quia senatus decreuerat, vt ex duabus consularibus prouinciis vnam Appius, alteram Domitius, vel sortientes, vel inter se comparantes, obtinerent.

Imperium] Sine armis: quibus vti non poterat, nisi qui curiata lege imperium accepisset. de triumpho igitur, cum haec Appius diceret, minime laborare videbatur. quod confirmant illa verba lib 4.

ad Attic. epist. 16. *Appius sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat.* Et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 2. *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.* Imperium tamen curiata quoque lege Appius accepit: quo vsus, re militari prospere gesta, supplicationes adeptus est, vt lib. 3. epist. vlt. videtur etiam triumphaturus fuisse, nisi a Dolabella reus factus esset, vt lib. 3. epist. 10. et lib. 8. epist. 6. Ad imperium quod attinet, vide lib. 1. epist. 1. *Censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sint.*

Quoad in vrbem introisset] Ergo Cornelia lege datum imperium administratione prouinciae non finitur, sed tamdiu manet, donec in vrbem proconsul introeat: quod de curiata quoque lege constat. vrbem vero ingredientibus imperium deponere necesse erat, nisi si triumphaturi essent. tunc enim lex ferebatur ab aliquo tribuno plebis, vt cum imperio triumphantes introirent.

Posse te non decedere] Nam quia sine curiata lege in prouinciam ire nemo solitus esset; cum omnes militari delectarentur imperio: propterea, quod fieri non soleret, id etiam non licere, quidam arbitrabantur.

Relinqui posse] Vt reliquit Cicero Coelium quaestorem, Bibulus Veientonem. lib. 2. epist. 15. lib. 7. ad Attic. epist. 3.

Ne id quidem valde dubium est] Ne de iure quidem dubitari valde potest, quin Appio, vel si tibi sine curiata lege succedat, prouinciam debeas concedere. Argumento sunt haec verba: falli eos, qui legem curiatam rectoribus prouinciarum omnino necessariam putarent: cum sine ea ius dicere, et prouinciae praeesse possent, imperio lege Cornelia dato, quoad in vrbem introissent. Cum haec scripsissem; disputationes ad me suas aduersus Nicolaum Gruchium misit Carolus Sigonius: in quibus de curiata lege, duplicique prouinciarum imperio, probari idem vtrique nostrum, animaduerti. sane sum laetatus, vt animo, et voluntate, itidem nos opinione, et iudicio congruere.

Liberalitatem] Consuetudinem in tribuendis officiis; cui paullo post *cupiditas* opponitur, ex quo magis probatur mihi, vt est in antiquo libro Maffeorum, quam vt in allis, *libertatem*. eodem sensu *liberalitas* vsurpatur lib. 5. epist. 9. et lib. 10. epist. 3.

Frui solere] Solere ex ea voluptatem capere.

Tuae cupiditatis] Multi enim diuturni imperii cupiditate flagrabant.

Illius cupiditatem] Ex eo manifestam, quod tibi etiam sine lege curiata cogitat succedere.

Refutare] Reiicere, prouincia denegata.

De publicanis] Contra quos decretum ex voluntate prouincialium Lentulus fecerat. saepe enim inter publicanos, qui prouincialium vectigalia conducebant, et socios, ex vectigalium solutione exoriebantur controuersiae; quas Cicero sedatas a se esse gloriatur lib. 2. epist. 13.

Felicitate quidem, vellem, consequi potuisses] Vellem, ita felix esse potuisses, nihil vt omnino contra eius ordinis, quem semper ornasti, aut rem, aut voluntatem ageres. Quidam veteres libri, *felicitatem*; alii,

alii, *facilitate autem quod vellem consequi potuisses.* Sed facilitas est voluntatis: quam si Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amicissimum, optimeque de se meritum.

Inimici] Qui etiam quaestorem eius, P. Rutilium Rufum, quod cum praetore suo contra eos consensisset, damnauerunt. Pedianus, epitome Liuiana lib. 70. Huius odii publicanorum in Q. Scaeuolam mentio fit in orat. pro Plancio c. 13. his verbis: *Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scaevolam, virum omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, aspere, et ferociter, et libere dicta commemorem?*

Ipsi illi Q. Scaeuolae] Auguri, P. F. Laelii Sapientis genero, Crassi oratoris socero. Fuit alter Q. Scaevola, Q. F. pontifex max. multis annis iunior.

Tibi sum auctor] Te hortor.

Videtur esse prudentiae tuae] Pertinere videtur ad prudentiam tuam, quae potest difficillima quaeque superare, vt eum ordinem tibi aut reconcilies, aut mitiges.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Vnam hanc subesse caussam video, cur hanc epistolam scripserit, vt certiorem faceret Valerium de gratiis Lentulo, Ciliciae proconsuli, a se per litteras eius nomine diligenter actis. nam cetera iocationes merae sunt, familiarem consuetudinem, et mutuam beneuolentiam indicantes. Actio igitur gratiarum, et ioca ipsa, quibus tota condita est epistola, ad morale genus pertinent, nam et iocosa dicta subiecit moribus Aristoteles Rhetoric. lib. 1. et Cicero in tradenda officiorum doctrina facetias quoque persecutus est.

EXPLANATIO.

Valerio] Hic est, de quo lib. 3. epist. 1. et lib. 7. epist. 12. *Valerii* nomen boni ominis apud Romanos habebatur: itaque Festus sic: *Ominis boni gratia, in delectu, censuue primi nominantur, Valerius, Saluius, Statorius.*

Cur enim tibi hoc non gratificer] Cum inscripsisset, *Valerio Iurisconsulto*, subiunxit iocans: nam, Iurisconsultum cur te non appellem, nescio, etiam si iurisconsultus valde non sis. Et sane Valerius hic non videtur ius ciuile, quantum opus esset, cognouisse: cum de eo sic ad Appium lib. 3. epist. 1. scripserit: *Valerium, iureconsultum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est iureconsultus.* Verum ita familiariter eum Cicero diligebat, vt ei, quod omnino falsum non erat, id per iocum obiiceret. Inscripsi, inquit, hanc epistolam, *Iurisconsulto*, gratiae potius caussa, quam veritatis, praesertim cum hodie non qui sapientes, sed, qui audaces sint, Iurisconsulti nominentur. Hic, vt

omnis, quantum quidem praestare nobis liceat, erroris tollatur occasio, quasi quoddam πάρεργον addatur, quod tamen alienum non putamus, quae nostra sit de epistolae integritate sententia. sunt enim, qui huius epistolae desiderari principium existiment: quod eis, credo, insolens, atque ineptum videatur, prima epistolae verba ab inscriptione pendere. cuius tamen generis exemplum hoc animaduertimus, lib. 3. ad Attic. epist. 20. M. CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO: *Quod quidem ita esse, et auunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo.* Constat enim, itidem hic epistolae principium inscriptionem spectare.

Audacia pro sapientia] *Audacia*, licet fortitudinem imitetur, in malam tamen partem accipitur. *Animus* enim, vt lib. 1. de Offic. c. 19. scripsit Cicero, *paratus ad periculum, si sua cupiditate, non vtilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis.* Sapientia vero diuiditur in duo genera, vnum naturae, idque simplex, alterum artis, quod in alia rursus ei subiecta genera diuiditur. Naturalem sapientiam voco, quam expertes doctrinae multi, nullis litterarum praeceptis imbuti, naturae tamen munere consequuntur: quales sunt, qui suas actiones directa quadam iudicii regula metiuntur, nihil temere, nihil indecore committunt, a prauis recta, a turpibus honesta distinguunt. hanc sapientiam tribuit Cicero lib. 7. epist. 1. M. Mario, si ludos Romae, cum per valetudinem posset, spectare noluit; Lentulo epist. 5. si omnem amplitudinem, ac dignitatem suam in virtute, atque in rebus gestis suis, atque in sua grauitate positam existimabit: aliis alibi, quod labi, et errare per imprudentiam non consueverint. Vlyssem quoque, quod, variis iactus casibus, multis, quae aliis exitio fuerant, periculis terra, marique defunctus, ad patrios lares reuersus incolumis, ab iniuria procorum vxorem, domumque suam, seque ipsum singulari consilio vindicauerit, hoc excelluisse sapientiae genere Homerus prodidit. Alterum sapientiae genus, quod ab arte proficiscitur, vel omnium artium, vel multarum, vel vnius tantum absoluta cognitio est. si omnium, ita definitur, humanarum, diuinarumque rerum caussarumque, quibus hae res continentur, scientia, quam vni Deo perfectam contigisse, nequaquam in homine posse reperiri, vere credimus. Deus autem non eam ab arte extrinsecus accepit, (nec enim vlla re vnquam indiguit) sed a se ipso, aeque aeternam, aeque infinitam, vt aeternus ipse, et infinitus est. Quod si non omnium, sed multarum rerum, quae vel ad vsum, vel ad ornamentum humanae vitae pertineant, notitia est; qualis in Thalete, Anaxagora, Pythagora, Democrito, Socrate, Aristotele, Platone, et aliis vel Graecis vel Aegyptiis fuisse traditur, philosophia dicitur: quia perfectam illam sapientiam, quantum homini licet, imitatur. eadem tamen et sapientiae nomen interdum sibi vindicat: quia, quo nihil putatur inter homines praestantius, id eo vocabulo, quo nullum inter humanas res nobilius reperitur, decorari aequum est. Inde

de Thales, inde Bias, inde Socrates, aliique, quos celebrauit antiquitas. Ad hunc numerum aggregare possumus, ex Romanis Catonem illum Censorium, qui cum et litteris esset instructus, quamquam non omnino cum superioribus illis conferendus; cumque multarum rerum vsum haberet; sapientis nomen inuenit. Nec video, cur ab hac laude M. Varronem, Ciceronemque nostrum, qui rerum laudabilium varia cognitione praestiterunt, patiamur excludi. Multis etiam vnius modo artis eximia quaedam, et singularis intelligentia, opinionem, ac famam sapientiae peperit. quod Athenaeus de musicis lib. 14. tradidit, Plato de poetis, cum Anacreontem sapientem appellat in Phaedro, et genitam a poetis sapientiam, ait in Lysida: de iurisconsultis Cicero in libro de Amicitia c. 21 L. Acilii exemplo, qui, quod esset prudens in iure ciuili, sapiens nominatus est: de ciuitatum rectoribus in superiore epistola ad Lentulum: *Tota*, inquit, *sapientium ciuium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia, et voluntas, mutata esse debet.* Transeo ad humiliores artes. Marmorariis, et statuariis non sapientiae laudem tribuit Aristoteles lib. 5. Ethicorum? non agricolis Plato in dialogo de de scientia? non fabris Homerus, in eo, σοφὸς ἥρωϊ τέκτων; Neque solum ex vna arte, praeclare cognita, multi, sed ex vna etiam, quae mentis optimae speciem prae se ferret, actione C. Laelius, ille Africani minoris amicitia clarus, sapiens et habitus est, et perpetuo vocatus, quod legis Liciniae de agri modo, ne seditionem inter ciues excitaret, patrocinium deposuerit. Cum igitur sapientiae nomen tam late pateat; merito, a quorum studiis maxima ad omnes manat vtilitas, iuris prudentibus communicatum videtur. est enim iuris ciuilis prudentia genus quoddam sapientiae, et quo ciuitates, quae sua iura, et quasi iustitiae normam ab antiquis legibus petunt, quae plurimae sunt, consilio sapientis administrari dicuntur. quam doctrinam Scala meus, humanitate, et virtute excellens, lumen, et ornamentum Patauini fori, quinque libris, qui ab omnibus iurisconsultis eximia cum eius laude leguntur, vniuersam comprehendit. Sed, quia saepe accidit, vt, qui ea, quam profitentur, iuris ciuilis cognitione indigeant, iidem audacia, vt id, quod ignorant, scire videantur, in primis abundent: propterea, inductam esse consuetudinem, vt in agendis causis audacia pro sapientia liceat vti, per iocum quidem, sed vere tamen Cicero dixit.

Lentulo] Ciliciam administranti. Erat igitur hic Valerius in Cilicia, et fuit etiam Appio proconsule, cui commendatur lib. 3. epist. 1.

Vbi aliquo numero sis] Vbi alii quoque iuris prudentiam tenent. istic enim solus videris iurisconsultus. Sed hic etiam Cicero iocatur: significat enim Valerium de industria se in Ciliciam contulisse, vt solus ibi sapere videretur, cum iurisconsultus ibi solus esset.

Partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas] Iocus est in his verbis et abstrusus, et elegans. vult enim innuere, ideo nihil eum quandoque respondere,

non quod superbus sit, sed quod eum nemo consulat, cum homines bonum iurisconsultum non putent: ideo autem male respondere, non quod contumeliosus, sed quod imperitus, et indoctus. Proprium vero iurisconsultorum fuit, hodieque est, de iure consulentibus respondere. Similis iocus est in Trebatium lib. 7. epist. 16. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.*

Vt possimus saluum venisse gaudere] Quod in Apulia tua nemo poterit: cum nec propinquum ibi, nec amicum habeas. Pergit in festiuitate, et Valerii notat ignobilitatem; cui qui gratularetur in patriam redeunti, nemo esset. Quod si Romam, inquit, venies: erit, qui, te saluum venisse, gaudeat: habes enim hic, qui te norint, et diligant: in Apuliam vero tuam si accesseris; quis erit, qui gaudeat? Hanc sententiam, illata figura παρὰ προσδοκίαν, confirmat sequentibus verbis: *tamquam Vlysses, cognosces tuorum neminem.* Quod etsi discrepat ab Vlyssis fabula; qui suos quidem ipse domesticos omnes, Ithacam reuersus, cognouit, sed ab iis cognitus non est: tamen Cicero, nactus iocandi locum, lepide sermonem conuertit ab Vlysse ad ipsius Valerii humilitatem, ac solitudinem. Quod ideo ostendendum putaui, ne quis Ciceronem in Vlyssis fabula memoriae vitio labi putet: cum in eo ipso iocus appareat, quod, cum inducta Vlyssis mentione, dicturus videretur, cognosceris a tuorum nemine, traduxit sententiam, vt dixi, ad id, quo Valerii notabatur ignobilitas. Veram sententiam, vt Homerum omittam, Varro in Sesquiulysse, apud Nonium, retulit his verbis:

Aduersi venti conciderunt: quod si pergunt diutius
Mare voluere; vereor, ne me quoque, cum domum iam ab Ilio
Cessim reuertero, praeter canem cognoscat nemo.

Possit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cum Vlysses dormiens, a Phaeacibus in litore Ithacensi expositus, mox experrectus, patriam non agnouit. vnde Homerus ἐν τῶν v. 187.

— ὃδ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεὺς,
Εὕδων ἐν γαίῃ πατρώῃ, οὐδέ μιν ἔγνω,
Ἤδη δὴν ἀπεὼν περὶ γὰρ θεὸς ἤέρα χεύεν
Παλλὰς Ἀθηναίη. —

Et infra v. 233. sic ipse Mineruam interrogat:

Τίς γῆ; τίς δῆμος; τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασιν;

Sed omnino prior interpretatio magis placet: vt in lepore pergat; et, quemadmodum primis epistolae verbis audaciam, mediis inscientiam, sic postremis ioco liberiore, id est, a superiori non dissimili, ignobilitatem irrideat familiarissimi sui: de quo lib. 3. epist. 1. *Est ex meis domesticis atque intimis familiaribus.* Tribuit autem hoc iuris familiaritas, vt iocari liberum putemus, alioqui iure Cicero inurbanus, et amarior, quam deceat, videri possit. Nec vero cum ipso tantum, sed cum aliis etiam iocari de illo solitus est: vt in eadem epistola: *L. Valerium, iureconsultum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est iureconsultus. Melius enim ei cauere volo, quam ipse aliis solet.*

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM II.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Distribuitur hoc argumentum in quattuor partes, morales omnes. in singulis enim tum officii, tum amoris quaedam elucet significatio: negotii prorsus abest mentio. quae sit autem cuiusque partis sententia, videamus. In prima, accusante Ciceronem Curione, quia raro admodum litteras mitteret, ita se purgat, vt culpam a se remotam, in eum transferat: officiumque suum, si non contemni a Curione senserit, in eo genere pollicetur. In secunda, abesse tam diu Curionem dolet, quod eius consuetudine careat; laetatur, quod absens maximam laudem consequatur. In tertia, cum in excitando et acuendo plurimum valeat, si laudes eum, quem cohortere; aditum sibi aperit ad cohortandum, laudatione praeposita. Et quoniam naturae bona summas res gerentibus adiumento maxime sunt, laudandi materiam capit ab animi ingeniique praestantia: quae cum omnibus cognita sit, exspectationem concitatam non tueri turpissimum est: excusantur enim, quibus desunt instrumenta naturae: at, quibus abunde adsunt, vitio datur, nisi voluntatem cum natura coniungant, et aliquid magna laude dignum aut gerant, aut conentur saltem. Nec mirum, laudari eum a natura, cum et in libro de clar. orat. c. 81. ita scriptum Cicero reliquerit: hic (*C. Curio*) a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum. *In quarta, cum et ipse Curioni, et ei Curio plurimum debeat, modeste petit, vt imitetur suam consuetudinem in praestanda meritorum memoria, seque iam iam senescentem complectatur, ac foueat officiis suis. Scripta videtur Caluino et Messalla coss.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Curioni] Cognomen fuit Scriboniae gentis, plebeiae, ortum a quodam Scribonio, Curione maximo, vt ex Liuio lib. 41. c. 21. cognoscitur. Hic autem Curio, et pater, et auus, locum inter oratores, nulla, aut exigua litterarum ope, domestica tantum bene et accurate loquendi consuetudine, sunt adepti. Cicero in Bruto c. 32. 49. 59. et Plinius lib. 7. c. 41. Erat in Asia quaestor, vt opinor: quod cum ex epist. 5. non obscure cognoscitur, tum ex eo, quia tribunatum plebis postea gessit. Romam reuersus populo munus exhibuit admirandum, vt mortui patris memoriam honoraret. Plinius lib. 36. c. 15. Tribunus plebis L. Paullo, C. Marcello coss. ab optimatibus ad Caesaris partes transiit, amplius MD. talentis a Caesare corruptus. Orto ciuili bello Siciliae praepositus, pulso M. Catone, mox in Africam profectus, contra Iubam Mauritaniae regem, et Pompeianarum partium ducem, P. Atium Varum, pugnans, interemptus est. Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 42. et alii. Eius filium, secutum Antonii partes contra Octauianum, post Octauiani victoriam ad Actium promontorium esse interfectum, Dio tradidit lib. 42. Huius autem, ad quem sunt Ciceronis epistolae, ingenium ac mores optime Velleius expressit lib. 2. c. 48. cuius verba libuit subscribere: *Bello ciuili, et tot, quae deinde per continuos xx. annos consecuta sunt, malis, non alius maiorem flagrantioremque, quam C. Curio, tribunus plebis, subiecit facem! vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico. Huius animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes vllae, neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, vt tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. id gratis, an accepto centies H-S. fecerit, vt accepimus, in medio relinquemus. ad vltimum saluberrimas adolescentis conditiones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat, et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit, vnice cauente Cicerone concordiae publicae.*

Quamquam] Hic, et alibi iungitur indicandi modo, interdum subiunctiuo, vt vocant Grammatici. pro Plancio c. 2. *Quamquam non me id magnopere conturbet.* Infra ibidem c 3. *Quamquam, qua nolui, ianua sim ingressus in causam.* Haec nonnullis fortasse leviora videbuntur: mihi nulla pars omnino Latinae linguae videtur contemnenda.

Nomine negligentiae] Negligentiae caussa, vt lib. 12. epist. 12. *Haec a te peto, non solum reipublicae, quae tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiae nostrae nomine.* et lib. 14. epist. 3. *Ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, vt quam celerrime, quid agatur, audiam.* Et de Amicitia c. 21. *Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine se remouerat Scipio.*

Suspectum esse] Non enim aperte negligentiam nominauerat Curio: sed,

sed, cum quereretur de infrequentia litterarum, caussam videlicet indicabat esse negligentiam.

Doleo] Qui negligentiae nomine suspectus est, eius nimirum amor in dubium vocatur. iure igitur Cicero dolet.

Accusari abs te officium meum] Nemo accusat officium: nemo enim negat, officium laude dignum esse. sed accusatur is, qui officio deest: quod hic Cicero significat. Aut, *officium accusari* dixit, hoc sensu: accusas hoc ipsum, quod raro admodum, vt tibi quidem videor, ad te scribam, quod officii quidem nomine non caret, sed ita exiguum, ac leue est, vt accusandum, tamquam amicitia nostra minime dignum, existimes.

Iucundum, requiri] In quo veretur, ne Curionis animum offenderit, in eo ipso beneuolentiam eius aucupatur. qui enim amari cupit, facile, vt ametur, consequitur. cupit autem Cicero, quia subiungit: ideo iucundum est, requiri abs te officium meum, quia prae te fers perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, et optatum amorem tuum. Antitheta posuit, *iucundum* et *molestum*. vt lib. 1. de Orat. c. 62. *Neque enim tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum ciuile peruellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.*

Culpa vacarem] Cum neminem praetermiserim, cui litteras ad te non dederim.

Perspectum] Tempore exsulii mei. nam haec ad eundem scripsit epist. 6. *Tua in me vel nota omnibus, vel ipsa nouitate meorum temporum clarissima et maxima beneficia exstiterunt.*

Dulcem et optatum] Tua, inquit, querela hoc attulit iucunditatis, quod recognoui amorem in me tuum: quo nihil dulcius, nihil optatius. Non dissimilem sententiam vsurpauit lib. 10. epist. 19. quam vt augeatur Latine scribentibus copia, subscribemus. *Sic vidi*, inquit, *quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem; sed numquam illustrius.*

Tam in scribendo impiger] Non dixit *diligens*, sed *impiger*; magis vt excuset se, quam vt laudet. *Impigritas* etiam lib. 3. de republ. dixit. Plerique veteres libri habent, *tam scribendo*. Vtro modo legatur, parui refert. Particulam tamen, *in*, delendam non putaui, cum eam viderem in antiquo libro, quem mihi nobilissimus iuuenis, eruditione, ingenio, humanitate excellens, Io. Vincentius Pinellus dono dedit: cum quo et Alberti Ferri, egregii adolescentis, et alter meus liber consentit.

Summum ERN. *Ad summum*] Omnino. vtroque modo dicitur, *summum*, et *ad summum*. hic anqui libri, quibus nunc vtor, omnes habent *ad summum*.

Condemnabo] Et iuste quidem: tu autem iniuste me accusas.

Te mihi aequum praebere] Non accusare me, cum omnino culpa vacem. Lib. 5. epist. 2. *A te peto, vt tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebeas.*

De litteris hactenus] Dixi iam, nihil esse in Latina lingua contemnendum; si modo ea proprie, rectèque vti cogitamus. quare subiungam, quae nonnullis fortasse leuia videantur: sed, quo turpius in minimis

nimis labimur, eo diligentior esse debet animaduersio. *Hactenus*, et *adhuc*, aeque continuationem significant; sed hoc differunt, quod, *hactenus* de re semper vsurpatur; *adhuc* de tempore. non enim recte dixeris, *hactenus ita sensi*; sed, *adhuc ita sensi*. contraque proprie non dicitur, *de litteris adhuc*; sed, *de litteris hactenus*. Etiam illud obseruauimus, non eandem vtroque continuationem significari. nam *hactenus*, absolutae rei continuationem semper indicat; *adhuc*, interdum etiam non absolutae: vt lib. 2. ad Attic. epist. 20. *Clodius adhuc mihi denunciat periculum*. Exemplorum refertus est Cicero.

Non enim vereor, ne non scribendo te expleam] Non dubito, inquit, quin scribendo te expleam. nam et, *non vereor*, exploratam, minimeque dubiam opinionem significat: et sequentes duae negationes, *ne non*, vim habent affirmandi. Sic epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat*. Et epist. 6. *Neque fuit veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem*. Et lib. 4. in Ver. c. 38. *Non vereor, ne hoc officium meum P. Seruilio iudici non probem*. Hoc autem verbo multis modis veteres vtebantur. dicebant enim, *vereor vt, vereor ne, vereor vt ne, non vereor vt, non vereor ne, non vereor ne non*. quae sigillatim examinemus. *Vereor vt*, et *vereor ne*, contrarium significant. prius illud timorem in ea re indicat, quae si accidat, doleamus. exempla subscribemus vtriusque modi. Lib. 12. epist. 19. *Non dubitabam, quin eas lubenter lecturus esses. verebar, vt redderentur*. Fore suspicabatur, vt non redderentur, sed reddi cupiebat. item lib. 14. epist. 14. *Sin homo amens diripiendam vrbem daturus est, vereor, vt Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*. Cupiebat suas mulieres tuto Romae esse per Dolabellam: sed incertus timebat, vtrum eas, nec ne, Dolabella seruare posset. et Tusc. 2. c. 20. *Veremur, vt hoc natura patiatur?* Huc pertinet locus ille pro Marcello c. 4. *Vereor, vt hoc, quod dicturus sum, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio:* quod enim ita, vt ipse sentit, intelligi vellet, id ne non perinde intelligatur, timet. Hoc in vulgatis libris aliter legitur, mendose, vt opinor, et vt iam, explicata sententia, videor probasse. tollit autem dubitationem omnem Pediani testimonium, ita plane legentis, vt nos recitauimus, in explanatione orationis, quae inscribitur Diuinatio: cui subscribit antiquus liber optimi Cardinalis, Caroli Borromei. Terentius quoque in Andr. Act. 1. sc. 5. v. 41.

— *Haud vereor, si in te solo sit situm:*
Sed vim vt queas ferre. —

Quo loco Donatus *hic*, inquit, *vereor, subauditur: vt, pro ne non, posuit: vt sit: sed vereor, ne non queas vim patris ferre*. Contra, *vereor ne desideres officium meum*, lib. 6. epist. 6. verebatur enim id, quod esse nollet. Et lib. 9. epist. 16. *Amaui amorem tuum, qui te ad scribendum incitauit, verentem, ne Silius suo nuncio aliquid mihi sollicitudinis attulisset*. et lib. 15. epist. 17. *Caesarem putabant*

putabant moleste laturum, verentem, ne hasta refrixisset. et pro Milone c. 1. *Vereor, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere.* Quibus in locis timetur id, quod si accidat, molestia consequatur. *Vereor vt ne*, valet *vereor ne:* nam *vt ne*, pro *ne*, saepe vsurpatur. Pergamus ad ea, quae restant. *Non vereor, vt:* affirmat. nam si, *vereor vt*, dubitationem habet: sequitur, vt, *non vereor vt*, dubitatione careat. exemplum addo, quo res fiat illustrior. *Non vereor, vt, quod cogitas, possis perficere:* nihil differt ab hoc: *non dubito, quin possis perficere, quod cogitas.* quale illud Ciceronis Phil. 5. c. 18. *Ne verendum quidem est, vt tenere se possit;* id est: ne dubitandum quidem est, quin se tenere possit: credendum est, eum tenere se posse. *Non vereor ne*, dubitationem tollit: vt si dicam: *non vereor, ne filius meus male viuat:* hoc dicam: non puto fore, vt male viuat filius meus. Et Cicero, cum scripsit ad eundem Curionem, epist. 7. *non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias:* hoc dixit: nihil timide, nihil stulte facies. Et ad Lucceium lib. 5. epist. 12. *Non vereor, ne assentariuncula quadam aucupari tuam gratiam videar:* id est, certe non videor tibi assentari. *Non vereor, ne non*, affirmat omnino, vt probatur hoc ipso loco, *non vereor, ne non scribendo te expleam*, pro, non dubito, quin scribendo te expleam. Verbum *explere*, plus est, quam, *satisfacere;* cum saepe satisfiat multis, licet non expleantur.

In eo genere] Notanda Ciceronis consuetudo in significanda re, proxime nominata. nam, cum dixerit, *scribendo*, intulit, *in eo genere.* sic epist. 4. cum dixisset, nihil posse grauiter scribi, nisi de republica, subiunxit, *atque in hoc genere haec mea caussa est, vt neque ea, quae non sentio, velim scribere.* Epist. 6. *Habemus*, inquit, *iuuentutis et gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam.* Epist. 17. *Quod scribis ad me de drachmis* CCCIↃↃↃ, *nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare.* et lib. 3. ad Attic. epist. 7. *Ego et saepius ad te, et plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset.*

Studium meum] Plus est, quam diligentiam. nam *studium* cum animo iungitur; *diligentia* interdum opera tantum est.

Abfuisse] Erat Curio in Asia. epist. 6.

Tamdiu] Multis mensibus: nam post annum e prouincia decedebant.

Iucundissimae] Proprie dicimus enim, *adolescens senibus iucundus:* non contra.

Consuetudinis ERN. *Consuetudinis tuae*] *Tuae*, abest a sex antiquis libris: in vno tamen est; in alio, pro *tuae*, *nostrae.* quod quisque approbat, id sequatur.

Es consecutus] Nihil in prouincia consequi Curio potuit a senatu, aut a populo Romano. nam si quaestor in Asia fuit; quod equidem arbitror, quia sequenti anno tribunatum plebis petiit: non intelligo, quid ei senatus, populusue Romanus absenti tribuere potuerit: nisi si, vel vt aliquid extra ordinem

Franckesche Stiftungen zu Halle

nem posset agere, quod profuturum prouinciae videretur; vel, vt acta confirmarentur, Curio petierat. Aut, *es consecutus*, in ipsa prouincia: cum te istic omnes diligant, atque laudent: quod confirmatur iis verbis epist. 5. *Gratulor, quod excelso, et illustri loco sita est laus tua, in plurimorum et sociorum et ciuium conspectu: quae ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed et clarissima, et vna omnium voce perfertur.*

Meis optatis fortuna respondit ERN. *respondet*] Ea, quae optabam, ad exitum fortuna perducit. Nec tamen ideo *fortunam* Cicero nominat, vt eripiat eam laudem Curioni, quae a virtute proficiscitur: (nam, quae fortuna largitur, optabilia potius, quam laudabilia sunt) sed quia in rebus humanis plurimum fortuna valet. recte igitur dixit, *in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondet:* quia nemini omnia possunt, aduersante fortuna, e sententia succedere.

Breue est] Ob ea, quae proxime dixit. breuitate autem promissa, amorisque sui mentione subiecta, id assequitur, vt ea, quae praecepit, Curio libenter legat.

Cogit] Amouet a se culpam temeritatis, quod ei praecipere audeat, cuius adiuncta virtuti fortuna sit. Necesse, inquit, non erat: sed amor coegit, nec mediocris amor, qui cogere non potest, sed incredibilis.

Tanta est exspectatio] Fere in omnibus epistolis exspectationem proponit; quia vehemens, ac turbulentum extimescit Curionis ingenium. vnde illud epist. 13. *Quid ais? Caesarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret praeter me? nam, ita viuam, putaui.* Hortatur igitur, ac laudat eum, a quo timet, id quod euenit, ne reipublicae causam deserat.

Vel animi, vel ingenii tui] Quem cohortamur, eum laudare debemus. in excitando enim, et in acuendo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere: quod ad Trebonium Cicero scripsit lib. 15. epist. vlt. Optime autem in laudatione coniunguntur *animus*, et *ingenium:* ne sine ingenio temere multa committantur, sine animo timide. Vtrumque etiam, cum de eodem Curione loqueretur, Cicero coniunxit in Phil. 2. c. 18. *Patri*, inquit, *persuasi, vt aes alienum filii dissolueret; redimeret adolescentem, summa spe et animi et ingenii praeditum.* Eiusdem ingenium laudat his verbis in libro de clar. orat. c. 81. *A magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum.* Velleius etiam lib. 2. c. 48. *audacem, et ingeniosissime nequam, maloque publico facundum* vocat.

Obsecrare obtestarique] *Obsecrare*, maiorem habet vim, quam, *rogare*, aut *orare*. itaque secundo loco ponitur; vt in oratione post red. ad Quir. c. 7. *Pro mea vos salute non rogauit solum, verum etiam obsecrauit.* Et lib. 2. in Ver. c. 17. *Cum multis lacrumis orare, atque obsecrare.* Est autem, *obsecrare*, quasi, ob sacra rogare: *obtestari*, vt ait Donatus ad Terent. Hec. Act. 3. Sc. 3. v. 27. precari, cum mentione earum rerum, per quas petimus. vt lib. 5. in Ver. c. 72. *Deos, deasque omnes imploro, atque*

atque obtestor. Et hic, *te obtestari*, est, *per te ipsum precari.* Cum, *obsecro*, iunctum, modo sequitur, vt hic; modo antecedit, vt lib. II. ad Attic. epist. I. *Idque vt facias, te obtestor atque obsecro.*

Non dubitem] Quia futurum spero.

Conformatus ERN. *Confirmatus*] Translatio a ponderibus: quae non facile sustinent imbecilli. *Confirmatus* autem, animo firmo, et ad sustinendam exspectationem bene parato. epistola sequenti.

Concitasti] Commouisti. sed vis maior est in verbo, *concitasti.* Latine autem vtrumque dicitur.

Tueri] Conseruare. proprie enim, *tueri*, est, defendere: et, qui defendit, conseruat.

Tuorum erga me] Parem gratiam reposcit in memoria meritorum. Quoniam, inquit, merita tua numquam obliuiscar; itidem debes, quae tibi olim puero praeceperim, quibus te rationibus ad laudem incitauerim, in omni vel fortunae, vel dignitatis accessione recordari.

Delebit] *Obliuio memoriam delet*, et *obliuione memoriam delemus*, Latine dicimus. ad animum transtulit Terentius in Eun. Act. 2. Sc. 3. v. 5.

— *Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.*

Puer olim] Quis credat, qua nos aetate *pueros* appellamus, ea in aetate Curioni praeceptâ Ciceronem dedisse? ego *puerum* hic vocari arbitror, post sumptam virilem togam, quae, praetexta deposita, sumebatur absoluto aetatis anno XVI. quo anno, a magistris discedentes, in forum vna cum parentibus prodibant: a parentibus autem ad claros viros, vel vt ius ciuile, aut eloquentiae vias cognoscerent, vel etiam, vt eorum sermonibus, et consuetudine prudentiores fierent, deducebantur. Testimonio sunt ipsius verba Ciceronis in libro de Amicitia c. I. *Ego*, inquit, *a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, sumta virili toga, vt, quoad possem, et liceret, a senis latere numquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter, et commode dicta, memoriae mandabam: fierique studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scaeuolam contuli: quem vnum nostrae ciuitatis et ingenio, et iustitia praestantissimum audeo dicere.* Ac, ne nouum, et inusitatum videatur, vt annum ingressi XVII. *pueri* nominentur, recitabo locum eiusdem ex lib. 12. epist. 25. ad Cornificium: *Puer egregius praesidium sibi primum et nobis; deinde summae reipublicae comparauit.* De Octauiano loquitur: qui, cum exercitum pro republica priuato consilio comparavit, annum vndeuicesimum agebat: vt in Taciti historia lib. 13. c. 6. notauimus. Non distinxit scilicet nomen *pueri*, et *adolescentis.* nam in alia ad eundem epistola (23.) *adolescentem* vocat: *Perscriberem Caesaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, vt in pecuniam adolescentis impetum faceret.* Et Phil. 4. c. I. *Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius.*

Aetas nostra iam ingrauescens] Scripsit hanc epistolam annos natus LIV. id ex eo constat, quod in epist. 6. Milonem in petitione consulatus commendat Curioni Romam

reuertenti. Milo autem consulatum petiit, quod Appianus, Dio, alii docent, Caluino et Messalla coss. annis LIV. post eos consules, quibus Cicero natus est, Serranum et Caepionem: quorum consulatum, et eum, quem Caluinus et Messalla gesserunt, hoc annorum numero comprehendimus. Anno autem petitionis potius, quam prensationis, epistolam esse scriptam, declarant ea verba initio epistolae: *Cum has quam primum ad te perferri litteras magnopere vellemus.* Ingraueſcit aetas, cum deficientibus iam corporis viribus, tardius moventur membra. hac vsus est translatione in libro etiam de Senectute c. 2. *Quibus facillime rationibus ingraueſcentem aetatem ferre possimus.* Et de Amicitia c. 10. *Mutari mores hominum saepe dicebat, alias aduersis rebus, alias aetate ingraueſcente. Graues aetate,* dixit Liuius lib. 2. c. 19. et lib. 10. c. 34. *Grauior natu,* Terentius in Heaut. Act. 4. Sc. 1. v. 32. *Grauior aeuo,* Virgilius lib. 2. Aen. v. 436. *Gravis annis,* Horatius lib. 1. Serm. Sat. 1. v. 4.

Adoleſcentia] Non modo sumpta virili toga, quam sumi solitam esse ineunte anno aetatis XVII. proxime ostendimus, sed etiam post annum XXX. *adoleſcentes* vocabantur; et, qui *adoleſcentes,* iidem *iuuenes.* nam, quem hic *adoleſcentem* Cicero significat, eundem nominat *iuuenem* lib. 2. ad Attic. epist. 12. cum ea tamen epistola septem annis ante hanc scripta sit. nam in ea Clodii, tribunatum petentis, qui petiit Caesare et Bibulo coss. mentio fit: hae vero ad Curionem omnes, praeter vltimam, gratulationis officio fungentem, Caluino et Messalla coss. scriptae sunt. quo certe anno videtur Curio maior annis XXX. fuisse, cum biennio post tribunus plebis fuerit, Sulpicio et Marcello coss. vt patet ex epist. 7. De eodem Curione, quadriennio post, dixit Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 38. *Multum ad hanc rem probandam adiuuat adoleſcentia, magnitudo animi.* In oratione etiam pro Murena c. 26. vocatur *adoleſcens* Ser. Sulpicius, cum minor annis XXX. certe non esset. habita enim a Cicerone consule oratio illa: Sulpicius autem post annos XI. consulatum gessit. Et lib. 2. de Orat. c. 7. cum dixisset de L. Crasso, non multa eum, quae quidem exstarent, et ea ipsa adoleſcentem, scripta reliquisse: postea in lib. de claris orat. c. 43. eius orationem, quam habuit pro Seruilia lege annos natus XXXIV. exstare significat. Quid, quod Sallustius in Coniuratione Catilinae c. 49. *adoleſcentulum* appellat C. Caesarem, quo anno pontificatum maximum est adeptus. qui cum pontifex creatus sit post aedilitatem, aedilitas autem a quaestura biennio distet, et quaesturam Caesar gesserit anno aetatis XXXIII. quod Suetonius c. 13. declarat; pontificatum consequi non potuit ante annum XXXVI. Quodque magis mirum, Phil. 2. c. 11. *adoleſcentes* Cicero vocat Brutum et Cassium, quo anno praeturam gerebant, id est, anno aetatis quadragesimo. eundemque Brutum eodem anno *adoleſcentem* appellat Cornelius Nepos in Attici vita c. 8. et 16. Liuius etiam lib. 9. c. 17. de Alexandro Magno, qui anno aetatis trigesimo tertio diem obiit, haec inquit: *Adoleſcens, in incremento rerum*

rerum, nondum alteram fortunam expertus, decessit.

Conquiescat] Vt me, curarum publicarum oneribus, quae iam ingraescens aetas ferre vix posset, amore, ac studio leues.

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

De Curionis patris interitu significat, ac se illi parentis loco futurum pollicetur. Verum, cui credibile videatur, ad Curionem in Asiam de patris eius obitu tantulam epistolam esse conscriptam? mihi quidem non sit verisimile. itaque libenter et hanc, et eam, quae sequitur, epistolam coniunxerim, argumento etiam postulante: nam, ea munera declarari a Rupa liberto, id est, ostendi, et promitti populo, Curio filius exoptabat, quae ipse postea, in vrbem reuersus, patri mortuo daret. in quo tamen veterum librorum consensu deterreor, qui a sententia mea plane omnes discrepant. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Graui teste] Curionem enim adolescentem in gratiam irati patris Cicero sua auctoritate reduxerat; qua de re scriptum est in Phil. 2. c. 18.

Clarissimo viro] Consulari et triumphali. post consulatum in Macedoniam profectus, Dardanis, et Moesiis deuictis, primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit. Hoc Rufus c. 7. Epitome vero Liuiana 95. *C Curio procos. Dardanos in Thracia domuit.* Ammianus Marcellinus lib. 29. c 5. et Frontinus lib. 4. Strateg. c 1. seueriſſimum fuisse ducem ostendunt. Ammianus his verbis: *Sagittariorum primoribus manus incidit; reſiduos supplicio capitali multauit: ad aemulationem Curionis, acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam, in modum Lernaeae serpentis aliquoties renascentem, hoc genere poenarum exstinxit.* Frontinus autem haec de Curione: *Bello Dardanico, circa Dyrrachium, cum ex quinque legionibus vna, seditione facta, militiam detrectasset, secuturamque se temeritatem ducis in expeditionem asperam, et insidiosam negasset; quattuor legiones eduxit armatas, et consistere ordinibus, delectis armis, velut in acie, iussit. Post haec, seditiosam legionem inermem procedere, discinctam in conspectu armati exercitus, stramenta coegit secare. Postero autem die, similiter fossam discinctos milites facere, nullisque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret, milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret.* Cicero nominat eum inter Pontifices in orat. de haruspicum responsis c. 6. in libro de clar. orat. c. 32. 49. 61. 81. non contemnendum ait oratorem fuisse, consuetudine tantum domestica bene, et emendate loquendi, nulla scientia litterarum, infirma etiam memoria. Lib. 3. de Offic. c 22. reprehendit eum, quod in genere deliberatiuo

solam spectaret vtilitatem, vt in caussa Transpadanorum, quam esse aequam fatebatur, semper autem addebat, *vincat vtilitas*. lib. 1. de Inuent. c. 43. recitat haec verba ex eius oratione pro Fuluio: *Nemo potest vno adspectu, neque praeteriens, in amorem incidere.* Valerius Max. lib. 9. c. 1. frugalitatem in eo laudat, nequitiam in filio reprehendit.

Te videret] Reuersum ex Asia.

A vita discederet] Sic locutus est Tusc. 1. c. 34. in libro autem de Sen. c. 23. *ex vita discedere:* pro Rabir. perduell. reo c. 11. *de vita decedere:* Phil. 9. c. 2. *e vita excedere:* in Bruto c. 20. *vita excedere*, et, *vita cedere*, in prooemio eiusdem libri.

Fortunent] Lib. 15. epist. 7. *Eum honorem tibi deos fortunare volo:* id est, ne quid aduersi contingat.

Carus et iucundus ERN. *periucundus*] *Carus filio pater*, recte dicimus; *iucundus*, non item. *iucundus, et carus patri filius*, vsitatum. delectat enim, et hilaritate quadam, ac iucunditate afficit maiorem aetatem minor: contra, minor ex maiore sic afficitur, vt reuerentiam quandam aduersus eum adhibeat, cum amore coniunctam, non vt iucunditate perfruatur. Epistola sequenti: *Cognosces, mihi te neque cariorem, neque iucundiorem esse quemquam.* Et lib. 3. epist. 10. *Cum, quam sis Cn. Pompeio carus, quamque iucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo?* Nonnullis, *iucundus*, non *periucundus*, placet, fortasse quod ad consuetudinem Latini sermonis aptius videatur, *aeque carus, et iucundus*, quam *aeque carus et periucundus*. vt enim, *ita periucundus*, eodem modo, *aeque periucundus*, respuere videtur Latina lingua. me tamen haec ratio non ita mouet, vt contra veterum omnium librorum, quos quidem videre mihi licuerit, consensum, mutationem esse faciendam existimem.

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Excusat libertum Rupam, quia munera populo non promiserit: quod ei Curio mandauerat. totum consilium de dandis muneribus improbat, et quia nihil expediant male affectae reipublicae, et quia diuitias potius, quam virtutem, ostendant. Summam, ait, exspectationem de eius virtute, ingenioque concitatam: quam si sustinuerit, id fore praestantius omnibus muneribus. Concludit significatione beneuolentiae suae. Tota moralis est epistola: dissuadet enim a muneribus dandis. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Rupae] Liberti retinebant ea nomina, quae serui habuerant, assumpto praeterea patroni praenomine, et nomine: vnde M. Tullius Tiro, M. Tullius Laurea, Ciceronis liberti; T. Caecilius Eutychides, Attici libertus, lib. 4. ad Attic. epist. 15.

Decla-

Declarandorum] Ostendendorum, promittendorum: vt lib. 9. epist. 8. *Munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

Munerum] Munera populo dabant, gratiam eius aucupantes, cum vel gladiatorum certamina praeberent, vel nummos diuiderent, vel epulum darent, aut aliquid eiusmodi. Curio in funebri patris munere, praeter cetera, ludos dedit, et in iis pantheras: vt scripsit Coelius lib. 8. epist. 6. et 7. dedit etiam admirandam illam, quae amphitheatri formam faceret, ligneam machinam, de qua Plinius lib. 36. c. 15. sed plerumque gladiatores dabantur, munusque gladiatorium dicebatur. Epist. 6. *magnificentiam munerum*, dixit de ludis scenicis, et munere gladiatorio Milonis. in orat. pro Sextio c. 58. *munus Scipionis* de gladiatoribus dixit: et addidit, eo spectaculi genere multitudinem maxime delectari. Ἀγῶνα μονομαχίας, quod est singulare certamen, Graeci vocant. interpres Dionis imperite vertit *ludos gladiatorios*: cum omnino a ludis gladiatores differre constet.

Non esset integrum] Vt, si consilium nostrum probares, mutare sententiam posses. Verebatur Cicero, ne muneribus dandis, aeris alieni plurimum Curio contraheret, eoque coactus, omissa reipublicae caussa, cum improbis ciuibus, maximeque cum Caesare, societatem, bonis exitiosam, coiret. quod ita contigit, vt supra ostendimus.

Istam rationem] Qua tu adductus, danda haec populo munera existimas.

Meam] Qua mihi non probantur huiusmodi munera. Et sane lib. 2 de Offic. c. 16. pecuniarum effusiones ad multitudinem deleniendam, nec iis, quorum caussa fiunt, nec iis, a quibus fiunt, honorificas, multis verbis ostendit. *Duo sunt*, inquit, *genera largorum: quorum alteri, prodigi; alteri, liberales. Prodigi, qui epulis, et visceratiouibus, et gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam omnino sint relicturi. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur vel in re quaerenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto, in eo libro, quem de diuitiis scripsit: in quo multa praeclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia, et apparatione popularium munerum: taliumque sumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius exempla pauca posui, multo et maior videtur, et certior.* et quae sequuntur.

Displicere] Putat Cicero futurum, vt aliquando Curionem poeniteat eorum sumptuum, quos in his muneribus fecerit. nec aliter cecidit. nam, cum, praestituta die, creditoribus suis Curio satisfacere non posset, interkalationem, id est prorogationem temporis, a Pontificibus petiit: quam cum non obtinuisset, addixit se, suamque sententiam Caesari, deserto reipublicae patrocinio. lib. 8. epist. 9.

In eum ſtatum temporum] Cum respublica defenſoribus egeret, paucis iam omnia tenentibus. ſcripta enim eſt epiſtola Caluino et Meſſalla coſſ. cum adhuc Caeſaris potentiam Pompeius adiuuaret, nec optimatum vires ad reſiſtendum ſufficerent.

Natura, ſtudio, fortuna] Pro rebus extraneis *fortunam*, id eſt, pro genere ſpeciem vſurpauit: (ſi modo inter Curionis bona nobilitatem generis comprehendit: quod omnino veriſimile videtur) quemadmodum et Cornelius Nepos in Attici vita c. 3. fortunae munus ait fuiſſe, quod in ea potiſſimum vrbe natus eſſet, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii. vere fortunae bona ſunt, quae tum ab ea dari, tum etiam eripi facile poſſunt, vt diuitiae, quae ſaepe bello, incendio, alioue caſu amittuntur: nobilitas autem generis, et patriae ſplendor, cum ſemel data ſunt, perpetuo retinentur: itaque malim ea in extraneis rebus numerare, quam, vt Cicero, et Nepos, fortunae tribuere.

Facultatem] Cum dantur ampliſſima.

Copiarum] Nemo enim copias admiratur, quas facillime ſordidi homines, atque improbi conſequuntur, quibusque Africanos, et Laelios multi venalicii, mercatoresque ſuperarunt: quod egregie Cicero ſcripſit in Oratore c. 70. Fortaſſe hanc ſententiam Cicero ſumpſit ab Iſocrate, cuius in primis lectione delectatus eſt. ait enim in oratione, qua Euagoram laudauit, mortuorum memoriam non ſumptibus, verum oratione laudantium, immortalem fieri. *Αἱ μὲν δαπάναι τῶν μὲν τοιούτων οὐδὲν ἐξεργάζονται, τῇ δὲ πλάτῃ σημεῖόν εἰσιν.*

Satietate] Cum ſaepe huiusmodi munera populo darentur.

Summa virtute, ſummoque ingenio] Virtutem tribuit adoleſcenti Curioni, cuius animum, et ingenium laudauit in proxima epiſtola. Vel ea dicit a Curione exſpectari, quae ab iis, qui virtute, ingenioque excellunt, exſpectanda ſunt.

Paratus] Voluntate, ac ſtudio. in proxima epiſtola, *ſic ad nos confirmatus reuertare.*

Quod ita eſſe confido] Cum aliquem admonemus, hoc ſubiungere artificii eſt: ne dubitare videamur, et in admonitione noſtra totum conſtituere.

Muneribus] Tacite ſignificat, non debere Curionem in iis muneribus, quae populo dare cogitabat, ſpem ſuae dignitatis collocare, ſed in rempublicam ſua ſtudia conferre, quo ſibi ciuitatis vniuerſae beneuolentiam comparabit.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Epiſtolarum genera tria ponit; vnum, negotiale; alterum, iocoſum; tertium, ſeuerum: quorum nullo ſibi nunc vti licere demonſtrat, vt oſtendat ſe, cum nullum ſcribendi ſuppetat argumentum, facere coactum, quod fecit etiam in ſuperioribus litteris, vt eum hortetur ad amplectendam rempublicam, in magnis difficultatibus conſtitutam: cuius

ius officii cauſſam confert in benevolentiam ſuam. Nihil habet epiſtola, quod morale non ſit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Inuenta res] Vt cum abſentibus tamquam praeſentibus colloqueremur. Pertinet huc verſus ille trochaicus catalecticus, a Turpilio comico de litterarum viciſſitudine prolatus. quem recitat beatus Hieronymus in epiſt. 42.

Sola res eſt, quae homines abſentes praeſentes facit.

Certiores faceremus] Monendus hic eſt lector, Latinum non eſſe, id eſt, ſcriptoribus optimis vſitatum, *certiorem reddere:* quod quibusdam placuit.

Tuarum enim rerum domeſticarum] Satis erat, *tuarum rerum:* nec ſatis conſtat, vtrum a Cicerone, an ab aliis poſtea ſcriptum ſit, *domeſticarum.* Sed hoc leue eſt.

Magnopere delectant] Quae tamen mihi temporum ratio eripit.

Temporibus his] Ad exitium reipublicae ſpectantibus. nec fefellit coniectura Ciceronem.

A Cicerone ad Curionem] Inter quos mutuus amor, et ſumma familiaritas eſt, nulla maioris momenti negotia. Emphaſis eſt in nominibus, vt lib. 15. epiſt. 4. *Cui negari a Catone fas eſſe non puto.*

In hoc genere] In hoc de republica argumento. eleganter Cicero vſurpat, *in hoc genere*, pro, *in hoc*, vt epiſt. 1. *Si in eo genere ſtudium meum non aſpernabere.* Et epiſt. 6. *Propter ipſius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam.*

Haec mea cauſſa eſt] Hic ſtatus meus eſt.

Quae non ſentio] Ita lego, cum antiquis libris omnibus, etiam illo Mediceo, omnium vetuſtiſſimo, non, vt eſt in recentioribus, *quae nunc ſentio.* Nolo, inquit, de republica ſcribere ea, quae non probo.

Velim ſcribere] Non audet, quae de republica ſentit, litteris mandare, ne Caeſarem, et Pompeium, principes eius, ſibi amicos, offendat, ſi in alienas manus litterae inciderint. epiſt. ſequenti: *Haec negotia quo modo ſe habeant, ne epiſtola quidem narrare audeo.*

Ea clauſula] Quod epiſtolam claudit, ac terminat, *clauſula* vocatur. Et omnino rerum omnium finis, *clauſula* eſt. itaque lib. 6. ad Attic. epiſt. 3. *Clauſula eſt difficilis in tradenda prouincia.*

Ad ſtudium ſummae laudis] Ad tuendam rempublicam, ex quo manat ſumma laus.

Grauis aduerſaria] Sic enim nobis, vt cum acerrimo inimico, cum exſpectatione pugnandum eſt: iis autem, qui nulla in exſpectatione ſunt, licet eſſe otioſis.

Incredibilis quaedam exſpectatio] Mediocris enim exſpectatio mediocrem induſtriam, virtutemque poſtulat, ſed incredibilem ſine ſumma virtute nemo vincet. ſic epiſt. 1. *Tanta eſt exſpectatio vel animi, vel ingenii tui.* In tertia vero: *Summa ſcito in exſpectatione te eſſe.* Epiſt. 5. *Mirabilis eſt exſpectatio reditus tui.* Quibus locis omnibus ad excitandum, commo-

vendumque Curionem, quasi quaedam faces adhibentur.

Vinces] Apte, et proprie, quia dixerat, *grauis aduersaria.*

Quarum laudum gloriam adamaris] Implicata quibusdam videtur haec sententia: quae patebit, hoc ordine demonstrata. Si statueris, in iis artibus esse elaborandum, quibus eae laudes comparantur, quarum gloriam adamaueris; facillime vinces grauem aduersariam exspectationem.

Quibus artibus] Quae sunt hae artes? quae, nisi morales virtutes, iustitia, fortitudo, temperantia? quibus et nobis ipsis, et patriae consulimus.

In hanc sententiam scriberem plura] Sic locutus lib. 1. de Orat. c. 25. *Neque haec in eam sententiam disputo, vt homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream.*

Tua sponte satis incitatum] Vel ita sentit Cicero, vel apte simulat, ne sit grauis admonitio adolescenti, cuius animi magnitudinem, quae interdum cohortationes respuit, optime nouerat. ideo quasi se excusans epist. 1. quod eum admonendum putauerit, breuiter se velle praecipere, et id ipsum, incredibili amore coactum, prudenter posuit. Et epist. 3. cum dixit: *Quod ita esse confido.* Eodemque spectat illud epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat. Incitatum* autem dixit, in optimarum actionum cursu, vt ad propositam egregiis ciuibus laudem perueniat. Contra, *languet iuuentus*, dixit in oratione in Pisonem c. 33. quae nihil de laude laboraret, ad nullam recte agendi excitaretur industriam.

Inflammandi] Translatum est verbum, sed ita vsu tritum, vt transierit in naturam proprii: itaque solum vsurpatur, vt lib. 1. epist. 7. *vt omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare.*

Testificandi] Testimonio declarandi, vt exempla demonstrant. eandem sententiam aliter expressit lib. 10. epist. 3. *Haec, amore magis impulsus, scribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis et praeceptis egere.*

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Rempublicam domesticis malis laborare significat: Curioni gratulatur, quod absit; vel quia ciuiles miserias non videat; vel quod ibi sit, vbi magnam ex recte factis laudem consequatur. Postremo hortatur eum ad suscipiendam rempublicam, eius maxime patrocinio indigentem. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Haec negotia quomodo se habeant] Quo in statu respublica sit, qui sit rerum vrbanarum, et reipublicae status.

Ne epistola quidem] Tantum abest, vt per nuncios audeam significare, qui saepe produnt eorum fidei commissa.

Tibi]

Tibi] Hoc alii cum sequentibus coniungunt: ego superioribus applicare malui. Vnus Sigonii liber habet: *narrare tibi audeo*, quod mihi non displicet.

Vt scripsi ad te antea] Quae litterae non exstant.

In eadem es naui] Omnibus, eodem nauigio vectis, idem periculum impendet. ergo, *in eadem naui*, in eodem periculo. Idque frequens Latini sermonis vsus obtinuit. Liuius lib. 44. c. 22. *Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et vsu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut nauigio participes sunt periculi.* Tale illud ad Cornificium lib. 12. epist. 25. *Vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, vt rectam teneamus. vtinam prospero cursu! Sed, quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit.*

Vel quod excelso et illustri loco] Ipse suorum verborum interpres est, cum subiungit: *In plurimorum et sociorum et ciuium conspectu.*

Et sociorum et ciuium] Imperium Romanum in ciues, et socios diuiditur. sociorum plura genera, Latini, Italici, prouinciales. quorum Latini iure, et conditione Italis reliquis praestabant, Itali vero prouincialibus. Porro socii non omnes foederati. aut enim sponsione, aut pactione, aut foedere socii fiebant. Foederati autem vel suis, vel Romanis legibus viuebant. foedere enim triplici exterae gentes amicitiam cum populo Romano iungebant, aequissimo, aequo, iniquo: aequissimo, qui numquam hostes populi Romani amicitiam eius, neque datis, neque acceptis legibus, petierant: aequo, qui, bello gesto, nondum victi, legibus non acceptis, pacem fecerant: iniquo, quibus bello victis leges, impositio tributo, dabantur. quae cum ex Liuio, tum ex aliis cognoscuntur. Ciues quoque distinguuntur, vel familiis, cum alii patricii, alii plebeii sint; vel ordine, cum alii senatores, alii equites, alii de plebe; vel iure, cum alii ingenui, alii libertini.

Nec obscuro, nec vario] Intulit antitheta, *et clarissima, et vna.*

Respondeat] Satisfaciat; ea sit, quam homines futuram putant. epist. 1. *Meis optatis fortuna respondet.*

Debilitata iam prope et exstincta] Ad Lucceium lib. 5. epist. 13. eandem sententiam sic enunciauit: *Circumspice omnia membra reipublicae, quae notissima sunt tibi. nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumue sit.*

Siue desperas] Vt omnino boni ciuis officio satisfacias, republica etiam desperata.

Meditare, cogita] Nemo est verborum copia, et ornamentis Latinae linguae, Cicerone florentior. *Meditamur* quieti, *cogitamus* maiore quodam mentis motu.

Ciue ac viro] Indiget enim respublica non optimis tantum ciuibus, sed fortibus etiam viris. ideo vtrumque Cicero saepe coniunxit, vt lib. 4. ad Attic. epist. 15. *O virum! o ciuem! Memmium.* Et in orat. pro Plancio c. 40. *Quid dicam? C. Virgilio, tali ciui ac viro, beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pie-*

tatem, humanitatem, fidem defuisse?

Miseris temporibus, ac perditis moribus] Tempora, et mores simul nominat, vt publicam calamitatem simul cum caussa significet. cur enim misera tempora? quia mores perditi. Sic lib. 3. epist. 12. *Non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium!* Et lib. 2. de Diuin. c. 2. *Quod munus reipublicae afferre maius, meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus atque temporibus: quibus ita prolapsa est*, etc. Et in Catilinam 1. c. 1. *O tempora! o mores!*

Dignitatem ac libertatem] Quae amisimus. lib. 1. epist. 8. *Quae proposita fuerant nobis, cum et honoribus amplissimis et laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in republica capessenda; ea sublata tota.*

Vindicaturus] Restituturus. Inepte quidam litigant, *vindico*, an *vendico*, dicamus: ego semper, *vindico*, ex antiquis monumentis, et analogia dicendum puto: *vindex* enim, non *vendex*; *vindiciae*, non, *vendiciae* reperitur.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Artificiosa commendatio, a summo erga Milonem studio deprompta. Partes multae sunt, omnes ad impetrandum accommodatae. Rei magnitudinem ostendit: in Curionem officia modeste commemorat: Curionis in se amplificat, et in referenda gratia parem voluntatem pollicetur. Atque haec quasi prooemii loco sunt. Narratio autem, quaecumque ad impetrandum valent, omnia comprehendit: summa petentis cupiditas ostenditur in eo: ego omnia mea studia: *cupiditas autem honestae rei, quia subiungitur:* non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem. *Et, quoniam aliena minus, quam nostra, nobis curae sunt, occurrit huic suspicioni, cum inquit:* neque vero cuiquam salutem, ac fortunas suas. *Petimus interdum, quae fieri vix possunt: at Cicero, cum dixerit iam, peto id, quod maxime cupio, quod cupere debeo, quod mihi tanti est, vt in eo omnia mea posita esse decreuerim, subiungit, posse te intelligo id, quod tantopere cupio. Auget etiam commendationem, cum de consensu, studioque bonorum adiungimus. ideo dixit illa:* habemus haec omnia: bonorum studium, *et quae sequuntur. Postremo loco neque nos immemores, neque eum, cui petimus, aut ingratum fore promittimus, adiuncta eius laude, vt non solum velle amicorum caussa, sed etiam posse videatur: quod vtrumque attigit Cicero. nam de se ipso cum dixisset:* si me memorem, si gratum, *deinde posuit:* de ipso T. Annio. *Quod si res non amico tantum, sed nobis etiam dignitatem, aut commodum afferat; plus omnino habet ponderis commendatio. dixit igitur:* mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris. *Conclusio optima, id nobis fore gratissimum, et id eum, a quo petimus, praestare posse. Quae*

qui

qui omnia diligenter attendet, profecto artem sibi aliquam ad commendandum componet: quando haec, si non omnia, pleraque certe, mutatione leuissima, ad varios vsus transferri facile possunt. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Nondum erat auditum] Primis epistolae verbis et rei magnitudo, et studium petentis declaratur.

Aduentare] *Aduentat* is, qui quotidianis itineribus accedit, et appropinquat.

Vilium] Romanae gentis plebeiae nomen. lib. 8. epist. 8.

Ex Asia] In qua fuerat cum potestate: quod epistola proxima demonstrauit.

Magis a te ipso praedicari] Modestia beneuolentiam aucupatur; cum et sua in Curionem officia minuit, et Curionis auget.

Contenderem] *Contendere*, est, studiose petere: quasi neruos animi, ingeniique contendamus.

Pudenti] Modesto, quem ab omni turpitudine remouet pudor.

Nota omnibus] Quia multa, et maxima.

Ipsa nouitate meorum temporum] In exsulii calamitate. magni enim refert, quo quidque tempore agatur: cum possit eandem actionem ratio temporis vel obscurare, vel illustrare.

Estque animi ingenui] Liberalitas quaedam, et quasi nobilitas animi ostenditur in eo, cum obligari nos, atque obstringi maioribus meritis non recusamus. recusat autem, qui referri a se gratiam posse non confidit.

Maximeque necessarium] Multa enim maxima sunt, nec tamen necessaria, aut, si necessaria, non tamen maxime necessaria. Huic loco respondet illud, *in quo omnia mea posita esse decreui.* Et illud, *huic meae laudi, vel (vt verius dicam) prope saluti tuum studium dices.*

Neque enim sum veritus] Ne videatur negationibus implicata sententia, scribendum est, *non sum veritus, ne non possem*, idem esse, quod, *non sum veritus, vt possem:* quod valet, speraui futurum, vt possem; speraui me posse. nam, *ne non*, cum gemina negatio sit, affirmat, et accipitur pro, *vt.* quod si dixisset Cicero, *veritus sum, vt possem*, hoc significaret; *timui ne non possem; non plane credidi futurum, vt possem.* cum vero dixerit, *non sum veritus, ne non possem;* quo modo item locutus est epist. 1. et, *ne non*, pro *vt* accipiatur: nimirum hoc significat; *non timui, ne non possem: credidi futurum, vt possem.* nam, cum timemus, ne, contra quam volumus, accidat; tunc locum habet, *vereor vt:* itaque lib. 14. epist. 14. *vereor*, inquit, *vt Dolabella ipse satis vobis prodesse possit:* cum hoc dicat, cuperem, vt Dolabella prodesse vobis posset: id tamen nequaquam spero. Cum vero, quod nolumus accidere, id ne accidat, timemus; tunc dicimus, *vereor ne*, vt, *vereor ne pecces:* quod est, peccare te nollem; fore tamen suspicor, vt pecces. vide epist. 1.

Capere] Non ita angusto animo sum, vt vel amplissimam gratiam capere non possim. capitur autem animo gratia, cum nullam eius partem effluere ac perire patimur,

sed

sed totam complectimur, vt aliquando, quantum accepimus, tantundem referamus.

Remunerando, cumulandoque] Hoc intulit, quia non, quicumque animus gratiam capit, idem remunerat. meus autem, inquit, animus is est, qui non modo capere quamvis gratiam, sed remunerare etiam, atque adeo maiore gratia cumulare possit.

Illustrare] Obscura saepe beneficia sunt, quia nulla consequitur remuneratio. patent, et illustrantur ea, quae grato animo compensantur, praesertim si, quod acceptum est, pleniore etiam mensura reddatur. quod, *cumulare gratiam*, Cicero dixit.

In Milonis consulatu] Quem petiit omissa praetura. aedilis enim fuit L. Domitio Ap. Claudio coss. quod ex lib. 3. ad Q. Fr. epist. 9. intelligitur. consulatum autem petiit anno sequenti, id est, Caluino et Messalla coss. quod Pedianus in argumento orationis pro eo demonstrat. nemo autem, patefacta iam satis rerum Romanarum notitia, nescit aedilitati praeturam succedere, et quidem biennio interposito: quod ad Furnium Cicero scripsit lib 10. epist. 25. Hoc anno Clodium Milo, cum Lanuuium iret, in itinere obuium, commissa ab vtriusque seruis rixa, interfecit: quo facto non modo consulatum, quem cum Hypsaeo, et Scipione, Pompeii socero, petebat, sed patriam quoque, iudicio damnatus, amisit.

Fixi] Non posui, sed fixi: quod studii haud paullo plus indicat. eodem modo Philip. 7. c. 2. *Nisi talis consul esset, vt omnes vigilias, curas, cogitationes in reipublicae salute defigeret.* Et Philip. 14. c. 5. *Qui omnes suas curas in reipublicae salute defigunt.*

Et locaui] Plus est, quam, *posui*. non enim diceret *fixi, et posui*, sed *posui, et fixi*. vt in orat. pro Flacco c. 1. *Spem reliquorum in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc vno iudicio positam esse et defixam putetis.* Recte igitur, *fixi, et locaui*: vt priore verbo vim quandam suae voluntatis, posteriore consilium ostenderet.

Non officii solum fructum] Non id solum quaerere me decet, vt officio satisfaciam, et, quod debeo, praestem: non hoc, inquit, vno delector, in quo officii fructus est: sed pietatis laudem expeto: quia tanta est Milonis erga me meritorum magnitudo, vt non tamquam in amicum, sed tamquam in parentem pius esse debeam. Pietatem quoque nominat in extrema epistola: sic in epistola ad Caesarem lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, vt tuo beneficio bonus vir, grauis, pius denique esse, in maximi beneficii memoria, possim.* Et lib. 1. epist. 1. *Ego omni officio, ac potius pietate erga te.* Quo loco, *pietas* vbi proprium domicilium habeat, et ad quos pertineat, satis superque demonstratum est.

Salutem ac fortunas suas] *Fortunae* pro re familiari vsurpantur: vt lib. 4. epist. 7. *Impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo.* coniunguntur cum salute: quia nec omnino salus in fortunis posita est; et cum salute fortunae desiderantur, quod vtrumque tamen nemini tantae umquam curae fuisse Cicero existimat, quantae sibi sit Milonis honor.

honor. In quo est animaduertendum, magnum esse pondus in hac sententia, non solum, quia, quod ad ipsum non pertinet, (agitur enim de Milonis consulatu) pluris facit, quam quisquam fecerit salutem, ac fortunas suas; sed etiam, quod honor saluti, ac fortunis anteponatur; cum tamen plerique, etsi de honore multum, plus tamen aliquanto de salute, fortunisque suis laborare soleant. comparat igitur primum, atque etiam praefert aliena propriis, deinde honorem saluti, atque fortunis.

Omnia mea] Honores, fortunas, salutem.

Te vnum] Ideo tam diligenter a te peto.

Tribunatu] Quem gessit Lentulo Spinthere, et Metello Nepote coss.

Propter nostram caussam] Quia caussam meam suscepit, meque ab exsulio reuocandum praeter ceteros curauit.

Vt spero te intelligere] Bonis enim gratissimum fuisse reditum meum non ignoras.

Munerum] Quae populo dederat in aedilitate curuli, de quibus sic lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. *Ludos apparat magnificentissimos: sic, inquam, vt nemo sumptuosiores: stulte bis, terque, non postulatus: vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se, non aedilem, putare.* Et in orat. pro ipso c. 35. *Plebem et infimam multitudinem, quae, P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita nostra, suam se fecisse commemorat; vt non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret.* Et Pedianus in argumento eius orationis, hoc modo: *Cum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, quod obsistebat Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum, ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse Cicero significat.*

In suffragiis studia] Ausus sum delere, *studia*, vt glossema, cum proxime dixerit, *studium;* a quo reguntur haec inferiora, *vulgi, ac multitudinis, iuuentutis, et gratiosorum in suffragiis.*

In eo genere] In suffragiis. saepe ita loquitur Cicero, cum nominatam proxime rem intelligit. vt epist. 1. et 4.

Gratiam] Qui enim gratia valet, reliquos etiam, qui gratiosi sunt, sui studiosos habet: cum intelligant officiis officia compensari posse.

Diligentiam] Excellit diligentia, cum prensandum est, et concilianda populi voluntas.

Si minus potentem] Satis erat Cicero gratiosus in suffragiis; sed, modestiae caussa, dissimulat.

Probatam] Quod erga virum optimum.

Iustam] Quia Miloni consulatus quasi recte factorum praemium debetur.

Debitam] Eius in me meritis.

Dux] Quem sequantur ii, quos proxime nominauit.

Auctor] Quo auctore Miloni consulatum deferant.

Opus est] Coniungitur et cum nominandi, et cum auferendi etiam casu, nec desunt exempla.

Eorum

Eorum ventorum] Ventis comparat bonos, plebem, gratiosos in suffragiis, quos iam nominauit. nam, etsi Miloni fauent, duce tamen, et rectore ita indigent, cum secundi sint, reguntur tamen arte quadam, ab eo, qui nauem gubernat.

Qui si ex omnibus vnus optandus esset] A quo petimus, is quantum possit in eo, quod petimus, ostendere debemus. id iam Cicero praestitit iis verbis: *huic te vnum tanto adiumento esse.* Nec eo contentus iterat. quod valet etiam ad conciliandam beneuolentiam: est enim cum laude Curionis. Idem fecit Asinius in prooemio orationis, quam nominat Quinctilianus lib. 9. c. vlt. *Si, Caesar, ex omnibus mortalibus, qui sunt ac fuerint, posset huic caussae disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.*

Quamobrem, si me memorem] Hactenus exposuit, quid cupiat, et quam valde cupiat, et quid sperandum sit, et quid Curio possit: nunc ad petitionem ingreditur: et primum de se ipso, quo magis Curio moueatur, tum de ipso Milone omnia pollicetur: cum euenire posset, vt Curioni pariter vtriusque gratia, et auctoritas vtilis esse posset.

Si gratum] Memores animo, grati re ipsa sumus: nec satis est, acceptum beneficium memoria conseruare, nisi et studium remunerandi, et ipsa accedat remuneratio.

Si bonum virum] Libenter in memores, et gratos homines beneficia conferuntur; libentius, si iidem boni viri sint.

Vel ex hoc ipso] Magnum enim bonitatis argumentum, cupiditas gratiae referendae. lib. 8. ad Attic. epist. 4. *Nihil cognoui ingratius: in quo vitio nihil mali non inest.*

Si dignum denique] Ne colligam singula, quibus hoc a te beneficium impetrare debeo; ita mihi hoc tribue, si dignum, cui tribuas, existimas.

Meae laudi] Laudabor enim, vt pius, erga eum, cuius praecipue studio salutem recuperaui. Paullo ante, *statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere.*

Prope saluti] Quia, licet vere non agatur mea salus in Milonis honore, ego tamen ita laboro, vt in eo propemodum salutem meam positam esse decreuerim.

Dices] Vt ea, quae diis immortalibus consecrantur; quae deinde non licet amouere constantiam igitur, et perpetuitatem simul cum studio erga Milonem a Curione petit. epistola ad Caesarem, apud Nonium: *Balbum quanti faciam, quamque ei me totum dicauerim, ex ipso scies.*

T. Annio] Ex Papia gente Milo fuit, vt ait Pedianus: sed ab T. Annio, auo suo materno, adoptatus, praenomen, et nomen inde sumpsit.

Maioris animi] Animi magnitudine Milonem excelluisse, dixit etiam in orat. pro Sextio, et in aliis. Pedianus autem, *saepe*, inquit, *Milo, et Clodius inter se cum suis factionibus depugnauerant: et erat vterque audacia par: sed Milo pro melioribus partibus stabat.*

Grauitatis] Quoniam vbi quid defendendum suscepit, non facile sententiam mutat.

Cnn-

Constantiae] *Constantia* non est idem, quod *grauitas:* illa enim ad animi sententiam, haec ad actionem refertur: vt sit *grauis*, qui semper idem sentit, ac vult; *constans*, qui semper idem facit.

Beneuolentiae] Ne plura numeret, vno beneuolentiae nomine omnia complectitur: quasi dicat: ita te Milo diliget, vt ab eo exspectare omnia possis.

Complecti hominem] Tua in eum studia conferre. sic epist. 8. *Da te homini. complectetur, mihi crede.*

Mihi vero] Dixit antea, neminem vmquam de sua salute, suisque fortunis tam valde laborasse, quam ipsum de Milonis honore: nunc etiam suam agi rem significat: at, quam rem? eam, quae praestantibus viris non minimae curae solet esse, decus, et dignitatem. quae potest enim esse maior laus, quam praestare bene meritis pietatem, ac beneuolentiam?

In laude mea] Quam ex pietatis opinione consequar.

In salute] Cum tibi quoque, restitutus ab exsulio, acceptam referam salutem meam.

Ego, ni te videre scirem] Est hic tamquam epilogus epistolae, quo superiora paene omnia breui oratione colliguntur.

Quantum officii sustinerem] Quantum Miloni deberem. Sustinet enim officii plurimum, in quem beneficia magna collata sunt.

Contentione] Extra vitae periculum, cum ciuiliter contenditur.

Dimicatione] Vitae periculo, cum armis res agitur.

Omnem rem, atque caussam] Latius patet *res*, quam *caussa:* quod ostendimus lib. 1. epist. 1. *Omnem rem*, dixit, id est, vniuersam Milonis petitionem: *caussam*, hoc ipsum, in quo Milo contendit omnes nervos, vt consulatum adipiscatur. epist. 7. *De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamque difficili in re atque caussa.*

Meque totum] Me ipsum in Milonis caussa tibi commendo: nam in eius consulatu mea omnia posita esse decreui.

Atque trado] Auget commendationem. nam, *tradere*, est alicuius potestati committere, vt agat in re tradita quidquid velit. lib. 7. epist. 5. *Totum denique hominem tibi trado.* Et lib. 16. epist. 5. *Ei te totum trade.* Et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Domum ad eum statim venimus: eique nos totos tradidimus.*

Praecipue] Praecipue Ciceronem adiuuerunt P. Lentulus consul, Pompeius Magnus priuatus, Milo, et P. Sextius tribuni plebis, quos omnes nominat in duabus post reditum orationibus, et alibi.

Pietas] Non solum officium, sed pietas etiam. quo nomine, quantum Miloni debeat, ostendit, vt lib. 1. epist. 1. *Ego omni officio, ac potius pietate erga te.*

Assequi] Assequar studio tuo, vt pius in Milonem sim.

EPISTO-

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Cum esset Cicero proconsul in Cilicia, ex M. Coelii, aliorumque litteris, tribunum plebis designatum esse Curionem, cognouit, eique hac epistola, tribunatum plebis iam ingresso, gratulatus est. post gratulationem sequitur cohortatio, tum reipublicae, tum etiam amicitiae debita: timebat enim Cicero, quod euenit, ne Curio, mutata sententia, ab optimatibus deficeret. proponit igitur ei temporum vim, rerum varietatem, incertos exitus, flexibiles hominum voluntates: suadet, ne cuius consilium sequatur, se ipsum audiat, sibi obtemperet. Postremo rogat, ne quid sibi temporis prorogari in prouinciae administratione patiatur. Scr. Sulpicio M. Marcello coss.

EXPLANATIO.

Vt sempiternae laudi] Quibus gratulamur, iisdem proximo loco bene precari solemus: vt lib. 15. epist. 7. *eumque honorem tibi deos fortunare volo.* item epist. 11. eiusd. lib. *tibi velim hi sint exitus, quos mereris, et quos fore confido.*

Ne te auferant aliorum consilia] Quod accidit.

Labere] Errabis. lib. 1. de Fin. c. 6. *Epicurus, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur.* Interdum coniungitur. nam, *labi per errorem*, dixit lib. 3. ad Q. Fr. epist. 9. *labi imprudentia*, in orat. pro Rabirio Post. c. 1.

Animum] Nihil igitur timide facies.

Consilium] Non laberis imprudentia. Sequentibus verbis explicantur superiora: *non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias.*

Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias] Dicit: nihil te timide, nihil stulte facturum confido. Sic locutus lib. 5. epist. 12. et lib. 11. epist. 1. et Matius lib. 11. epist. 28.

In id reipublicae tempus] Talo tempus, quale cernis.

Iudicio tuo] Poterat enim Curio tribunatum differre ad alia tempora, cum vrbanae res meliore loco, ac tranquilliore statu viderentur.

Profecto] Iudicasti enim tibi hoc tempore gerendum esse tribunatum, vt opem ferres afflictae reipublicae, ex quo sequitur, vt optime intelligas, ac videas, quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum etc.

Quanta vis in republica temporum] Commemorat vitia ciuitatis, sed ex persona Curionis; ne videatur ignarum, et rudem admonere: quo si omnes offenduntur, multo magis, qui magistratum gerit. ideo dixit, *profecto vides.* Sunt autem propositiones duae. vna, cum iudicio, non casu, in ipsum rerum discrimen conferis tribunatum tuum; profecto vides, quibus vitiis respublica laboret: altera, cum videas, quam corrupta respublica sit, profecto cogitas, quid agendum tibi sit. haec tota com-

commemoratio videtur esse cum aliqua laude Curionis. laudatur enim et voluntas erga rempublicam et prudentia; voluntas in eo, quod sua sponte, suoque iudicio, non casu aut temeritate contulerit tribunatum suum in aduersa reipublicae tempora; prudentia, quia videat, quanta vis in republica temporum sit, quam incerti rerum exitus, et quae sequuntur. captat igitur beneuolentiam Curionis hac laude: et sibi satisfacit, quod in laude latet admonitio. Vis autem temporum saepe tantum valet, vt hominum voluntates, et consilia superet, leges, et institutа peruertat, et omnino prudentem ciuem adducat, vt, tamquam peritus gubernator, obsequatur tempestati, ita mutato cursu, vt eodem tamen semper spectet. nec enim in administratione reipublicae perpetua quaedam actio, ad summam legitimi iuris normam directa, sapientibus probatur: sed assentiendum saepe temporibus; quidque publica postulet vtilitas, animaduertendum. quod Curioni Cicero proponit.

Quanta varietas rerum] Quo magis excitanda tibi est prudentia tua. nam eaedem, aut similes res minore negotio, quam varie geruntur.

Incerti exitus] Nihil igitur noui cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium; ne quid in republica noui moliretur, spe alicuius boni propositа: quod et facere solebant tribuni plebis, et fecit ipse Curio: cuius turbulentus in primis, ac seditiosus tribunatus fuit.

Flexibiles hominum voluntates] Quae si flectuntur, tua flecti non debet, sed eadem esse erga rempublicam in isto magistratu, qualis adhuc fuit.

Quid insidiarum] *Multae insidiae sunt bonis*, dictum a vetere poeta, cuius testimonium recitatur in orationibus pro Sextio c. 48. pro Plancio c. 24. has tu vitabis, si consilium capies a te ipso. Paullo ante: *numquam labere, si te audies.* Infra: *tecum loquere: te adhibe in consilium: te audi: tibi obtempera.*

Quid vanitatis] Quid inconstantiae. nam lib. 2. de Nat. Deor. c. 21. *vanitati* opponitur *constantia*, hoc exemplo: *Nulla in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest: contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia.* Ductum ex communi rerum natura. vt enim, vbi soliditas, ibi grauitas; et vbi grauitas ibi constantia: sic, vbi vanitas, ibidem et leuitas, et inconstantia. Quid igitur vanitatis in vita, cum optime noueris; cognitum tibi vitium facile vitabis; nec te deprauati aliorum mores a tua consuetudine deducent.

Nihil noui] Rerum nouitates in republica periculosae. itaque Platoni placuit, mutatis etiam musicorum cantibus, mutari simul ciuitatum status. Nouitates autem, quibus respublica ab optimo statu ad pessimum traducta libertatem amisit, omnes fere tribunorum plebis legibus, aut intercessionibus, exortae.

Te audi: tibi obtempera] Sequuntur haec ad ea, quae proxime antecedunt. Loquere, inquit, tecum, et te audi: te adhibe in consilium, et tibi obtempera. quadripartita sententia est: sed duae po-

steriores partes prioribus annectuntur. Hortamur autem, quos valere consilio arbitramur, vt se ipsos audiant, secum loquantur: quos vero contra opinionem falli, et aliorum egere consilio credimus, iis, vt amicos audiant, cum iis loquantur, suadere consueuimus. propterea orat. 10. in Antonium c. 3. hortatur Cicero Calenum, Antonio potius, quam M. Bruto faventem, his verbis: *Collige te: audi viros bonos: loquere cum sapientissimo homine, genero tuo, saepius, quam ipse tecum.*

Tibi vero ipsi] Ne videatur assentando falsa dicere, quod neminem, praeter se ipsum, a Curione velit in consilium adhiberi; subiungit haec: ideo te hortor, nemini vt aures praebeas, te vnum audias; non quod omnino omnium consilia negligam, teque cunctis vnum, praesertim adolescentem, anteponam; sed quia, vt alteri melius, quam tu, possit aliquis consilium dare; qui tamen non facile inueniri potest; tibi certe ipsi nemo melius dabit. Ita et assentandi suspicionem Cicero vitat; et, quod ei propositum est, vt Curio se ipsum dumtaxat in consilium adhibeat, id hac ratione probat, quia consiliarius in republica gerenda ipse sibi optimus, ac sapientissimus futurus sit: quandoquidem neque quisquam ab vllo magis, quam a se ipso, diligitur; nec alteri magis, quam ipse sibi, notus est.

Dii immortales] Inuocatione deorum, verbis fides additur. quasi hoc dicatur: testes mihi sint dii immortales, quam adesse cupiam spectator laudum tuarum. lib. 2. de Fin. c. 28. *Quos ille, dii immortales! cum omnes artus arderi viderentur, cruciatus perferebat?* Et Terentius in Eun. Act. 2. sc. 2. v. 1.

Di immortales! homini homo quid praestat!

Spectator laudum] Optimus post hortationem laudandi locus: ne monuisse videatur, quia Curionis prudentiae, aut constantiae diffidat.

Vel particeps, vel socius, vel minister] *Particeps*, quod vtereris consiliis meis: *socius*, quod, si consiliis meis non egeres, me tamen in tuis socium haberes: *minister*, quod opera studioque meo exsequerer consilia tua.

Hoc] Quod posterius posui, vt adsim vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum tuorum.

Minime tibi deest] Cum in te ipso, quae ad tuas laudes pertinet, omnia sint: vel, quod amici, quorum opera, aut etiam, si velis, consilio vti possis, tibi non desint.

Sed tamen] Grata correctio, ex amoris commemoratione sumpta.

Magnitudo, et vis] Auget posteriore verbo: vel quia vis ex magnitudine proficiscitur; vel quia non in omni magnitudine vis inest. vis autem amoris efficit interdum, vt maiora praestemus, quam exspectantur.

Vt possem] Quod fortasse non possem, si te tam valde non amarem. me ipsum, inquit, vincerem, amore adiuuante.

Rem gessimus] In Amano monte, vt epist. 10. Capto etiam Pindenisso, vt lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Totius aestatis] Pindenissum tamen non aestate, sed Saturnalibus, id est, XIV. Kal. Ian. in suam potestatem redegit: quod Attico scripsit lib.

lib. 5. epist. 20. verum res aestate gestas appellat, quod *aestiua* vocarentur, quaecumque aestate coepta essent, licet ante hiemem non perfecta. sic lib. 3. epist. 9. aestiua confecta, non nisi Pindenisso capto, significat: cum tamen deditio Pindenissi Decembri mense facta sit.

Ad senatum] Eae litterae non exstant. nam quae leguntur lib. 15. res gestas non exponunt. ad senatum autem scripsisse videtur Ianuarii mensis initio, ad nouos consules: quod ex lib. 5. ad Attic. epist. 20. licet intelligere. quod cum ita sit; potuit hanc epistolam scribere mense Decembri. nam, cum Pindenissum XIV. Kal. Ian. captum ostenderim; et hic rem feliciter esse gestam, scribatur; necesse est, Curionem iam tribunatum plebis iniisse: nam tribunis plebis primus magistratus dies fuit, non Kalendae Ian. vt aliis magistratibus, sed quarto idus Dec. vt Liuius, Dionysiusque docuerunt.

De sacerdotio tuo] De pontificatu, quem petiit, et obtinuit, patre mortuo, vt in eius locum surrogaretur. de patre mentio fit in orat. de haruspic. respons. c. 6. de filio apud Dionem lib. 40.

Quantam curam adhibuerim] Litteris ad amicos Romam scriptis. ex quo suspicor, Curionem petiisse pontificatum multis mensibus post reditum in vrbem. rediit enim Calvino et Messalla coss. vt epist. 6. demonstratum est. sequenti anno consulatum tertium Pompeius gessit: post eum Ser. Sulpicius et M. Marcellus: quo anno in prouinciam Cicero profectus est: et ex prouincia Romam scripsit de sacerdotio Curionis. suspicor autem, nondum Curionem fuisse pontificem, cum has litteras Cicero misit. quod haec omnino verba significant.

Re atque caussa] Dixi iam, quid inter rem et caussam interst. *res* est totum negotium; *caussa* negotii pars, de qua maxime laboratur. *Res* hic est, surrogatio pontificis; *caussa*, vt Curio ipse surrogetur.

Thrasoni] Seruile nomen, quod in liberto remansit.

Liberto tuo] Ergo vocabatur *C. Scribonius Thraso*. nam liberti patronorum praenomine, et nomine vtebantur.

Ne patiare] Poterat enim tribunus plebis intercedere, si quis annuam prouinciarum administrationem prorogare vellet.

Molestiam] Quam significat in omnibus fere epistolis. lib. 11. 12. et lib. 3. epist. 8.

Non putarem] Et sane comitiis tribuniciis non videtur Curio petiisse: sed, designatis omnibus tribunis plebis, cum Seruius, tribunus designatus, condemnatus esset, eius locum Curio, subita voluntate commotus, petiit, et obtinuit. de quo Coelius lib. 8. epist. 4. hoc modo: *Illud te non arbitror miratum, Seruium, designatum tribunum plebis, condemnatum: cuius locum C. Curio petiit.* huius autem voluntatis initium, et caussa est, quod eum non mediocriter Caesar, qui solet infimorum hominum amicitias sibi, qualibet impensa, adiungere, contempsit.

A Curione tribuno] Pondus est in nomine Curionis: quasi potestatem tribuniciam augeret animi, ingeniique praestantia. tale illud epist. 18. *Et quaestor est, et quaestor*

tuus. Et lib. 5. ad Attic. epist. 2. *Cum Hortensius veniret, et infirmus, et tam longe, et Hortensius.* Et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Rempublicam funditus amisimus: adeo, vt Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato, vix viuus effugeret.*

Senatus consultum et leges] Quibus erat annua prouincia. Et ad M. Marcellum consulem, his verbis, lib. 15. epist. 9. *Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti.* Legem curiatam significat, quam ferebat consul, vt is, qui profecturus erat in prouinciam, annuum imperium haberet a populo. alioqui rem militarem attingere non licebat: quod satis demonstrat orat. 2. in Rullum c. 10. seqq. Sed hic *leges*, non *legem*, Cicero appellat: quod non vna lege curiata consularium prouinciarum administratio esset annua, sed, vt opinor, etiam Cornelia, et Sempronia: quae nominatur lib. 1. epist. 7. et 9. et lib. 3. epist. 6. et 10. et in orat. pro domo c. 9.

Defendas] Intercedas, si quis prouinciarum tempus prorogare voluerit. Lib. 5. ad Attic. epist. 21. *Ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo.* Et lib. 6. ad Attic. epist. 2. *Magna in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. Habebam acta vrbana vsque ad nonas Martias; e quibus intelligebam, Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quam de prouinciis.*

Conditio] Ne plus anno prouinciae praeessem.

Etiam atque etiam] Vsurpatur et solum, vt saepe apud Ciceronem, et adiunctum, vt hic. vbique auget.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Acceptis Coelii litteris, quae lib. 8. primae leguntur, et cum litteris commentario rerum vrbanarum, in quem omnia, sine delectu, operarius nescio qui, a Coelio conductus, retulerat, ineptam Cicero sedulitatem reprehendit in colligendis leuissimis rebus. Tum de sermonibus cum Pompeio habitis, quod Coelius quaesierat, cum Pompeii laude respondet; atque, vt ei se det, hortatur. Addit de suo in prouinciam itinere. Clausula commendatio est rerum suarum; in quibus hoc praecipue laborat, ne sibi annuum prouinciae tempus prorogetur, sed ea conditio maneat, qua profectus est.

EXPLANATIO.

Compositiones] Quis cum aliquo pugnasset. inde *par gladiatorum* dicebatur, cum duo comparabantur, et componebantur ad certamen. recitat Lucilii versus Cicero in libro de optimo genere oratorum c. 6. quos subscribam. *A me*, inquit, (*vt cum maximis minima conferam*) *gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines, sam-*

tamquam Aeserninus, vt ait Lucilius,

non spurcus homo, sed doctus, et acer,
Cum Pacidiano hic componitur, optimus longe
Post homines natos.

Et Virgilius ecl. 1. v. 24.

— Sic paruis componere magna solebam.

Et Quinctilianus lib. 2. c. 17. *Saepe gladiatores sub eodem magistro eruditi inter se componuntur.*

Vadimonia dilata] *Differre vadimonium*, est prorogare diem, de quo inter litigantes conuenerat, vt in iudicio adessent. nam *vadari*, est diem iudicio ex compacto constituere.

Chresti compilationem] Res a Chresto compilatas, furto sublatas. Chrestus, cognomen est; cuius gentis, ignoratur: nisi si Maniliae: nam Manilii Chresti librum de hymnis deorum nominat Fulgentius in libro de prisco sermone.

Πολιτικώτερον] Peritiorem administrandae reipublicae.

Rumor] Incerta fama, sine capite, sine auctore, rumore nuncio: vbi quid eiusmodi est, vt non extet auctor, qui audierit. Sic enim ipse definiuit in orat. pro Plancio c. 23. et lib. 12. epist. 10.

Longe in posterum prospiciente] Quod sine summo ingenio, ac diuturno rerum vsu consequitur nemo.

Ex tuis litteris, cum formam reipublicae viderim] Translatio ab architectis, qui futurum aedificium ex forma ostendunt. Formam, et statum, inquit, reipublicae scribi a te velim: deinde, quid ex ea forma, eoque statu futurum prospicias, indicari. Duo enim Cicero postulat, formam primum reipublicae; deinde Coelii coniecturam, ex ipsa forma captam, de futuro reipublicae statu. non enim ipse vult ex forma reipublicae a Coelio missa coniecturam de futuro aedificio facere: cum dixerit, *abs te, vt ab homine longe in posterum prospiciente, futura exspecto.* alioqui, missa tantum forma, nihil de futuris rebus Coelius significaret: contra quam Cicero postulat. *Forma* pluribus modis accipitur. Aut enim est aedificii, vt hic, et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *De forma Minuciana:* aut cuiusque hominis et cuiusque rei; quae sine interitu subiectae rei amoueri non potest: aut est ipsa formositas et pulchritudo, vnde *formosa mulier*, et per similitudinem *formosus annus* apud Virgilium ecl. 3. v. 57. aut aquae ductus, vt in antiquis inscriptionibus: *purgato fonte restituta forma:* et *aquas Curtiam et Caeruleam noua forma reducendas.* Et Sidonius Appollinaris lib. 1. epist. 5. Codex Theodosianus tit. de aquae ductu: Cassiodorus Variarum lib. 3. 72. lib. 4. 85. lib. 8. 128.

In primisque ego] Qui cum Pompeio de republica locutus, futura magis quam tu, aut certe non minus quam tu, prouidere potui. Quiuis nostrum, inquit, in primisque ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis, nisi de republica, sermonibus versatus sum, aeque ac tu, futura prouidere potui.

Complures dies] Triduum. nam lib 5. ad Attic. epist. 7. *cum triduum*, inquit, *cum Pompeio, et apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium a. d.* XIV. *Kal. Iunias.*

Versatus sum] Tarenti; vt lib. 5. ad eundem epist. 6. Quod si quaerat aliquis: quid agebat eo

tempore Pompeius Tarenti? crediderim, eo se contulisse valetudinis caussa post grauem illum morbum, quo eum prope vrbem Neapolim laborasse, Plutarchus, et Cicero Tusc. 1. c. 35. demonstrat. aegrotauit enim post tertium consulatum; eoque tempore Cicero in prouinciam iuit.

Quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt] Scripserat enim Coelius lib. 8. epist. 1. *Si Pompeium offendisti: qui tibi visus sit, et quam orationem habuerit tecum, quamque ostenderit voluntatem, fac mihi perscribas. Quae*, dixit, cum ea significaret, quae in illis de republica sermonibus egerat cum Pompeio.

Animo, et consilio paratum] Cum neque timeat quidquam, nec ad cavendum egeat consilio. Eodem modo illum laudat lib. 5. ad Attic. epist. 7. *Ciuem illum egregium relinquebam, et ad haec, quae timentur, propulsanda paratissimum.*

Da te homini] Accommoda te ad illius voluntatem. sic enim Donatus illud Terentii in Adelph. Act. 5. Sc. 3. v. 52. explanat, *Da te hodie mihi.* Nepos in Attici vita c. 9. *Qui aduersariis eius se dabant.*

Iam] Non vt antea. nam proximo superiore anno Pompeius tertium consul operam dederat, vt decem tribuni plebis legem ferrent, qua liceret absenti Caesari, et prouinciam exercitumque retinenti, consulatum petere. lib. 6. epist. 6. et lib. 7. ad Attic. epist. 1. lib. 8. epist. 3.

Nobis] Mihi et tibi. nam ante profectionem Ciceronis in prouinciam recte Coelius de republica sensit: postea, vel Curionis amore, vel Ap. Claudii odio, ab optimatibus ad Caesarem desciuit: quod ipse lib. 8. epist. 17. confessus est, idque confirmant in libro de clar. orat. c. 79. haec verba Ciceronis: *Hic cum summa voluntate honorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a se, ceciditque, postea quam eos imitari coepit, quos ipse peruerterat.*

Ipsos] Neque plures, neque pauciores, plane decem. Lib. 3. ad Attic. epist. 21. *Triginta dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam.* Et in Bruto c. 15. *Hunc Cethegum consecutus est aetate Cato — mortuus est annis* LXXXIII. *ipsis ante me consulem.*

Gallus Caninius] Quem reum defenderat, Pompeii rogatu, iterum consulis. lib. 7. epist. 1. vide quae Valerius lib. 4. c. 2. de hoc, vt arbitror, Caninio scripsit. Alii, contra veteres omnes libros, etiam illum Medicaeum, quem plurimi faciunt, legunt, *C. Caninius*, et lib. 7. epist. 1. offensi fortasse Caninii cognomine ante nomen gentis posito: cum tamen huius generis exempla non desint. dixit enim Cicero lib. 8. ad Attic. epist 12. et lib. 13. epist. 49. et lib. 8. epist. 15. *Gallo Fabio, Balbi Cornelii:* et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 4. *Macer Licinius.* Et in Laelio c. 11. *Papum Aemilium.* Et Liuius lib. 45. c. 4. *Paullus Aemilius consul.* cum tamen *Gallus, Papus, Paullus*, cognomina fuerint, non praenomina. vt omittam, quod lib. 6. epist. 8. veteres libri habent, *T. Furfano Postumio*, non *T. Furfanio Postumo.* nec desunt huius generis alia.

Prorogetur] Quod metuebat, emergente iam inter Caesarem, et Pom-

Pompeium discordia. orta enim de successione Galliarum controuersia, reliquarum prouinciarum impedita successio est. lib. 8. epist. 5.

In eo mihi sunt omnia] Sic loquebantur iis de rebus, quas maxime sua interesse arbitrabantur.

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Gratulatur de parta aedilitate, Hirro deiecto: in quem facete iocatur. suam in Coelium beneuolentiam, eius in se merita demonstrat. Moralis epistola. Eodem anno.

EXPLANATIO.

AEDILI CVRVLI DESIGNATO] Designatum summa bonorum voluntate, ait Cicero in Bruto c. 79. cum ad eam diem optime animatus erga rempublicam fuisset.

Primum] Primum gratulatur, deinde gratias agit. sed hic, *primum*, posuit; nec intulit, *deinde*: sententiam tamen absoluit in eo; *et cum gratulor, tum vero quibus verbis tibi gratias agam, non reperio.* Eodem modo lib. 7. epist. 23. cum dixisset, *primum, ipsas ego Musas numquam tanti putassem: deinde*, praetermisit; nec tamen imperfectam sententiam reliquit. de quo suo loco. Et lib. 8. ad Attic. epist. 11. et lib. 12. ad eundem epist. 18. et in Lucullo c. 17. *Primum interest.* Et apud Terentium in Andr. Act. 1. Sc. 3. v. 6.

— *Primum iam de amore hoc comperit.*

Quam consuetudinem, Graece dictam ἀναντιπόδοτον, qui ignorant, *plurimum*, pro *primum*, hic reponunt: contra veteres libros, eos quidem, quorum ego ope in hoc explanandi et corrigendi munere nunc vtor. nec ab his discrepat Mediceus: cuius auctoritatem in re bona ab iis esse neglectam, qui eiusdem libri mendas etiam interdum, cuiusdam constantiae caussa, sibi describendas putauerunt, valde miror.

Cum praesenti, tum etiam sperata tua dignitate] Tum aedilitate, tum etiam reliquis honoribus, qui aedilitatem consequuntur. praetura enim biennio post aedilitatem dabatur, consulatus biennio post praeturam. Vbi sunt, qui pro honore dignitatem negant vsurpari? non et hic Cicero de aedilitate gratulatur, et aedilitas honor est? neutrum negabitur. At alibi, recta existimatio, honoribus parta praeclare gestis, dignitas est. quis negat? quasi hoc ipso non excellat Latina lingua, quod et variis eandem rem verbis, et eodem saepe verbo varia significet. quod si dignitas, vt falso quidam sentiunt, ea semper esset, quae vel magistratus, vel res cum laude administratas consequitur: cur hic Cicero de dignitate potius, quam de honore ipso, vnde manat dignitas, gratularetur? cui probabitur, Ciceronem, cognita Coelii aedilitate, non honorem ipsum, sed eam, quam honor parit, dignitatem gratulari? cum praesertim nondum Coelius

magistratum iniuisset, sed adhuc designatus esset; vt gratulatio, quod ad honorem attinet, satis opportuna, dignitati autem, cum nihil dum in magistratu Coelius gessisset, immatura videretur. Tritum, inquiunt, vsu non est, vt in honoris locum dignitas succedat. Concedo: nec tamen, quo eam in loco Cicero constituit, ego eam inde audebo extrudere: nec mihi, si quid rarum est, propterea rectum non esse, quisquam persuaserit. alioqui nimis imminuetur vsus Latinae linguae, in qua multa non modo rara, sed etiam singularia cognouimus. quin etiam librum Carisius appellat de singularibus apud Ciceronem. quamquam si hoc ideo non placet, quod singulare videatur: scrupulum eximamus, allato eiusdem satis propinquo exemplo, nisi fallor, in eadem sententia. nam cum C. Coelius, ei se obtigisse quaestorem, significasset, rescripsit epist. 19. his verbis: *Tuae litterae, de tua praesertim dignitate, et de nostra coniunctione, maximi sunt apud me ponderis.* Dignitatem Coelii vocat honorem illum, quem sortis beneficio consecutus erat; cum ita contigisset, vt in Cilicia, consulari prouincia, quaesturae tempus traduceret. Et Philippicarum lib. 13. c. 16. *Neminem Pompeianum, qui viuat, tenere lege Hirtia dignitates?* Quare numquam me, auctore Cicerone, *dignitatem* vsurpasse pro honore poenitebit; nisi si Latinae linguae proprietatem in ipso etiam Cicerone requirimus, quem vere vnum, aut vnum certe praeter ceteros, absolutum artificem in eloquentia, omnisque verborum copiae, omnis parentem elegantiae possumus appellare.

Ignoratione ERN. *Ignorantia*] Cur hoc verbum reiiciam, cum et sit in veteribus nouem libris, et in Cicerone alibi reperiatur? dixit enim pro Flacco c. 20. *Vbi nihil possent discere, nisi ignorantiam litterarum.* Lucretius etiam lib. 6. v. 53.

Ignorantia caussarum conferre deorum
Cogit ad imperium res.

Ignoratione, legitur in quibusdam impressis: recte, quod ad sententiam: sed aliter antiqui libri.

Longinquitatem] *Longinquitas* et de locis dicitur, vt hic, et de tempore, vt lib. 2. de Fin. c. 27. *Qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, qui sibi is conueniet, si negabit, voluptatem crescere longinquitate?* Et Tusc. 5. c. 40. *Sin forte longinquitate producti, vehementius tamen torquent, quam vt caussa sit, cur ferantur: quid est tandem, dii boni, quod laboremus?* Additur interdum, *temporis*, vt in epistola Sulpicii lib. 4. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.* Et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 29. *Tamen eius rei moram, temporisque longinquitatem timebat.*

Cum gratulor, tum vero] Solebant veteres interdum ob recte facta, post gratulationem gratias agere: vt lib. 9. epist. 14. *Dolabellae tuo et gratulor, et gratias ago.* Interdum contra, gratiis actis, gratulationem subiungere. lib. 16. epist. 16. *Tuis et illius litteris perlectis, exsilui gaudio, et tibi et ago gratias et gratulor.*

Factus sis] Aedilis. nam lib. 8. epist. 3. Coelius ita scripserat: *De Hirro, vt, quem optas, quamprimum*

mum nuncium accipias, tua medius fidius magis, quam mea cauſſa cupio. Nam mea, ſi fio, forſitan cum locupletiore referam. ſed hoc vsque eo ſuaue eſt, quod ſi acciderit, tota vita riſus nobis deeſſe non poſſit.

Audiui] Te aedilem deſignatum, Hirrum deiectum.

Ille ipſe] Hirrus.

Factus ſum] Suſcepi perſonam Hirri: quia, quae tu mihi de illo ſcripſiſti, omnia cogitaui.

Egi] Repraeſentaui, cogitatione ipſa mihi ante oculos poſui.

Iactitat] Iactare ſolitus eſt: quod fecit, aedilitatem petens: cum diceret, ſe gratioſorum in ſuffragiis adoleſcentum opera aedilem futurum. epiſt. 6. iuuentutem oſtendit in ſuffragiis plurimum poſſe. proprie enim adoleſcentum gratia eſt, virorum auctoritas.

Difficile eſt loqui] Quae de illo cogitaui, exponere non facile poſſum.

Te autem contemplans abſentem] Hoc totum vſque ad illud, *quod, quia*, videtur a vetere poeta ſumptum. ideo, *contemplans*, non eſt, quo referatur: deeſt enim verbum poetae: cum Cicero locum non expleuerit, vt interdum ſolet.

Praeter opinionem] Vt is, cui ſtuderent adoleſcentes illi, repulſam tamen tuliſſet.

Referebam me ad illud] Eiusdem poetae.

Obiicitur] Mihi ſe offert, atque in mentem venit.

Repente vero] Et hoc eiusdem poetae eſt, quem opinor eſſe Caecilium Trabeam comicum, de quo lib. 2. de Fin. c. 4.

Inceſſi] Commotus ſum, exſilui. laetitia enim non ſolum geſtimus, ſed etiam incedimus.

Omnibus laetitiis] Eundem locum Cicero ſignificat lib. 2. de Fin. c. 4. cum ait: *Ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum eſſe ſe narrat.*

Deſiperem] Adimit enim voluptas mentem non minus, quam moleſtia: quod his verbis egregie, vt omnia, Plato demonſtrat lib. 3. de rep. Ἡ ἡδονὴ οὐχ ἧττον, ἡ λύπη, ἔκφρονα ποιεῖ.

Ego voluptatem animi nimiam] Egregie reſtituit hunc locum Victorius ex Tuſc. 4. c. 15. et lib. 2. de Fin. c. 4. nam in veteribus libris mendoſe legitur, *homini*, vel, *hominum*, vel *omnium*. verba ſunt comici poetae Trabeae, Tuſc. 4. *Vt ille, qui voluptatem animi nimiam, ſummum eſſe errorem arbitratur.*

Quid quaeris?] Vbi ſatis verborum effluxit, nec tamen omnino videmur, quod volumus explicaſſe, ad hanc interrogationem confugimus, *quid quaeris?* et ad exitum ſtatim ſententia perducitur.

Ille] Stultus, vt ille.

Inimicorum] Clodianorum. id oſtendit ipſe Coelius lib. 8. epiſt. 12. *A te peto, vt meas iniurias proinde doleas, vt me exiſtimas et dolere et vlciſci tuas ſolere.* Maxime autem ex voluntate Ciceronis, Pompeio tertium conſule, poſt interfectum Clodium, geſſit Coelius tribunatum plebis. teſtem habeo Ciceronem ipſum, cuius haec ſunt verba in Bruto c. 79. *M. Coelius, quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, vt nemo contra ciuium perditorum populorem turbulentamque dementiam a*

senatu, et a bonorum causſa, ſteterit conſtantius. Et Aſconius in argumento orationis pro Milone.

Inuidorum] Hirrus praecipue deſcribitur, qui competitor Ciceronis fuerat in auguratu. lib. 8. epiſt. 3. et 4. Et lib. 5. ad Attic. epiſt. 19.

Partim ſcelerum ſuorum, partim etiam ineptiarum] Sceleratus in vexando Cicerone, et in omni vita Clodius: ineptus Hirrus, qui cum Cicerone conſulari, nondum aedilicius, de auguratu certare auſus ſit.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Queri videtur de tabellariis, litteras non perferentibus: re vera Coelium negligentiae leuiter accuſat: deinde res a ſe in Amano monte geſtas, et Pindeniſſi oppugnationem exponit: rogat, ne quid ſibi temporis ad prouinciale munus prorogetur. de republica tum praeſentia, tum futura etiam exſpectare ſe dicit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Tu vide, quam ad me] Non pauci veteres, *quam timide ad me:* inepte prorſus. quem enim hic timiditas locum habet? mendi originem puto fuiſſe, *tu vide:* quod proxime anteceſſit: vt primo factum ſit, *timide*, deinde, perturbato ordine, et prima corruptione alteram generante, *tu vide, quam timide ad me.* Ego licet, *quam ad me*, non improbem; cum praeſertim ita ſit in Mediceo libro, et in altero, quem vir excellentis doctrinae, poeta ſummus, Petrus Angelius Bargaeus, mihi commodauit; magis tamen aliquanto probarem, *quare ad me:* vt ſit: tibi videndum eſt, quid cauſſae ſit, cur ad me litterae non perferantur. Cum haec ſcripſiſſem, Albertus Ferrus, ſororis Philippi Tertii, oratoris eximii, viri integerrimi, filius, familiaris meus, optimaeque indolis adoleſcens, veterem librum, ex auunculi bibliotheca ſumptum, ad me attulit, in quo minime dubiis litteris ita ſcriptum vidi: *tu vide, quamobrem ad me.* quod noſtram opinionem confirmat.

Tanta res] Non ſolum quia tu aedilis factus ſis, ſed etiam, quia repulſam Hirrus tulerit.

Tantae gratulationis] Cum res eſſet tanta gratulatione digna, ideoque litteris omnino ſignificanda, vt poſſem tibi gratulari. Alii legunt, *gratulationes;* qua ſententia, non video. ego praeter ſententiam, teſtes auctoresque habeo opinionis meae tres antiquos libros, vnum Sigonii, duos meos.

De te quia, quod ſperabam; de Hillo, balbus enim ſum, quod non putaram] In lib. 8. epiſt. 4. Coelius, de Hirro competitore ſuo loquens, ita ſcripſerat: *Spero, te celeriter, et de nobis quod ſperaſti, et de illo, quod vix ſperare auſus es, auditurum.* Quibus verbis Cicero reſpondens, eadem paene repetit. et quia ſcripſerat Coelius, *de illo;*

illo; facete et falsè adspirationem Cicero addidit, vt Hirri nomen, more balborum, qui, *r*, litteram exprimere non possunt, enunciaret. itaque subiunxit, *balbus enim sum.* in sequentibus autem, cum, *r*, litteram expedite proferat, *balbi,* inquit, *non sumus.* Hic tamen faciam, quod susceptum a me munus postulat, vt hunc locum ex ingenio mutatum significem. nam veteres libri omnes in mendo consentiunt, cum *nihilo,* pro, *Hillo,* habeant. Sed non dubito, quin haec recte intelligentibus coniectura, e Coelii loco ducta, cui manifeste Cicero respondet, etiam atque etiam probetur. Res, inquit, magnae gratulationis erat, quia de te, id, quod sperabam, acciderat: de Hirro autem, quod non putaueram, id est, vt tam turpiter aedilitatis repulsam ferret. Atque hoc eiusdem Coelii locus alius lib. 8. epist. 9. significat: inquit enim, *sic tu, inquis, Hirrum tractasti? Immo, si scias, quam facile, quam ne contentionis quidem minimae fuerit, pudeat te, ausum illum vmquam esse incedere tamquam tuum competitorem.*

Comitia ista] Aedilicia.

Laetitia extulerunt] Cum ea mihi non tuis, sed aliorum litteris cognita essent.

Iucundius] Dixi iam, *iucundus* et *carus* coniungi. epist. 2. et 3. Cicero, *iucundus,* deducit a iuvando. quod si ita est; *iocundus* a quibusdam perperam scribitur.

Ais] Lib. 8. epist. 5. in qua scripsit haec: *Si, quantum gloriae, triumphoque opus esset, assequeremur; nihil tam esset optandum.*

Ad laureolam] Vt triumphum assequi possemus. Lauro enim triumphantes coronabantur. quasi per iocum, *laureolam,* potius, quam *laureum,* dixit: vt optata res ostenderetur. Sic lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Bibulus in eodem Amano laureolam coepit in mustaceo quaerere.*

Parthos times] Copiis superiores. lib. 8. epist. 5. Parthorum gens nota satis est: origo, et nominis caussa fortasse obscura: itaque Iustini verba ex lib. 41. c. 1. recitabo: *Parthi, penes quos, velut diuisione orbis cum Romanis facta, nunc orientis imperium est, Scytharum exsules fuerunt. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone Parthi exsules dicuntur, etc.* Idem c. 6. *Mithridates imperium Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit. Atque ita aduersa valetudine correptus, non minor Arsace proauo, glorioso senectute decedit.*

Auxiliis] Sociorum populorum, id est, Galatarum, Pisidarum, Lyciorum, quos nominat lib. 6. ad Attic. epist. 5. nam Deiotarum cum omnibus suis copiis ad eum venientem, certiorem Cicero fecit, non videri esse caussam, cur abesset a regno. quod ad Catonem lib. 15. epist. 4. scripsit.

Hiccine est ille] Simile illud lib. 9. epist. 26. *In eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille? quem adspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua.* Et Pacuuius Duloreste, apud Nonium: *Hiccine is est, quem famae gratia ante omnes nobilitat viros?*

Qui vrbem] Seruauit ab insidiis Catilinae, ipso egredi ex vrbe iusso.

iusso. quod factum gloriatur in orat. 2. contra eum, et in ea in Pisonem c. 2. *Ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum vrbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex vrbe iussi.*

Quem senatus] Decreto laudavit honorificentissimo, supplicatione decreta ob res ab eo gestas: quem honorem antea togatus nemo consecutus erat. lib. 15. epist. 4. orat. in Pisonem c. 3. alibi.

Nosti cetera] Quae in nos, ob res in consulatu praeclare gestas, conferri solent.

Communis est] Cum eius pars ad Syriam, Bibuli prouinciam, altera ad Ciliciam, cui Cicero praerat, pertineret. Strabo, et alii.

Diuisus aquarum diuortiis] Vt ad Syriam ab vna parte, ad Ciliciam ab altera pertineret, defluentibus aquis distributus. cum enim aquae diuiduntur, diuortium earum fit. Sic lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia ima aquarum diuortio diuidit.* Et lib. 3. de Orat. c. 19. *Vt ex Apennino, fluminum, sic ex communi sapientium iugo, sunt doctrinarum facta diuortia.* Curtius autem lib. 5. c. 1. *Ipsi amnes* (Tigris et Euphrates) *ex Armeniae montibus profluunt, ac magno deinde aquarum diuortio iter, quod coepere, percurrunt.* Et Liuius lib. 38. c. 45. *Prope ipsis iugis ad diuortia aquarum castra posuisse*, id est, ad eum locum, vnde aquae pluviae, duas in partes diuisae, incipiunt defluere. Flaccus etiam Siculus in libro de limitibus, *diuergia aquarum* dixit, eadem significatione: quod in diuersas partes vergant, et vertantur aquae: vnde *divergium*, et *diuortium.*

Cassius noster] C. Cassius, qui postea Caesarem occidit. is M. Crassi quaestor in Syria fuerat: quo interfecto reliquias copiarum Antiochiam reduxit.

Hostem reiecerat] Lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Rumore aduentus nostri, et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, et Parthis timor iniectus est. itaque eos, cedentes ab opido, Cassius insecutus rem bene gessit. qua in fuga, magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus.* De hac victoria loquitur etiam lib. 15. epist. 4. plenissime autem Dio lib. 40. et Iustinus lib. 42. c. 4.

Prouinciam acceperat] A victore Cassio, qui, post obitum Crassi, cum nondum in Syriam proconsul Bibulus venisset, prouinciam a Parthorum impetu defenderat. Phil. 2. c. 11.

Vexaui Amanienses] Vide lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Castella munita] *Castellum* a castro, vt *rastellum* a rastro, deducitur.

Victoria iusta] Certum hostium numerum esse oportuit, quo caeso imperatoris nomen consequerentur: sed, ea consuetudine paullatim deprauata, multi, paucis hostium caesis, imperatores tamen appellabantur. quod etiam Philip. 14. c. 5. docet his verbis: *Si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus.* Et Dio lib. 37. *C. Antonius, caeso Catilina, eius victoriae caussa imperator est appella-*

pellatus: quamquam caesorum in acie numerus legitimo numero minor esset. Iusta igitur dixit, quia multi non iusta victoria, quidam etiam nulla supplicationis honorem adepti erant: quod ex eadem Philippica cognoscitur. Victoriam tamen eius non satis iustam Coelius significat lib. 8. epist. 11. cum ait: *Hirrus, cum de hostibus ageretur, et posset rem impedire, si, vt numeraretur, postularet, tacuit.*

Issum] Quae Alexandri arae vocabantur. lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20. et Strabo lib. 14. Curtius autem sic lib. 3. c. 12. *Tribus aris in ripa Pyrami amnis Ioui, Herculi, Mineruae sacratis, Syriam petit.* Mela quoque lib. 1. c. 12. 13. *Tum mons Amanus, et ab eo statim Myriandros et Cilices. At in recessu intimo locus est, magni aliquando discriminis, fusorum ab Alexandro Persarum, fugientisque Darii spectator ac testis: nunc ne minima quidem, tunc ingenti vrbe celebris Issos fuit.* Ammianus lib. 26. c. 8. *sinum Issicum* vocat. *Superatus*, ait, *in sinu Issico, qui est in Cilicia, vbi Darium Alexander fudit.*

Clitarchus] Historicus, Alexandri comes in Persica expeditione, vt ait Plinius lib. 6. c. 31. Dionis filius, teste Plinio lib. 10. c. 49. nominatur a Curtio lib. 9. c. 5. a Cicerone lib. 1. de Leg. c. 2. haud magna cum laude, ab Athenaeo lib. 4. Eius probatum esse ingenium, fidem vituperatam, ostendit Quinctilianus lib. 10. c. 1.

Narrauit] Argute: pro, legisti apud Clitarchum. sic in Bruto c. 43. *Nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium, id, quae nobis his narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.*

Infestissimam] Latrociniis. vide lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Vineis] Instrumentum bellicum fuit, quo tecti milites audacius ad moenia subibant.

Pindenissum] Incognitum Romae nomen opidi: quod ex lib. 5. ad Attic. epist. 20. perspicitur.

Opibus] Alii legunt, *operibus*: sed *opera* Cicero supra nominauit. *Opum* autem nomine, summa vis et summa contentio significatur. vnde Virgilius lib. 12. Aen. v. 552.

— *Summa nituntur opum vi.*

Alibi diuitiarum copia, alibi totum id quo valemus, *opum* nomine demonstratur.

Negotio] Labore.

Nomen opidi] Ignobile et obscurum. lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Qui (malum) isti Pindenissae? qui sunt? inquies: nomen audiui numquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Aetoliam, Macedoniam reddere.*

Cepero] Cepit die 57. postquam oppugnare coeperat. lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Tum vero] Nam, Amano direpto ac vastato, litteras tamen ad senatum non misit. de quo sic lib. 3. epist. 9. *Id a me recte factum puto, quod non statim, vt imperator appellatus sim, sed aliis rebus additis, aestiuisque confectis, litteras miserim.*

In praesenti] Hoc tempore. Liuius lib. 34. c. 35. *Daret talenta centum argenti in praesenti. In praesentia*, etiam dicebant.

Quod

Quod optasses] Vt negotii tantum haberem, quod esset ad triumphum satis. lib. 8. epist. 5.

Vt scribis] Lib. 8. epist. 5. *Multum ac diu ludetur, atque ita diu, vt plus biennium in his tricis moretur.*

Spissius] Serius: vt in Bruto c. 36. *Spisse, atque vix ad Antonium, Crassumque peruenimus.* Et lib. 2. de Orat. c. 53. *Principia tarda sunt, et exitus tamen spissi, et producti esse debent.* Et, quoniam spissis liquida opponuntur; factum est, vt *liquido* pro *facile* veteres vsurpauerint. lib. 10. epist. 10. *Tuis litteris lectis, liquidius de toto sensu tuo iudicaui.* Et lib. 11. epist. 27. *Alia sunt, quae liquido negare soleam; vt de isto ipso suffragio.*

Praesentia] Nec praesentia tamen, nec praeterita, sed futura se dixit a Coelio exspectare. epist. 8.

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Ita sollicitus est, quidnam de successione prouinciarum Romae decernatur, vt omnino sibi deesse verba confirmet. miro enim vrbis desiderio tenetur. Pantheras ludorum caussa promittit. De statu reipublicae diligentissimas a Coelio litteras postulat. L. Paullo C. Marcello coss.

EXPLANATIO.

AEDILI CVRVLI] Superiores epistolas inscripsit, AEDILI CVR. DES. nunc aedilitatem Coelius inierat. nam epistola Megalensibus est scripta: quo die ludos ante templum Magnae matris Deum aediles curules dabant.

Putaresne vmquam accidere posse, vt mihi verba deessent] Similiter lib. 13. epist. 63. *Non putaui fieri posse, vt mihi verba deessent: sed tamen in C. Laenio commendando desunt.*

Vestra oratoria] locatur: quia Coelius quoque locum inter oratores obtinebat. epist. 14. *Noui ego vos magnos patronos.*

Nostratia] Quibus vulgo vtimur.

De prouinciis] Timebat, ne quid de prorogando prouinciarum tempore senatus decerneret.

Famam] Ob iustitiam, et abstinentiam.

Fortuna] Quae potest aliquo casu de fama detrahere. fortunam nominat, quia de sua culpa non timet.

Metuenda] Lib. 5. ad Attic. epist. 17. *Hanc gloriam iustitiae, et abstinentiae fore illustriorem spero, si cito decesserimus.*

Belli] Parthici. dixit enim in proxima epistola: *Sed, vt redeam ad Parthos, haec aestas habuit hunc exitum satis felicem. Ea, quae sequitur, magno est in timore.* lib. 5. ad Attic. epist. 21. et lib. 6. ad eundem epist. 1.

Ad constitutam diem] Pridie Kal. Sext. quo die in prouinciam venit. lib. 3. epist. 6. et lib. 5. ad Attic. epist. 15. nam duos menses, Iunium et Quinctilem, sperabat fore, vt

vt Bibulus sustineret: quod ad Atticum scripsit lib. 6. epist. 1.

De pantheris] Quas Coelius petierat, vt ludis suis, id est Romanis, daret. lib. 8. epist. 2. 4. 6. 7. 9. quaedam animalia, tam mares, quam feminae, muliebri tantum genere significantur, vt *panthera, merula:* non enim dicimus, *pantherus, merulus:* quaedam virili, vt *corvus, turdus:* non enim dicitur, *corva, turda.* Varro lib. 8. de ling. Lat.

Insidiarum] Per iocum sublata a se latrocinia significat.

In Cariam] Hoc totum inter Ciceronis ridicula Plutarchus memorat.

Patisco] Venstore. lib. 8. epist. 6. fortasse is est, de quo lib. 12. epist. 15. et Hirtius de bell. Alex. c. 34.

Quidquid erit, tibi erit] Hoc genus ornamenti, *similiter desinens* Latini, ὁμοιοτέλευτον Graeci vocant. quo de genere scripsit egregie Demetrius. neque ego colligendis Graecorum exemplis operam consumam: Latinis, et vno maxime Cicerone contenti simus. epist. 18. *Sin quid offenderit: sibi totum, nihil tibi offenderit.* Philip. 1. c. 15. *Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reique publicae accesserit.*

Mehercule] In oratore c. 47. *Pomeridianas,* inquit, *quadrigas, quam Postmeridianas, libentius dixerim; et Mehercule, quam Mehercules.* bis tamen in Verrem, *Mehercules,* dixit, et in orat. 1. in Catilinam c. 7. et pro Plancio c. 26. pro Amerino autem c. 18. et in Bruto c. 16. *Hercules.*

Aedilitas tua] Cuius caussa pantheras petiisti.

Ipse dies me admonebat] Adspectu, vel cogitatione rei praesentis, in memoriam saepe, aut voluntatem, opinionemue deducimur absentis. lib. 7. epist. 19. *Vt primum Veliae navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa vrbe commonitus, amantissima tui.* lib. 1. ad Attic. epist. 10. *Signa nostra, et Hermeraclas, vt scribis, cum commodissime poteris, velim imponas, et si quod aliud οἰκεῖον eius loci, quem non ignoras, reperies, et maxime quae tibi palaestrae gymnasiique videbuntur esse. etenim ibi sedens haec scribebam; vt me locus ipse admoneret.* lib. 1. de Orat. c. 7. *Cur non imitamur Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit.* Ibidem lib. 3. c. 55. *His de rebus sol me ille admonuit, vt breuior essem, qui ipse iam praecipitans, me quoque haec praecipitem paene euoluere coegit.* In epist. ad C. Caesarem, apud Nonium: *Quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor. ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gloriam.* Varro lib. 1. de re rust. c. 1. *Annus octogesimus admonet me, vt sarcinas colligam ante, quam proficiscar e vita.*

Ipsis Megalensibus] Et Megalenses et Romani ludi ad aediles curules pertinebant: vt in Dione legimus lib. 39. dies igitur Megalensium, qui dabantur Aprili mense, Ciceronem admonebat ludorum Romanorum, quos Coelius Septembri mense daturus erat. Atque hinc licet coniicere, cum vtrique ludi ab aedilibus curarentur, maiore tamen sumptu atque apparatu Romanos dari solitos: de quorum spectа-

spectaculo Coelium, pantheras petentem, non de Megalensibus, video laborasse. Ludos Megalesia per sex dies, a pridie Non. April. ad v. Id. fuisse, fasti dierum antiqui demonstrant. nam, etsi deam perlatam esse pridie Id. Apr. in aedem Victoriae Palatinae, eumque diem festum fuisse, cum lectisternio, et ludis, qui Megalesia vocati sunt, Liuius lib. 29. c. 14. dicat: postea tamen eos ludos in pridie Non. reiectos esse, crediderim, accedente praesertim Spartiani testimonio in Caracalla c. 6. qui cum VIII. Id. Apr. ipsis Megalensibus interemptum Caracallam narret, satis indicat, Megalensium primum diem pridie Id. Apr. non fuisse. nisi si quis mendosum esse Liuii locum, et pro *pridie Id.* legendum, *pridie Non* arbitretur: ne, dissidentibus antiquis, opinione dubia fluctuemus. Dicta Megalesia a Graecis, vt auctor est Varro lib. 5. de L. L. quod ex libris Sibyllinis accersita ab Attalo rege Pergami prope murum Megalesion, vbi templum eius deae: vnde aduecta Romam. Quo tempore, et quam ob caussam sint accersita, vel quia patet ex Liuio, vel quod breuitatem sequimur, omittemus. Vnum addendum videtur: labi turpiter eos, qui ludos Megalenses et Romanos eosdem esse crediderunt: cum Romani a rege Prisco, Megalenses in republica post multos annos instituti sint: et Romani mense Septembri, Megalenses Aprili darentur: Romani in honorem Iouis, Iunonis, Mineruae; Megalenses Matris magnae Deum: Romani primum Circenses, deinde etiam Scenici fuerint, Megalenses tantum Scenici.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Sollicitudinem suam demonstrat ob res vrbanas. Litteras a Coelio petit de omni statu reipublicae. addit de Diogenis et Philonis itinere. hortatur, ne prouinciales honores vrbanis magistratibus praeferat. suam indicat ad vrbem redeundi cupiditatem. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Conciones] Tribunorum plebis maximeque Curionis, qui valebat in primis eloquentia, et Caesaris caussam acerrime tuebatur. eius enim conciones contra consulum actiones de prouinciis, id est de successione Galliarum, quis dubitet significari lib. 6. ad Attic. epist. 2 in eo loco? *Magna in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. Habebam acta vrbana vsque ad Nonas Martias; ex quibus intelligebam, Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quam de prouinciis.* Varro, *contio*, non, *concio*, scribendum significat, quasi *coactio*. Festus *concio, quasi conuocatio, a ciendo.* veterum librorum scriptura Varronis opinionem probat. Mediceus quoque semper, *contio.*

Quinquatrus] Dictum fortasse nominandi potius, quam, vt alii putarunt, generandi casu. malim tamen, *Quinquatribus*: vt intelligatur dies, quo gestae sunt res, non quo

quo allatae: cum inferat, *citeriora nondum audiebamus*. nam in veteri libro Hieronymi Ferrarii legitur, *Quinquat.* vt etiam pro *gladiatoribus*, *gladiat.* antiquis in libris quandoque scriptum vidimus. *Quinquatrus* autem quinque dies festi fuerunt, Mineruae dicati. Ouidius lib. 3. Fast. v. 809.

Vna dies media est, et fiunt sacra Mineruae,
Nominaque a iunctis quinque diebus habent.

Varro lib. 5. de L. L. *Quinquatrum diem* ait appellatum, quod erat post diem quintum Id. Mart. id est, XIV. Kal. Apr. et quamquam ex Ouidio constet, *quinquatrus* fuisse quinque dies: tamen, cum Cicero *quinquatrus* nominat, non semper eos omnes dies, sed interdum primum dumtaxat eorum significat, vt lib. 12 epist. 25. *Quinquatribus frequenti senatu caussam tuam egi, non inuita Minerua. Etenim eo ipso die senatus decreuit, vt Minerua nostra, custos vrbis, quam turbo detecerat, restitueretur.* Et lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Venit ad me Matius quinquatribus.* et alibi.

Ridere tecum] Ob dementias quorundam, quas ex amicorum litteris cognouerat.

Annuum munus] Annuam prouinciae administrationem: cuius cum primus dies fuerit pridie Kal. Sext. postremus III. Kal. esse debuit. epist. 5. et lib. 9. ad Attic. epist. 15. 19. et lib. 6. epist. 2.

Diogenes tuus, cum Philone] Diogenes Graecus, amicus Coelii, non libertus: Philo autem libertus. lib. 8. epist. 7.

Pessinunte] Pessinus opidum Phrygiae, clarum templo Matris magnae Deum, cuius ad vrbem Romam translata statua est. ad Ciceronis prouinciam pertinuit; qui duas in maiore Phrygia διοικήσεις habuit, vnam vltra Maeandrum flumen, alteram citra, Ciceroni extra ordinem attributam. qua de re alio loco plenius olim diximus.

Iter habebant ad Deiotarum ERN. *Iatoregem*] Non satis mihi posse videor pro eius merito laudare Iacobum Taurellum Fanensem, virum optimum, exquisitae doctrinae, praestantis ingenii: qui, deleta macula, quae iam inueteraverat in peruulgatis omnibus libris, huic loco suam, vt ego quidem arbitror, integritatem restituit. cum enim in nullo vetere libro reperiatur, *ad Deiotarum regem*, vt est in impressis ad hanc diem omnibus; in plerisque autem, *ad Iatoregem*; quae in Mediceo quoque scriptura est: acute Taurellus vidit, mutatione minima legi posse, *ad Adiatorigem*: quem Comanorum regem hoc tempore fuisse, Strabo docet lib. 12.

Ab adolescentia iudicaui] Iudicauit eo tempore, cum e quaestura Sicilienſi Romam reuertit. nam in Campania viro nobili obuiam factus, cum eum rogasset, quid de ipso ciuitas, ob res in Sicilia gestas, existimaret; respondit ille, vbinam fuisti? ex quo intellexit, quod hic Coelio scribit, obscuram esse peregrinationem omnem, nec ab vrbe discedendum. Hoc Plutarchus. *Adolescentiam* igitur vocat quaesturae tempus. qua de re in epist. 1. h. l.

Obscura et sordida] Quia dixerat, *in ista luce viue.* tribus enim verbis metaphoram perficit, *luce,*

obscura, illustris. quod genus attente considerandum iis, qui eloquentiae se studio dediderunt. Addidit autem, *sordidam*, vt hoc dicat: vel obscurum est, nec cernitur, quod in prouincia geritur; vel, si cernitur, prae vrbanis actionibus sordidum videtur.

Integritatis] Abstinentiae: quia ne teruncio quidem prouinciae sumptui fuit: quod ipse, non sine quadam inani gloria, vere tamen ad Atticum scripsit lib. 5. epist. 16. 17. 20. 21. et hic lib. 15. epist. 1. 3. 4. 5.

Contemnenda] Si hoc prouinciale munus recusassem. qui enim prouinciam contemnit, quam multi spe rapinarum appetebant; is laudem consequitur integritatis. Hoc modo locutus est Philip. 14. c. 8. *Supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est*, pro, si decreueritis.

Spem triumphi? inquis] Nisi in prouinciam iuisses; quae tibi, inquies, triumphi spes esset? respondet: ego mihi praeclarum in conspectu, et consuetudine meorum, quibus molestissime tamdiu careo, triumphum ducerem.

In desiderio] Lib. 5. ad Attic. epist. 17. *Dici non potest, quam inuitus a vobis absim, etc.*

Te dignas] Scriptas diligentissime de omni statu reipublicae, ne, cum venero, rudis plane sim.

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

De litterarum infrequentia quasi molli brachio Coelium reprehendit: eundem excusat, culpa in tabellarios translata: laudat etiam ob earum, quas proxime accepit, prudentiam, et humanitatem. Amicitiam cum Ap. Claudio, et amicitiae causas commemorat. Quod Caesarem Curio, qui cum optimatibus antea sentire videbatur, coepit defendere, exitum agnoscit coniecturae suae. Decedere e prouincia, expleto anno, sibi ait esse constitutum; miroque se teneri desiderio vrbis, suorum, Coelii potissimum; quem aedilem videre cupiebat. Negotialis fere tota est epistola: morale principium, et quod concludit. nam quae narrat de Appii erga se, suaque in illum benenolentia, propter occasionem inducta sunt Appii a Dolabella accusati: de quo vide lib. 8. epist. 6. cui Cicero respondet. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Fortasse enim non perferuntur] Obtinuisse consuetudinem, vt *fortasse*, potius quam *fortassis*, diceretur; quia scilicet *fortassis* absurdum auribus videbatur; auctor est Carisius. cuius testimonio permotus, legendum arbitror, *fortasse*, non *fortassis*, lib. 1. ad Q. Fr. epist. 3. cum praesertim in meo quoque vetere libro scriptum videam, *fortasse*.

Vel quas proxime acceperam] *Vel*, hic non distinguit, vt alibi: sed praecipuum quiddam notat; vt lib. 7. epist. 24. *Amoris tui, quoquo me verti, vestigia: vel proxime*

xime de Tigellio. Et Terentius in Hec. Act. 1. Sc. 1. v. 3.

Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi.

Et officii et consilii] *Officii*, quia retulerat ad Ciceronem de Tullia Dolabellae collocanda: *consilii*, quia scripserat Coelius his verbis: *Vnum illud monere te possum: si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas, et exspectes, quemadmodum exeat ex hac caussa: ne qua inuidiosum tibi sit, si emanarit.* lib. 8. epist. 6.

Prudentibus] Eadem sententia lib. 6. epist. 11. *Quae facimus*, inquit, *ea prudentissimo cuique maxime probata esse volumus.*

Valde diligo: meque ab eo diligi sensi] Eadem sententia in epistolae fragmento ad Pansam, apud Nonium: *De Antiocho feceris humaniter: quem quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi.*

Simultatem] Susceptam ex eo, quod frater eius P. Clodius capitali odio a Cicerone dissideret.

Deposuimus] Auctore Pompeio, cuius filio Appii filia nupserat. id ex Quinctiliani lectione cognouimus, qui lib. 9. c. 3. recitat haec verba Ciceronis ex libro epistolarum incerto ad M. Brutum: *Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, et redierim per Cneum Pompeium.*

Consul] Consulatum gessit cum L. Domitio Ahenobarbo.

Studiorum] Optime se animatum ostendit erga studia mea.

Quoniam] Coniungit hic potius, quam caussam exponit: quo item officio, *nam*, interdum fungitur.

Κωμικὸς μάρτυς *occidit* ERN. *accidit Phania*] Libertus Appii Phania, praeter ceteros, mea in Appium officia cognouit, vt comicus testis ea, quibus in comoedia lites discordiaeque tolluntur. *Accidit* autem, quia casu quodam in comoediis fieri videtur, vt aliquis, praeter exspectationem, adueniens, inuolutam rerum notitiam explicet, patefactaque veritate sedet omnes turbas. De hoc liberto lib. 6. epist. 1.

Iam] Praeterea, vt alibi saepissime.

Pompeii] Qui Appii filiae socer fuit. lib. 3. epist. 4. et 10.

Honoribus] Consulatum gesserat, Ciliciae praefuerat, augur erat.

Liberis] Tres filias habuit, vt lib. 3. epist. 4. 8. 10. licet coniicere. mares, vt puto, non genuit, sed adoptauit C. Clodii fratris sui filios duos: qui ambo Appii Claudii, maior, et minor, appellabantur. minor nominatur lib. 8. epist. 8. quo loco vide quae diximus.

Propinquis] Cognatos significari, manifestum est; cum sequatur, *affinibus*; vt in orat. pro Plancio c. 11. *Cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus.* Et Caesar lib. 2. de bell. Gall. c. 4. *Propinquitatibus affinitatibusque coniuncti.* Quibus ex locis, differre *affinitatem* a *propinquitate*, constat. Rursus *affinitatem* video propinquitatis nomine interdum appellari, vt in orat. pro Quintio c. 6. Si pietate propinquitas colitur; qui affinem prodit, impius sit, necesse est. Et alibi.

Affinibus] Qui nuptiarum iure coniunguntur. Significat tres Appii generos, Cornelium Lentulum,

M. Iunium Brutum, Cn. Pompeii filium, de quibus lib. 3. epist. 4. 8. 10.

Collegam] In auguratu. lib. 3. epist. 4. 10.

Collegii laude] Cum scripsit Appius de iure augurali: quos libros ad Ciceronem misit. itaque hic subiungit, *studiosum mei.* vide lib. 3. epist. 9. et 11.

Quod mihi significabant] Contemnendum non putaui meorum omnium librorum consensum; et quod antea pro *mihi*, *nonnihil* legebatur, commenticium duxi; cum praesertim Mediceus quoque liber, non ille quidem hoc in loco plane sit emendatus, sed ita prope tamen ad veritatem accedat, vt emendari vel minimo negotio possit. habet enim, *quod nihil significabant:* in quo mei omnes planissime: *quod mihi significabant.* Miror autem eos, qui Florentiae hos epistolarum libros nuper ediderunt, non modo Medicei libri, cui se tantum tribuere profitentur, auctoritatem neglexisse, (nam in illo, vt dixi, est, *quod nihil significabant*) verum etiam, contra veteres omnes libros, imprimi voluisse, *non nihil*, nulla in Scholiis mentione facta. certe enim aliqua ratione probari oportuit, quod ab antiquis libris, vel saltem (omitto alios, quos ipsi contemnunt) quod a Mediceo discreparet; cum praesertim, si verbum, *subdubitare*, perpenderent, intelligere potuerint, *non nihil*, otiosum esse minimeque necessarium: nam adiuncta verbo particula, *sub*, non nihil ostendit.

Subdubitare] Vide lib. 8. epist. 9.

Institutorum] In administranda prouincia, cui anno proximo praefuerat Appius.

Dissimilitudinem] Hac de re sic ad Appium ipsum scribit lib. 3. epist. 8. *Si quem mea instituta in prouincia non delectant, et quadam dissimilitudine institutorum meorum ac tuorum laedi se putat, cum vterque nostrum recte fecerit, sed non idem vterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, vt hominis nobilissimi, latius in prouincia patuit. Nostra si angustior, (etsi de tua prolixa, beneficaque natura limauit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum,) non debent mirari homines, cum et natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, et temporibus, quibus alii mouentur, iisdem ego mouear: me esse acerbum sibi, vt sim dulcis mihi.* Ad Atticum autem lib. 6. epist. 1. *Nihil a me fit cum vlla Appii contumelia. tantummodo dissimilitudo meae rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quam, illo imperante, exhaustam esse sumptibus et iacturis prouinciam: nobis eam obtinentibus, nummum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publice? Quid dicam de illius praefectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? etc.*

Post hoc negotium] An hoc dicit? excepta prouinciae administratione, in qua non sequor illius instituta, excepta etiam, de qua ad me scripsisti, accusatione Dolabellae, in qua nullam animi mei alterutram in partem significationem fieri volo, ceteris in rebus pro Appii periculo deprecabor. Haec mihi non placet interpretatio. nam cum dicat, *deprecatorem me pro illius*

periculo

periculo praebeo, non de futuro, sed de praesenti loquitur Appii periculo. quod cum ita sit; alia requiritur explanatio, haec scilicet: antea nihil vmquam feci, nihil dixi contra Appii existimationem: postquam autem eo temeritatis progressus est Dolabella noster, vt ei negotium faceſſat, deprecatorem me pro illius periculo praebeo. non enim tam impium, aut sceleratum Ciceronem fuisse credibile est, vt deesse Appio in tanto periculo voluerit, cum ad ipsum Appium lib. 3. epist. 10. ita scripserit: *Conteſtans omnes deos, promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando, deprecatoris, laborando, propinqui, auctoritate, cari hominis, vt spero, apud ciuitates, grauitate, imperatoris suscepturum officia atque partes. Omnia volo a me et postules, et exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas.*

Nostri] Nondum generi, sed amici: cuius salutem duobus capitis periculis Cicero defenderat: quod scripsit ad Appium lib. 3. epist. 10. et lib. 6. epist. 11.

Veternus ciuitatis] Scripserat Coelius lib. 8. epist. 6. hoc modo: *Nisi ego cum aquariis et tabernariis pugnarem, veternus ciuitatem occupaſſet.*

Gaudebam] Quieto reipublicae statu; de quo timueram, creato tribuno plebis Curione, cuius ingenium noueram.

Congelaſſe] Coelii verba sunt lib. 8. epist. 6. *Curioni nostro tribunatus conglaciat.*

Nostrum amicum] Curionem; qui ne nimium caleret, extimueram.

Extrema pagella] Vnica igitur pagina totam Coelii epistolam, quae lib. 8. sexta legitur, comprehendebat. ex quo patet, longiores, aut breuiores paginas fuisse. nam illa Coelii epistola satis longa est: brevis autem, quam scripsit Cicero lib. 11. 25. hoc initio, *Exspectanti mihi.* quae tamen vna pagina non continebatur: cum in extrema scripserit Cicero: *altera iam pagella procedit.*

Pupugit me] Commouit me. sic lib. 2. ad Attic. epist. 16. *Ita me pupugit, vt somnum mihi ademerit.*

Chirographo] Cum in reliqua epistola amanuensis opera vsus esset.

Praeter me] Qui de Curione, et ob leuitatem, et ob aes alienum hoc facile putaui.

Risum nostrum] Ridebat Cicero cum familiaribus hominum stultitias. epist. 12.

Iurisdictionem] Forum egerat Laodiceae ex idibus Febr. ad Kal. Mai. omnium dioeceſium, praeter Ciliciae; postquam in Ciliciam profectus est, infra, et lib. 6. ad Attic. epist. 2. et 4.

Locupletaram] Qua ratione ciuitates locupletauerit, ostendit his verbis lib. 6. ad Attic. epist. 2. *Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant. quaesiui ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant. aperte fatebantur. itaque, sine vlla ignominia, suis humeris pecunias populis retulerunt.*

Superioris lustri] Prouinciales homines vectigalia publicanis debebant

bebant superioris etiam lustri: quae vt libenter soluerent, Ciceronis opera et auctoritate factum est. qua de re sic in eadem ad Attic. epistola: *Populi, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque publicanis in oculis sumus.* vectigalia vero quinto quoque anno, quod *lustrum* vocabatur, persolui solita, demonstrant Varro et Festus. Mirum, quam hic libri antiqui omnes, nullo prorsus excepto, in mendo consentiant: habent enim pro, confeceram, *conferam:* pro, locupletaram, *locupletarin* pro: superioris, *superioribus:* pro, conseruaram, *conseruata in.*

Sine vlla querela] *Nullo gemitu*, scripsit ad Attic.

Priuatis, summis, infimis] Ne quis putet hominum tria genera significari; nam priuati sunt infimi, et summi. medios omisit Cicero, quia summis et infimis includuntur. non omisit autem in Philip. 1. c. 15. in qua dixit: *Cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab vniuersis hoc idem fit.* Et in 13. c. 20. *Omnes te dii, homines, summi, medii, infimi, oderunt.*

In Ciliciam] Vt ibi reliquam iurisdictionem absolueret.

Militaremque rem collocassem] Erat enim praesidium relinquendum, si quid Parthi conarentur. Mediceus liber, et mei quattuor, *militaremque collocarem:* corrupte. duo mei, *militaremque rem collocassem:* sincere. vnus, *militaremque cum collocassem:* minus mendose, nec tamen recte.

Ex senatus consulto] Decreuerat enim senatus, vt, anno confecto, decederet. lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Esse officium meum putaui, exercitum habere quam proxime hostem, quoad mihi praeesse prouinciae per senatus consultum liceret.* Nec dubito, quin senatus id decreuerit, M. Marcello consule referente; ad quem haec scripsit lib. 15. epist. 9. *Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti.*

Te aedilem videre] Vt praesens honore tuo fruar.

Miro desiderio me vrbs afficit] *Mirum me desiderium tenet vrbis*, epist. 11. *Si non essem tamdiu in desiderio rerum mihi carissimarum*, epist. 12.

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Commendat Fabium a quinque rebus, probitate, doctrina, ingenio, modestia, amicitia sua. De rebus Romanis litteras exspectat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Viro optimo, et homine doctissimo] Coniungit bonitatem, et doctrinam: quia nec imperita bonitas, nec improba doctrina laudatur.

Vos magnos patronos] Iocatur cum laude Coelii, vt epist. 11. cum dixit: *Ista vestra oratoria.*

Vestra opera] Solent enim magni patroni graues tantum causas recipere.

Res

Res Romanas] Ἔμφασις est in verbo, *Romanas*. sic lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Ad quid laboramus res Romanas?* Et lib. 6. epist. 8. *Velim dispicias res Romanas.* Et alio loco: *Iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse.*

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Si quis Coelii tres epistolas legerit, quibus Cicero respondet, lib. 8. ep. 13. 17. is magnopere nostram interpretationem non desiderabit. Epistolae capita sunt haec, de supplicationibus suis, de filiae et Dolabellae nuptiis, de sua sollicitudine ob ciuiles discordias, de rationibus, quibus adductus C. Coelium, quaestorem suum, prouinciae praeposuerit; de Ser. Ocella in adulteriis deprehenso, de rebus ab aedili Coelio gestis, de suo ad vrbem reditu. Tota negotialis epistola: respondet enim ad ea, quae Coelii litterae significauerant. nam rationes de quaestore prouinciae praeposito, quis non videt ad negotiale genus pertinere?

EXPLANATIO.

Prudentius] Quia scripserat Coelius lib. 8. epist. 11. *ad pactionem descendimus.* quod optimum in re difficili Curionis et Coelii consilium fuit.

De supplicatione] Mihi confecta, quinque dierum, vt opinor. nam ordinaria, quae consularibus decernebatur, longior non fuit. quod ex Liuii loco docemur. is enim lib. 45. c. 2. de supplicatione Paullo Aemilio ob Macedonicam victoriam decreta, sic inquit: *Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem* v. *Id. Oct. cum eo die in quinque dies.* Extra ordinem Pompeio duplicata est, confecto Mithridatico bello, vt esset decem dierum, quae quinque fuerat. quamquam in orat. de prouinciis c. 11. modo decem, modo duodecim legitur. ego tamen decem probo: vt consularis duplicetur supplicatio: quam quinque dierum fuisse, exemplo Paulli, proxime recitato, cognoscitur. nam C. Mario supplicationem decretam plurium dierum, quam Paullo, id est, sex fortasse, aut septem, pauciorum quam Cn. Pompeio, cui duplicata est supplicatio consularis, quod ante contigerat nemini, declarat eadem oratio, et apte quadrat, vt, quemadmodum Pompeio quinque dies amplius, quam ceteris, item Caesari quinque amplius, quam Pompeio, extra ordinem tribuantur, vt essent quindecim omnino: quod, praeter eandem orationem, ostendit ipse Caesar lib. 2. de bell. Gall. c. 35. posteaque aliis rebus gestis, eandem quinque dierum accessionem esse factam, decretamque sibi viginti dierum supplicationem, idem scripsit lib. 4. c. 38. ibidem. *Supplicatio* autem dicebatur, cum populus vniuersus ad omnia deorum templa, caesis victimis, de victoria parta gratulabatur. quibus diebus nihil agere cum populo licebat;

cebat: vt lib. 2. ad Q. Fr. epist. 5. Cicero docet his verbis: *Consul est egregius Lentulus: dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus perniciosissimis obsistitur.* De gratulatione autem in supplicationibus ad omnium deorum aras facta, cum alibi, tum lib. 11. epist. 18. et lib. 15. epist 5. et Philip. vlt. c. 3. sic: *Gratae vero nostrae diis immortalibus gratulationes erunt, gratae victimae, cum interfecta sit ciuium multitudo.* Et in eadem, c. 14. *Praetor vrbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat.* Atque hic honor adeptis victoriam ciuibus, simul cum imperatoris nomine, a senatu decernebatur; vt ex eadem Philip. c. 4. et Coelii lib. 8. epist. 11. et aliis praeterea locis plane cognoscitur. A principio, vno tantum die supplicatum existimo; postea numerum ambitione auctum. ante Camilli victoriam de Veiis nemini quattuor dierum supplicatio decreta: vt ait Liuius lib. 5. c. 23. aliquot post annis Papirio et Caruilio coss. quia Samnites viciissent, item quattridui supplicatione publicum gaudium celebratum esse, idem lib. 10. c. 45. narrat. Senatus augendi, aut minuendi dierum numeri potestatem habuit: video enim, multis post annis Neroni et Salinatori, in maiore, quam Camilli, aut Papirii, Caruiliique victoria, nempe ob Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, cum exercitu caesum, trium dumtaxat dierum supplicationem decretam. quod ab eodem lib. 27. c. 51. proditum obseruaui.

Is] Hirrus.

Iratus] Quia superatus a Cicerone in petitione auguratus.

Ei] M. Catoni.

Diuinis laudibus] Non decreverat Cato supplicationem, locutus tamen erat honorifice de rebus ab eo gestis. vide epistolam ipsius Catonis, et eam, qua Cicero respondet, lib. 15.

Quae sequuntur] Triumphum significat: qui plerisque post supplicationem dabatur.

Dolabellam] De cuius affinitate gratulatus erat Coelius lib. 8. epist. 12.

Ea] Vitia quaedam Dolabellae, quibus illum sibi antea parum vtilem fuisse, et emendatum iri pudore Tulliae, scripserat Coelius.

Cui tuae epistolae respondeant] Cum qua congruant epistolae tuae. congruunt enim cum ea, qua reum a Dolabella factum esse Appium significaueras. hoc igitur videris dicere, moderatiorem in posterum fore. *Respondere* valet hic, consentire, conuenire. similitudinem enim significat. Epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat.* De Vniversitate: *Dextra dextris respondent.* Lib. 3. de Fin. c. 22. *Quid posterius priori non conuenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori?* In oratore c. 43. *Forensibus nostris rebus etiam domesticae litterae respondebunt.* Virgilius lib. 1. Aen. v. 585.

— *Dictis respondent cetera matris.*

Quae significatio cum et his, et aliis exemplis notissima sit, fugit eos tamen, qui legendum putant, *respondeam:* errore puerili: quo enim referetur, *ea?* quod ad, *respondeant*,

ant, spectare, nisi qui prorsus in litteris caeci sint, omnes vident. est autem ordo: scio, cui tuae epistolae respondeant ea, quae scribis Tulliae meae prudentia temperari posse. vt dandi casu, *tuae epistolae*, dictum sit, non nominandi, vt acceperunt ii, qui elegantissimum loquendi genus non agnouerunt: vnde temeritas, mutandique libido nata est.

Ex tuis litteris] In quibus Dolabellae sermonem perscripserat, de Tulliae nuptiis et Ciceronis affinitate gloriantis. de quo sic lib. 3. epist. 10. *Cuius sermo stultus et puerilis, erit iam antea ad me a M. Coelio, familiari nostro, perscriptus.* Hae Coelii litterae non exstant.

Misi ad Appium] Significat lib. 3. epist. 10.

Sic viuitur] Sic vitae consuetudo postulat.

Quod actum est, dii approbent] Lib. 3. epist. 12. *Ego vero velim mihi, Tulliaeque meae, sicut tu amicissime et suauissime optas, prospere euenire ea, quae, me inscionte, facta sunt a meis.*

Tua humanitas] Quae tua est humanitas, bonum et iucundum generum mihi praestabis.

Respublica] Perturbata contentionibus ciuium: cum ex Gallia reuocari Caesarem optimates cuperent, contra quam lege Trebonia concessum fuerat; tribuni vero plebis, maximeque Curio nihil contra Caesaris existimationem decerni pateretur. lib. 8. epist. 11. et 12.

Faueo Curioni] Quem a puero dilexerat. epist. 1.

Caesarem] Cuius in Gallia legatus fuerat Q. Cicero: et summam erga se, fratremque suum liberalitatem extollit Cicero lib. 1. epist. 9.

Honestum esse] Ne honor eius imminuatur. imminuitur autem, si, ante datum lege tempus, ex prouincia reuocatur.

Emori possum] Cuius in primis opera sum ab exsulio restitutus. sic lib. 8. ad Attic. epist. 2. *Pro Pompeio lubenter emori possum. facio pluris omnium hominum neminem.*

Non valde te iactas] Nondum Coelius ad Caesaris caussam propendebat.

Bonus ciuis] Faues enim optimatibus, et senatui; quia Caesarianos homines diligis, maximeque C. Curionem, et M. Antonium. Scripserat enim Coelius lib. 8. epist. 14. *Mearum rerum quid consilii capiam, non reperio. Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudo est; tum caussam illam, non homines odi.*

Coelium] C. Coelium, ad quem scribit epistolam vltimam huius libri.

Praeposui] Vt, praeter quaestoriam potestatem, auctoritate atque imperio proconsulis vteretur. quo modo enim sine imperio, si res ferret, bellum gerere potuisset? ideo P. Sextius proconsul vocatur lib. 5. epist. 6. qui tamen quaestor in prouinciam profectus erat. Nec aduersatur illud lib. 7. ad Attic. epist. 7. *Senatum bonum putas, per quem sine imperio prouinciae sunt?* Nam significat eos, quos senatus, populusque cum imperio mittere consuesset. praeerant enim

quaestores, aut legati, a decedentibus proconsulibus relicti.

Puerum] Sic lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Nos prouinciae praefecimus Coelium: puerum, inquies, et fortasse fatuum, et non grauem, et non continentem. assentior: fieri non potuit aliter. Nam, praeter fratrem, nemo erat, quem sine contumelia quaestori, nobili praesertim, anteferrem.*

Nobilem] Non sua, sed maiorum virtute. adhuc enim erat adolescens. *nobiles* autem non patricii tantum, sed plebeii etiam homines appellabantur. honoribus enim, qui aliqua virtute excelleret, Romae nemo excludebatur.

Omnium fere exemplo] Plerique enim, de prouincia decedentes, praeponere quaestorem solebant. epist. 18. Legebatur olim in vulgatis omnibus libris, *exemplum*. nos ex antiquis, et more Latini sermonis, et ex ipsa quoque sententia, primi reposuimus, *exemplo*.

Pomtinus ERN. *Pontinius*] Qui legatus fuerat Ciceronis, et Coelium honore superabat, non quod legatus, sed quod praeturam gesserat, atque etiam de Allobrogibus triumphauerat. praeturam Cicero, Sallustius, Epitome Liuiana, triumphum Dio nominat.

A Q. fratre] Legato, qui et ipse praetorius erat, Asiamque per triennium rexerat. Quattuor legatos habuit Cicero in prouincia, fratrem, Cn. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium: quos nominat lib. 15. epist. 4.

Vt senatus voluisset] Facto senatus consulto, de quo epist. 7. et 13. huius libri, et 6. lib. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Videbam sermones: hui! fratrem reliquit? num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam? quid, quod senatus eos voluit praeesse prouinciis, qui non praefuissent? at hic triennium.*

Quoniam alterum me reliquissem] Nonius: *Fratrum proprietatem Nigidius acutissime dixit: Frater est, inquit, dictus, quasi fere alter.*

Senatum eos voluisse prouinciis praeesse] Senatus hoc decreuerat eo senatus consulto, quod Coelius ad Ciceronem misit cum epist. 8. lib. 8.

Duorum] Pompeii, et Caesaris: de quibus lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Pompeius, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium: ego sorte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eum, quem reliquissem? Hoc melius: et huius rei plura exempla.*

Omnes Cassios Antoniosque complexi sunt] Eius enim honoris causa, quem Pompeius in Q. Cassium, Caesar in M. Antonium contulit, ab vniuersa gente Cassia gratiam inierunt.

Nobilem ERN. *Hominem adolescentem*] Pro, *adolescentem*, vt lib. 1. de Orat. c. 25. *Neque haec in eam sententiam disputo, vt homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream.*

Alienare nolui] Esset enim ignominia, si quem ei anteferrem. epist. 18.

De Ocella] De Ser. Ocella, triduo bis in adulteriis deprehenso. *Ocellas*, ab oculorum paruitate nomina-

minatos, Plinius significabat lib. 11. c. 37.

Parum plane] Quia Coelius, vbi deprehensus esset Ocella, significare noluerat. vide lib. 8. epist. 10.

In actis] Quibus vrbanae res singulorum dierum scribebantur. Tacitus lib. 3. Annal. c. 3. *Matrem Antoniam, non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio, vllo insigni officio functam.*

Trans montem Taurum] Vbi erat Cicero, cum de Matrinio cognouit.

De Matrinio] Matrinium, scribam aedilicium, nominat in orat. pro Cluentio c. 45. Videtur Coelius aedilis curulis aliquid aduersus eum, vel etiam pro eo, reipublicae aut amicitiae caussa fecisse.

Sit auditum] Non igitur Coelius id scripserat.

Etesiae] Venti a Septemtrione ad Occidentem, inde in Orientem flantes, vt lib. 2. Met. docet Aristoteles: itaque cursum Ciceronis impediebant, in Italiam ex Graecia nauigantis. Flare incipiunt VI. id. Iul. diebus octo ante caniculae ortum, vt ait Columella, nec desinunt nisi post dies XL. auctore Plinio. Gignuntur, vt eodem libro docet Aristoteles, humorem dissoluente Sole in Septemtrionis regione collectum. lib. 12. epist. 25. et lib. 15. epist. 11. et lib. 6. ad Attic. epist. 7. et 8.

Celeriter] Iam enim de prouincia decesserat: quod paullo ante dixit.

EPISTOLAE XVI.

ARGVMENTVM.

Tribus annis epistolae Ciceronis ad Coelium datae sunt: prima, secunda, tertia, M. Marcello, Ser. Sulpicio coss. quarta, quinta, sexta, septima, octaua, L. Paullo, C. Marcello coss. nona L. Lentulo, C. Marcello coss. Haec vltima respondet iis litteris, quibus eum Coelius obsecrauerat, ne se cum Pompeio coniungeret, sed in opidum aliquod bello vacuum recederet, donec armis ciuilis contentio diiudicaretur. earum litterarum initium est: exanimatus sum tuis litteris, *lib. 8. epist. 16. Magnum, inquit Cicero, dolorem ex litteris tuis accepissem, nisi diuturna mihi rerum desperatio paene omnem iam doloris sensum ademisset. Nec vero consilium meum hoc fuit, vt pro Pompeio contra Caesarem pugnarem, sed vt in aliquas fortasse solitudines discederem. nihil enim ciuilibus armis odiosius. Caesaris ira non me mouet, cum eadem omnibus calamitas impendere videatur. Filius meus, cuius caussa vis me mihi carum esse, ac de mea calamitate laborare, si erit aliqua respublica, sustentabitur memoria nominis mei; si nulla, cum reliquis ciuibus concidet. De genero meo Dolabella, noli dubitare, quin eam, quam debeo, curam sustineam. Hispaniensis belli exitum non exspecto: quorsum enim? aut mihi, incolumi ciuitate, locus erit: aut, perdita, quod reliquum est vitae, in solitudine traducere deliberatum est. Verum haec fortasse meliorem exitum habebunt. Tu tamen, vbicumque*

que ero, me liberosque meos, vt nostra postulat amicitia, diliges, ac tuebere. Negotialis est epistola, quia de itione ad Pompeium disserit, quod Coelius dissuaserat. C. Marcello L. Lentulo coss.

EXPLANATIO.

Magno dolore] Quia tota Coelii epist. 16. scripta est miserabiliter, praesertim in eo loco: *Si tibi tu, si filius vnicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt: si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet etc.* Et lib. 10. ad Attic. epist. 9. *M. Coelii epistolam, scriptam miserabiliter, cum hoc idem obsecraret, vt exspectarem, ne fortunas meas, ne vnicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri.*

Ratio ipsa] Quae nihil dolendum ostendit, quod absit a culpa.

Desperatione rerum] Cum iam pridem de republica desperauerim.

Obduruisset] Sic, vt nouum dolorem non sentiat. lib. 4. epist. 5. *Qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet?* lib. 9. epist. 2. *Consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho.* lib. 2. ad Attic. epist. 18. *De Statio manumisso, et nonnullis aliis rebus, angor quidem, sed iam prorsus occallui.* lib. 13. ad eundem epist. 2. *Sed iam ad ista obduruimus, et humanitatem omnem exuimus.*

Ex meis superioribus litteris] Hae litterae non exstant.

Querelam temporum] Accusabam tempora: nihil tamen me triste cogitare, quod tu scribis, ostendebam.

Sollicitum haberet ERN. *haberent*] Sollicitarent; vt lib. 7. epist. 3. *Sollicitum te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei.* Eodem modo lib. 9. ad Attic. epist. 19. et lib. 16. epist. 1. *mare infestum habere*, pro infestare. quo modo etiam locutus est lib. 3. de repub. apud Nonium. et Varro in libris Rerum humanarum, *multa*, inquit, *loca, infesta habuerunt singulari latrocinio.* Sollicitabant autem Ciceronem tempora, quia belli ciuilis, id est, publicae calamitatis, initia videbat.

Ab excitata fortuna ad inclinatam] Excitata Caesaris, inclinatam Pompeii: cum Caesar Italiam, ejecto Pompeio, teneret. translata sunt, *excitata, inclinatam, iacentem.*

Collectam gratiam effunderem] Alia translatio, nec obscura sententia.

Florentissimi hominis] Caesaris, cuius ita prospera fortuna erat, vt nihil ei deesse videretur.

A meque ipse deficerem] Qui semper id egi, ne ciuili bello interessem.

Initio] Belli ciuilis.

Meum triste consilium] Quod ostenderat in litteris ad Coelium.

Vt discederem fortasse] Non vt irem ad Pompeium; quod tu suspicatus es; sed vt discederem fortasse in aliquas solitudines; non modo vt abessem a bello, sed etiam, ne quosdam homines viderem, quorum indignitatem fastidiunt oculi mei. Notat quorundam Caesarianorum insolentiam, qui, Caesare vrbis potito, nimis arroganter se iactarent, bonosque viros, id est opti-

optimates, quorum in numéro Cicero erat, contemnerent.

Quondam] Significat illud tempus, quo Coelius contra ciues improbos pro republica senserat. nam, vt Cicero scripsit in Bruto c. 79. talis tribunus plebis fuerat, *vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum caussa steterit constantius.*

Oculorum] Nec stomachus, inquit, meus, nec oculi quosdam homines ferre possunt. itaque solitudinem fortasse cogitaui.

Indignitate] Quod ab iis, contra quam deceat, multa fiant. scripserat Coelius epist. 16. *Si nonnullorum hominum insolentiam et iactationem ferre non potes: eligas, censeo, aliquod opidum, vacuum a bello.* lib. 9. epist. 2. *Putaret, me ideirco discedere, quod quosdam homines oculi mei, ferre non possent.*

Pompa lictorum] Lictores habebant, quicumque erant cum imperio. Cicero autem e prouincia reuersus, nondum in vrbem introierat, spe triumphi: quod vrbem ingredientibus deponendum erat imperium, nisi si triumphantes introirent: quo die tantum lex imperium in vrbe dabat. habebat igitur secum lictores, eosque cum fascibus laureatis, et imperator vocabatur. quo fiebat, vt in solitudinem, et in latebras abdere se non posset. *Pompam* vocat, quia lictores cum laureatis fascibus proconsuli praebant.

Onere] Quidam libri, *honore.* placet, *onere:* vt ad illud respondeat, *molesta haec pompa;* et cum stomacho dictum sit: quod, qui specie sit honor, ei vere tali tempore sit onus.

In oculos] Qui praeferri vident laureatos fasces, aliquid in nos contumeliose dicunt: quasi stulte cogitemus de triumpho, pulso iam Italia Pompeio, quem secuti sumus.

De profectione] Ad Pompeium, in Graeciam. iam enim mare transierat.

Vobis] Te, et meis.

Mea praediola] Propinqua mari: de quibus vide lib. 14. epist. 14. et 18.

Necesse est] Non quia nauigationem cogitem, sed ne amicis molestus hospitio sim. sic lib. 7. epist. 23. *Libentius emerim diuersorium Terracinae, ne semper hospiti molestus sim.*

In maritimis] In villis et opidis, ad mare sitis.

In maritimis facillime sum] Pro, *libenter sum:* vt lib. 12. ad Attic epist. 34. *Ego hic vel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, vt in malis.* Et lib. 2. de Offic. c. 19. *Diserti igitur hominis, et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum caussas, et non grauate, et gratuito defendentis, beneficia, et patrocinia late patent.*

Navigare] Ad Pompeium.

Qui conuenit] Mihi, qui semper pacis auctor fui. lib. 7. epist. 23. *Martis signum quo mihi, pacis auctori?*

Contra eum] Caesarem.

Satisfeciſſe] Quod adhuc me cum Pompeio non coniunxerim, nec interesse bello voluerim.

Nullo modo] Licet ad Pompeium nauigem, non tamen ei plane satisfaciam: quia serius ad eum

quam

quam voluerat, iuerim. Respondet ad eam Coelii sententiam epist. 16. *Denique illud cogita: quod offensae fuerit in ista cunctatione, te prius subisse. nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est.*

Mihi obuiam venisti] Ad vrbem ex prouincia reuertenti.

Non te celaui sermonem T. Ampii: vidisti, quam abhorrerem ERN. *Sed nonne tum prouidisti*] Emendaui (sic enim arbitror) locum ex coniectura, adiuuante veterum librorum varietate: quorum habet vnus meus, et alter, qui Leonici fuit, *sed sermonem tuum prouidisti*: alius, *sed nomen tuum prouidisti*: Sigonii vnus, *sermonem tuum prouidisti*: alter eiusdem, *si nomen tuum prouidisti*: cum quo video consentire veterem item librum, quem praestans ingenio et doctrina vir, mihique carissimus Pax Scala, sumptum ab optimo, et in primis erudito Ottonello Discalcio, proximis diebus ad me attulit. Fuluii Vrsini, doctissimi viri, vnus, *sermonem tam pium audisti*. Mediceus et ipse, vt arbitror, mendose, *sermonem Tampii vidisti*. cum quo videtur consensisse liber Petri Pagani, in quo nunc, derasa charta, legitur, *sermonem tam pium vidisti*.

Ab vrbe relinquenda] Quod Pompeii consilium Cicero numquam probauit. testes ad Atticum epistolae.

Omnia potius] Rebus omnibus a Pompeio, et ab iis, qui, Pompeio duce freti, bellum ciuile cupierunt, pessime gestis.

Nihil tam fugisse] Quod ostendit, sero admodum ad Pompeium profectus, de quo sic ad Marcellum lib. 4. epist. 7. *Neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem.* Et ad Caecinam lib. 6. epist. 6. *Susceptum bellum est, quiescente me; depulsum ex Italia, manente me, quoad potui.*

Q. Hortensium] Ciceronis aemulum in eloquentia.

Bello ciuili] Sullanis temporibus gesto.

Non arbitror] Ob ea, quae fortiter in consulatu gessimus. lib. 5. epist. 2. suam in consulatu fortitudinem nominat.

Nec me ista terrent] Scripserat Coelius epist. 16. *Si existimas eandem rationem fore Caesari in dimittendis aduersariis, et conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox et saeuum cogitat, atque etiam loquitur.*

Mones, vt caueam] Coelii verba sunt epist. 16. *Cogita, ne te tuosque omnes funditus euertas: ne te sciens prudensque eo demittas, vnde exitum vides nullum esse.*

Redemissem] A republica in me ipsum transtulissem. redimit enim, qui aliquid in se recipit: et publicani, vectigalia suo periculo conducentes, *redimere* dicebantur.

In memoria ERN. *Memoriam nominis mei*] Egregia sententia, egregieque dicta: memoria nominis mei, si erit vlla respublica, [satis amplum filio meo patrimonium futura est. In orat. pro domo c. 58. *Liberis nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae, relinquemus.* Et lib. 1. de Offic. c. 33. *Optima hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praestantior,*

tior, gloria virtutis, rerumque gestarum. Sic et Hocrates ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τοῦ βασιλεύειν· Περὶ πλείονος ποιοῦ, δόξαν καλὴν ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν· ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος.

Generum meum] P. Cornelium Dolabellam.

Adolescentem optimum] Coelius *virum optimum* appellat lib. 8. epist. 13.

Hac tamen ERN. *Haec tantum*] Nonnulli veteres libri, *tamen:* quod ideo magis placet, quia verbum, *oblectabar*, quod in communibus miseriis locum habere non videtur, excusat.

Speculo] Vnde nata? e communibus miseriis, id est, e ciuili bello: quod aeris alieni molestia Dolabellam meum liberabit. quae mihi in tantis malis, vnica oblectatio est. *Speculam* vero potius, quam spem, vocat, non quia reuera exigua spes esset: (plane enim videbat, cum iam Caesar vrbe Roma, vniuersaque Italia potitus esset, fore neminem, qui Dolabellam, Caesaris amicissimum, de creditis pecuniis auderet appellare: itaque, quod ad Dolabellam attinet, spes illa summa erat) sed quia, si cum publica calamitate conferretur, minimum quiddam esse videretur. Sic Philip. 10. c. 5. *Erat ei specula in C. Antonio.* Et Plautus in Persa Act. 2. Sc. 5. v. 9.

Ecquid, quod mandaui tibi? estne quid in te speculae?

Aduertit Priscianus lib. 3 *In* es *producta desinentia, feminina tertiae declinationis vel quintae, abiecta* s, *assumere* cula, *et facere deminutiua, et seruare* e *productam, vt* dies, diecula, res, recula: *et reliqua similia, exceptis duobus,* merces, *vnde* mercedula, *non* mercula; *et* apes, *vnde* apicula, *non* apecula.

Ab iis molestiis] Ab aere alieno: cuius causa, vt creari tribunus plebis posset, plebeius postea factus est, legemque de tabulis nouis promulgauit, de quo queritur Cicero lib. 11. ad Attic. epist. 23. his verbis: *O dii, generumne nostrum potissimum, vt hoc, vel tabulas nouas?* Dio etiam hoc aperte narrat lib. 42.

Libertate ERN. *Liberalitate sua*] Immoderatos generi sumptus honesto nomine *liberalitatem* appellat. Miror hic nonnullis placere, *libertate*, referentibus ad Appii accusationem. quasi vero Dolabella de Appio, eiusque amicis, propinquis, affinibus valde laboraret: aut illa propter Appium Cicero subiungere debuerit: *Velim quaeras, quos ille dies, etc.* quis nescit, viros nobiles ab adolescentibus gloriae cupidis accusari solitos esse, nec ideo tamen eorum inimicitias timori fuisse?

Quam acerbos sibi] Cum satisfacere creditoribus non posset.

Hispaniensem casum] Hispaniensis belli exitum. Coelii verba epist. 16. *Quod si totum tibi persuadere non possum: saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta; quas tibi nuncio aduentu Caesaris fore nostras.*

Ita esse, vt tu scribis] Venturas esse in Caesaris potestatem.

Astute] Astute agerem, si exitum Hispaniensis belli exspectarem, vt ex eo vel manendi, vel discedendi consilium caperem; manendi, si Caesar vinceret; discedendi, si duriore fortuna idem vteretur.

In

In easdem solitudines] Simulare Ciceronem ne putemus, quod, cum hic se solitudines cogitare ostendat, ad Pompeium tamen paullo post nauigauerit. diu enim quid ageret, incertus consilii fuit; cum ad Pompeii societatem officium ac pudor impelleret; ad mansionem autem non modo preces amicorum, sed propinquorum etiam lacrumae hortarentur. Lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Melitam, opinor, capessamus, dum, quid in Hispania: quod quidem propemodum videor ex Caesaris litteris ipsius voluntate facere posse; qui negat, neque honestius, neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse. Dices, vbi ergo ille tuus animus, quem proximis litteris? adest, et idem est. sed vtinam meo solum capite decernerem! lacrimae meorum me interdum molliunt, precantium, vt de Hispaniis exspectemus.*

Vaticinor] Non, diuino, sed, alucinor, et insanio: vt in orat. pro Sextio c. 10. *Eos, qui dicerent, dignitati esse seruiendum, reipublicae consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, esse ducendam, subeunda pro patria pericula; vulnera excipienda, mortem oppetendam: vaticinari atque insanire dicebat.*

Desperationes] Contendentibus de singulari potentia Sulla et Mario: quo tempore senes boni viri numquam fore sperabant, vt salutem ac dignitatem afflicta respublica recuperaret.

Aetatis vitio] Friget enim, ac deficit in senectute sanguis, et cum sanguine animus. itaque non facile ad melioris fortunae spem erigitur. quod tamen euenit contra, Sulla mortuo.

Sed tamen] Potest omnino fieri, vt aetatis vtar vitio, vt illi, qui desperem, cum desperandum fortasse non sit: verumtamen pessimo in statu rempublicam esse, ex eo cognoscitur, quod magistratus Oppio paratur, Caesaris amico, qui, republica salua, contemptus iaceret.

Togam praetextam] Quinque hominum genera praetextis togis vtebantur, pueri, ad ineuntem aetatis annum 17. magistratus omnes, vel vrbani, vel qui erant in coloniis et municipiis; magistri ludorum compitaliciorum; senatores, cum deorum festos celebrabant dies; sacerdotes, quorum e numero augures erant. Triumphantes quoque praetexta vsos esse, videtur indicare Valerius Max. lib. 7. c. 1. cum ait: *Consulatus decus, imperatoriam potestatem speciosissimi triumphi praetextam largita est.* Sed hoc praetextae genus ab illo superiore, quod in quinque hominum genera distribuimus, aliquo distinctum fuisse ornamenti genere, omnino crediderim. Cicero, Liuius, Pedianus, Macrobius, alii.

Curtius] Fortasse est Postumus Curtius: de quo lib. 9. ad Attic. epist. 2. *Currens ad illum Postumus Curtius venit, nihil nisi classes loquens, et exercitus: eripiebat Hispanias, etc.* Quibus ex verbis, amicum Caesaris fuisse, constat.

Dibaphum] Purpuram bis tinctam, praestantiorem ea, quae semel tingebatur: vt ostendit lib. 9. c. 39. Plinius. Auguratum arbitror significari. nam lib. 2. ad Attic. epist. 9. *Vatinii*, ait, *strumam sacerdotii*

διβάφῳ

διαφθω *vestiant*. loquitur enim de auguratu Q. Metelli Celeris, paullo ante mortui, cuius in locum Vatinius surrogari cupiebat: quod ex oratione in ipsum facile cognoscitur.

Infector moratur] Vide, inquit, qui status reipublicae sit: audet Curtius dibaphum cogitare: sed, quod cogitat, non facile consequetur: vel quia Caesar differt: vel quod is est, qui nullo modo auguratum populi comitiis obtinere possit. vt, *infector*, vel de Caesare dicatur, vel de ipso populo, cuius suffragiis hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus, tribunus plebis. qua de re pluribus verbis in libro nostro de Legibus.

Tamen in stomacho] Quamquam sim iratus. est enim in stomacho sedes iracundiae. hinc *stomachum facere*, pro, iracundiam commovere, lib. 1. epist. 9. et *stomachosae litterae*, iracundae, lib. 3. epist. 11. Stomachabatur autem, quod toga praetexta Oppio texeretur, quod Curtius dibaphum cogitaret: quae, si quieta respublica esset, sperare non auderent. *Ridere in stomacho*, leporem quendam habet e contrariorum societate: vt lib. 1. epist. 9. *sed in molestia gaudeo*. Quo loco plura.

Ridere] Iocari. nam in eo iocus est, *eum infector moratur*. lusisse enim videtur, *dibaphum infector*.

Videas] Curam suscipias, vt eius incommodis, si fieri potest, medeare.

Quibuscumque erimus in terris] Haec verba cogitare omnino de discessu Ciceronem significant: etsi possunt etiam ad solitudinem referri.

Tua fides] Quae cum amicitiae nostrae, tum consuetudini quoque tuae debetur.

EPISTOLAE XVII.

ARGVMENTVM.

Sallustius Bibulo proconsuli quaestor erat in Syria. eius binis litteris Cicero respondet, prioribus multa, eodem ordine, quo scripserat Sallustius, posterioribus causas exponit, cur eum Bibulo commendare non debeat: se tamen eius voluntati morem gessisse significat. L. Paullo et C. Marcello coss.

EXPLANATIO.

Caninio Sallustio] Moneo lectorem, in omnibus antiquis libris, quos quidem aut habeam nunc, aut umquam habuerim, *Caninio*, legi: quod si mendo vacat, legendum fortasse, *Caninio Sallustiano*, id est, e Sallustiis in Caninios adoptato. certe *Caninio Sallustio*, iunctis duarum familiarum nominibus, emendatum esse non potest. Mediceus liber, *Caninio Sallusti*. in eiusdem tamen libri indice, *Sallustium*, omisso *Caninii* nomine. Sunt, qui ex ingenio legant, *C. Sallustio*.

Proquaestori ERN. *Procos.*] Secutus sum meos veteres libros:

quibus in omnibus est, *Procos.* non *Proquaes.* etsi nouum omnino videtur, cum proconsul adhuc in prouincia sit, alterum eodem nomine appellari. nondum enim Bibulus de prouincia decesserat. fieri tamen potest, vt Caninius hic a Bibulo, breui discessuro, prouinciae praeponeretur, potestate in eum translata. et fortasse cognomen ei fuit Veientoni. nam Bibulus decedens prouinciae Veientonem praefecit. lib. 7. epist. 3. eodem modo *proconsul* appellatur P. Sextius lib. 5. epist 6. qui tamen quaestor cum Antonio proconsule in Macedoniam profectus erat. quo item in loco mendum cum irrepsisset in recentiores libros; et *Proquaestori*, legeretur; nos e septem antiquis, *Proconsuli*, reposuimus.

Litteras] Binas: nam infra nominat eius alteram epistolam.

Stator tuus] Indicat hic locus, quaestores, item vt proconsules, statoribus vsos esse. lictoribus autem et viatoribus carebant, vt ex Varrone docet Gellius lib. 13. c. 12. itaque nec vocationem, nec prehensionem habebant.

Tarsi] Vrbs Ciliciae fuit, quo se Cicero contulerat Non. Iun. lib. 6. ad Attic. epist. 4.

Nec quemquam fore arbitror] Non fefellit eum coniectura. nemo enim successit, impedimento prouinciis omnibus obiecto, quia senatus consulto de prouinciis intercessum a tribunis plebis, ne successor Caesari mitteretur. vide lib. 8. epist. 5.

Ad diem] Venerat in prouinciam pride Kal. Sext. vt scripsit lib. 3. epist. 6. eodem die igitur decedendum erat, anno confecto III. Kal. Sext. De quo sic lib. 6. ad Attic. epist. 2. *Annuae mihi operae a. d.* III. *Kal. Sext. emerentur.* Et ibidem, 3. *Mihi a. d.* III. *Kal. Sext. de prouincia decedendum est.*

Ciceronum caussa puerorum] Lib. 6. ad Attic. epist. 7. *Rhodum volo puerorum caussa: inde quamprimum Athenas.*

Reipublicae] Cuius turbulentum esse statum si cognouero, subsistam in itinere.

Successor tuus] Marius, quem nominat infra.

In Asia] In ea parte Asiae, quae ad Ciceronis prouinciam pertinebat: tres enim ei Asiae dioeceses attributae erant. lib. 13. epist. 67.

De rationibus referendis] Lex Iulia, quam C. Iulius Caesar consul tulerat, prouinciarum rationes referri iubebat. eam legem, quia contra auspicia lata esset, Bibulus, Caesaris inimicus, seruare nolebat: quem Sallustius decreuerat imitari. lib. 5. epist. 20. et orat. in Pisonem c. 25.

A Bibulo] Syriae proconsule. Praefuerunt Syriae, vt a primo incipiam, consularis Pompeius Magnus, mox ab eo decedente praepositus, quaestor M. Aemilius Scaurus; praetorii, L. Marcius Philippus, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus; consulares A. Gabinius, M. Licinius Crassus, M. Calpurnius Bibulus, quaestor Caesaris, Sex. Iulius Caesar, Decidius Saxa. Haec ex Appiano, Dione, aliis.

Certa quadam ratione] Propter inimicitias et contentiones in consulatu: cum Bibulus, Caesare legem ferente, impediendi caussa de

de caelo seruaret; Caesar autem, contemptis auspiciis, nihilo secius legem perferret. Suetonius, Plutarchus, alii.

Apamea] Probo coniecturam eorum, qui *Epiphanea* legunt: quae erat vrbs periculo Parthici belli multo propinquior, quam Apamea. De Apamea Strabo lib. 16. et ait esse conditam a Seleuco Nicatore, Apameamque ab eius vxoris nomine nuncupatam. eandemPhrygiarum vrbium maximam, et commune Graecorum Italorumque hospitium fuisse, conditamque non a Seleuco, sed ab eius filio Antiocho, a se ipso dissentiens ait lib. 12.

Deduci] A me.

Non oportuisse] Ob irruptiones Parthorum.

Ceteros] Malim, *certos*, vt est in duobus antiquis libris: ne sit communis omnium, sed quorundam tantum opinio de praesidio non deducendo. alioqui paucis versibus pugnantia loqueretur: cum subiungat: *Omnia praesidia, commotus hominum non dubio sermone, dimisi.*

Minus commodos] Cum aliqua contumelia, parum gratos. *Litterae commodae*, dixit lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

Transierint] Euphratem, domum redeuntes. confirmatur infra, iis verbis, *commotus hominum non dubio sermone, dimisi.* Euphrates autem imperii Romani ad Orientem terminus fuit.

Omnia praesidia] Non Apameae tantum, sed locis pluribus collocata.

Magna et firma] *Magna* militum numero; *firma*, vsu belli, et fortitudine.

Mei quaestoris] Non C. Coelii, sed Mescinii. quod ex lib. 5. epist. 20. et lib. 13. epist. 26. cognoscitur.

Apameae] De Apamea iam statuerat, nondum fortasse de Laodicea. quod ideo dico, quia lex Iulia rationes deponi non apud vnam, sed apud duas ciuitates iubebat, et earum exemplum ad vrbem deferri. itaque deposuit eas Cicero Laodiceae, et Apameae. lib. 5. epist. 20.

De praeda mea] De tota praeda, me imperatore facta.

Quaestores vrbanos] Ad quos, Romam reuersus, praedam in bello factam deferre cogitabat. hoc modo coniungendum: praeter quaestores vrbanos, ne teruncium quidem tacturus est quisquam.

Populum Romanum] Cuius pecunia curabatur a quaestoribus vrbanis.

Teruncium] Argenteum nummum, a tribus vnciis appellatum: respondebat aereo quadranti: vt esset quarta pars libellae: quae erat argenteus nummus, ita nominatus, quia valore assi aereo librali responderet. imminuto postea assis pondere, libellae tamen vetus nomen mansit, habita ratione libralis assis, qui principio Romae percussus est.

Laodiceae] Hanc vrbem numero inter Asiaticas tres διοικήσεις, Ciceronis imperio attributas; cum in eorum imperio soleret esse, qui Asiae praeerant. vide lib. 13. epist. 67.

Praedes] Vt, quantum hic pecuniae depono, tantum mihi Romae ex permutatione numeretur.

Et mihi et populo] Eius enim pecuniae pars ad ipsum, reliqua ad populum Romanum pertinebat.

Drachmis] Drachmarum octo genera fuere, Attica, Euboica, Babylonica, Corinthiaca, Aegyptia, Aeginetica, Hebraica, Syriaca. Sed Atticam duplicem inuenio, priorem vsque ad Solonem obseruatam, posteriorem a Solone inductam, minore quidem pondere, sed eodem, vt arbitror, numero in mina. Solonis enim drachmae leuiores antiquis erant quarta parte ipsarum antiquarum: vt nonaginta sex Solonis drachmae non plus ponderis haberent, quam septuaginta duae superiores. quod ex Plutarcho videmur posse coniicere. ait enim, centum drachmarum a Solone minam esse factam, cum antea septuaginta trium fuisset. quibus verbis non id, opinor, significat, pauciores in mina drachmas ante Solonem fuisse: (nam mihi non fit verisimile, variatum esse in Attica mina drachmarum numerum: licet Fannius et Priscianus, inter se quoque dissidentes, ille septuaginta quinque, hic octuaginta drachmarum minam constituant) sed illud, centum drachmas, a Solone percussas, non plus habuisse ponderis, quam septuaginta quinque superiorum temporum. quod idem erat, si dixisset, e drachmarum septuaginta quinque veterum pondere nouas centum a Solone factas. In quo illud operae pretium est animaduerti; cum dicimus in mina drachmas centum fuisse, drachmas quidem centum numero significari, sed pondere tantum nonaginta sex; cum in eo pondere centum ferirentur, quattuor centesimas lucrante officina. ita septuaginta duae pondere, numero erunt septuaginta quinque; et quadraginta octo, quinquaginta: et viginti quattuor, viginti quinque: cum drachmam vnam in viginti quinque officina lucretur: quae sunt duae in quinquaginta, et tres in septuaginta quinque, et quattuor in centum: quas modo centesimas quattuor appellaui. De hoc posteriore drachmarum genere, a Solone inducto, loquitur Liuius lib. 34. c. 52. cum ait, in tetradrachmo denarios fere tres inesse, ex quo fit, vt, cum in mina sint tetradrachma viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, drachmae centum numero, pondere autem nonaginta sex, in eadem mina sint denarii ter viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, septuaginta quinque numero, pondere septuaginta duo. Nec vero, quia Liuius addidit, *fere*, propterea quisquam dubitet. nam, cum monetae pondus paulum nonnumquam et apud Graecos, et apud Romanos imminui non ignoraret, ideo, veritus, ne quando tetradrachmum, et denarii tres officinarum fraude minae aequarentur, de incerta re sibi plane affirmandum iure non putauit. Cum igitur et denarius et antiqua drachma aeque superent Soloninam drachmam quarta vtriusque parte, tertia vero Soloninae; patet, eiusdem esse ponderis denarium et antiquam drachmam; et ex eo sequi, vt septem antiquae drachmae in vncia Romana feriantur, aeque ac denarii: in vncia vero Attica denarii octo, aeque ac drachmae. Sed, quoniam Solon, cum drachmae pondus minuit, id maxime secutus est, vt debitores onere leuarentur aeris alieni; propterea drachmae pondus in moneta dumtaxat imminutum, in medicinis autem videtur idem remansisse,

manſiſſe, vt a denarii pondere nihil differret. ideo ſcripſit Plinius lib. 21 c. vlt. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus.* fere enim Attica obſeruatione medici vtuntur. Quod ſi ita eſt: mirari non ſatis poſſum, cur et Varro apud Plinium, et Feſtus, et Pollux de priore drachma, quaſi adhuc in moneta etiam, non in medicina tantum obſeruaretur, ita loquantur, tamquam Solonina obſoleuiſſet. aeſtimant enim talentum ſex millibus denarium. qua aeſtimatione denarium drachmae reſpondere perſpicuum eſt. quod retellit Liuii locus ſupra recitatus. Huius explicandae quaeſtionis non equidem rationem vllam inuenio: neque me vel Budaei doctrina, vel Agricolae diligentia, vel omnino cuiusquam libri iuuant. non enim affirmare auſim, quod interdum cogitaui, L. Sullam, captis Athenis, leges, et inſtituta, ſimulque drachmam a Solone inductam, immutaſſe: cum id neque Plutarchi, nec omnino cuiusquam antiqui ſcriptoris teſtimonio comprobetur quare ſcrupulum ſaltem, qui me angit, occultandum non putaui; vt haberent alii, quo ingenium intenderent; cum ipſe, quantum res poſtulat, praeſtare non poſſem. De mina vero, ſiue illa antiqua, ſiue poſteriore, a Solone inducta, hoc amplius dixerim, neutram libraе Romanae aequalem pondere fuiſſe. antiqua enim grauior, poſterior levior, quam libra, fuit. probemus vtrumque. In Solonis mina denarios tantum fuiſſe ſeptuaginta duos, cum de tetradrachmo ageremus, oſtendimus. at in libra Romana denarios octuaginta quattuor Plinius et Celſus ponunt. ſunt igitur in libra Romana duodecim denarii plures, quam in mina Solonina. quod idem eſt, ac ſi dicas: libra ſuperat pondere minam Soloninam ſeptima ſui parte, ſexta Soloninae. In drachma vero antiqua ſi tantundem eſt ponderis, quantum in denario; quod iam probatum eſt: ſequitur, vt, quemadmodum drachmae ſunt in mina nonaginta ſex, item denarii totidem in libra ſint. quod falſum eſt. fuere enim tantum octuaginta quattuor. ita fit, vt libra pondere ſuperetur a mina antiqua ſeptima ſui parte, octaua vero minae. Veriſimile autem eſt, libram Romanam, quemadmodum ab Attica vtraque mina differt, ſic Euboicae reſpondere: quia maior Africanus, cum Antiocho regi tributi leges imponeret, talenta Euboica praeſcripſit; quaſi nihil, aut certe parum Euboica mina differret a libra Romana. Concludimus igitur ſic. Octo drachmae antiquae Atticae aequales pondere ſunt octo denariis; octo Soloninae, ſex denariis: octo Euboicae, ſeptem denariis. Nunc, vt nihil omittatur, quod ad drachmarum cognitionem pertineat, omnes omnium gentium aeſtimabimus, appoſita moneta Romana, primum vetere, deinde recentiore.

Drachma Attica, ante Solonem, eiusdem fuit cum denario ponderis, et valuit aſſes ſedecim, id eſt, denarium vnum. loquor enim de denario poſteriore, ad ſedecim aſſes auctо, bello Punico ſecundo. aſſes vero ſedecim, baiocci Romani ſunt duodecim, et ſex ſeptimae alterius baiocci.

Drachma Solonis asses duodecim: baiocci nouem, et fragmenta, eadem proportione.

Euboica, Romanae vnciae octaua pars, asses quattuordecim: baiocci vndecim, et fragmenta.

Babylonica, asses sedecim cum triente: baiocci tredecim, et fragmenta.

Corinthiaca, asses sedecim cum besse: baiocci tredecim, et fragmenta.

Aegyptia, asses decem et octo, cum besse: baiocci quindecim.

Aeginetica, et Hebraica ciuilis, asses viginti: baiocci sedecim, et fragmenta.

Hebraica sacra, asses quadraginta: baiocci triginta duo, et fragmenta.

Syriaca, asses quadraginta octo; baiocci triginta octo, et fragmenta.

CCCIↃↃↃ] Centum millibus: quae sunt quadraginta millia sestertiorum: si modo drachmae Atticae sunt, non Syriacae: quod interdum dubitaui: cum hic Sallustius e Syria scripserit, in qua Bibuli quaestor fuit. haec porro summa duodecim scutatorum millia nostratis pecuniae conficiet. Harum notarum, numerum indicantium, quae fuerit olim origo, etsi ante multos annos exposui in Commentario epistolarum ad Atticum lib. I. epist. 6. tamen hic me locus admonet, ne silentio praetermittam. Numerorum notas primum quinto loco veteres variarunt, deinde decimo, mox quinquagesimo, tum centesimo, eodem in reliquis ordine conseruato, mutato numeri signo, quoties numerus a quinario ad duplum, et a duplo rursus ad quinarium perueniret.

Prima nota fuit, I, vnus, vsque ad quattuor iterata.

Secunda nota, V, quinque, in quinario primum numero variata.

Tertia, X, decem, in duplo quinario, vt iam dixi, mutationem recipiens.

Quarta, L, quinquaginta, aucto post tertiam notam, id est, post, X, in quincuplum numero.

Quinta, C, centum, duplicato quinquagenario.

Sexta, IↃ, quingenta, et hic quincupli ratione seruata.

Septima, CIↃ, mille, habita dupli ratione.

Octaua mutatio fuit, cum ad quinque millia peruenissent. nam, ne toties CIↃ iterarent, his notis vsi sunt, IↃↃ.

Nona mutatio, a quincuplo in duplum, recepit has notas CCIↃↃ, decem millia.

Decima, a duplo in quincuplum, IↃↃↃ, quinquaginta millia.

Vndecima, et vltima, a quincuplo in duplum, CCCIↃↃↃ, centum millia.

Nec vltra notarum mutatio progressa est. non enim veteres, vt ait Plinius, vltra centum millia numerabant, quod si ducenta, vel trecenta, aut quadringenta millia significari oporteret; has notas, CCCIↃↃↃ, bis, ter, quater, et, si opus esset, saepius iterabant. cuius exempla moris et in libris, et in antiquis lapidibus exstant. Sunt igitur notae omnino vndecim variae, demceps a nobis demonstratae, tamen iterandae.

I, vnus:

V, quinque:

X, de-

X, decem:
L, quinquaginta:
C, centum:
IↃ, quingenta:
CIↃ, mille:
IↃↃ, quinque millia:
CCIↃↃ, decem millia:
IↃↃↃ, quinquaginta millia:
CCCIↃↃↃ, centum millia.

Quam cognitionem legentibus non iniucundam fore, ſum arbitratus.

Hoc etiam adiungam, a prima nota, I, ceteras omnes fluxiſſe. nam, V, duae primae notae ſunt, infima parte coniunctae. item, X, eſt quinarii numeri nota duplicata, cum duae, V, in acuto angulo coniungantur. at, L, quid eſt, niſi prima illa nota, I, recta, et altera proſtrata, ſimul iunctae? quod ſi addideris in ſumma parte aliam primam notam, item proſtratam: fiet ↆ, centum. non enim priſcis temporibus, pro centum, ſcribebant, C, quod ad aetatem noſtram permanſit, ſed, ↆ: quae erant tres primae notae conſociatae, vna recta, duae proſtratae, cum recta coniunctae, vna in ſuperiore parte, altera in inferiore. Quingenta vero fecerunt, addita ad tres notas, quas proxime nominaui, quarta recta, cum duabus proſtratis coniuncta, hoc modo, ⊐. qua figura duplicata, fecerunt mille hoc modo, ⊐⊐: vnde poſtea, librariorum arbitrio, variae notae, quae mille ſignificarent, factae ſunt, quarum nonnullas oſtendemus. nam ex ⊐⊐, fieri coeptum eſt ↀ, et ↀↃ, et CIↃ, et CD, vnde M deriuatum, quo pro mille hodie quoque vtimur: cum olim nota fuerit, non littera.

Praeda] Vniuerſa praeda, ex Amano monte direpto ac vaſtato. nam, Pindeniſſo capto, omnem praedam, equis exceptis, Cicero militibus conceſſerat. quod ipſe ſcribit lib. 5. ad Attic. epiſt 20.

Omnis enim pecunia — a quaeſtore curetur] *Praeda* vocatur id, quod ex hoſtibus partum, nondum neque diuiſum eſt, neque vrbanis quaeſtoribus traditum, vt ii mox in aerarium inferrent. poſt diuiſionem *praeda* non dicitur. ideo *praedam* Cicero vocat eam pecuniae partem, quae, venditis mancipiis, bello captis, exacta, ad populum Romanum pertinebat: partem autem ſibi attributam, non iam *praedam*, ſed *pecuniam* appellat. Mancipia vero tantum nominaui, quia reliqua omnis praeda, equis exceptis, militibus conceſſa. qua de re ſic lib. 5. ad Attic. epiſt. 20. *Militibus, equis exceptis, reliquam praedam conceſſimus. mancipia vaenibant Saturnalibus tertiis. Cum haec ſcribebam, in tribunali res erat ad H-S CXX.* Quod ad praefectos, praedae cuſtodes, attinet: ne lector communi vocabulo decipiatur, dicendum eſt, quot genera praefectorum in Ciceronis prouincia fuerint, et quinam hic ſignificentur. Genera igitur fuere quattuor, vnum eorum, qui equeſtribus turmis praeerant: alterum, qui euocatis: tertium, qui, quibus in ciuitatibus proconſul aſſidue commorari non poſſet, in iis ipſi ius dicerent, et in extremo anno ad generales conuentus, a proconſule indictos, proficiſcerentur, vt, ſi quid in ciuitatibus perperam iudicaſſent, querelas omnium proconſul audire, et reſcindere praefectorum ſententias poſſet. Quartum genus fuit

praefecti fabrum, vel praefectus potius: nam vnum duntaxat habuisse Cicero videtur. De singulis, quantum res patietur, breuiter agemus, vt antiquitatis notitia, minimo studiosorum labore, minima molestia, propagetur. Cum singulis legionibus, vetere Romuli instituto, terceni erant equites: qui dicebantur *alae:* quod iis pedites dextra sinistraque, tamquam alis, tegerentur. Gellius lib. 16. c. 4. et Seruius in lib. 4. Aen. v. 121. *Dum trepidant alae.* item Liuius lib. 40. c. 40. Diuidebantur in decem turmas; turmae singulae in tres decurias: singulis decuriis praeerant, qui *decuriones* vocabantur: sed horum vnus, reliquis duobus honoratior, non suae tantum decuriae, sed turmae etiam praeerat: itaque *praefectus*, non *decurio*, dicebatur: reliqui autem duo, *decuriones*. Erant igitur in decem turmis decem praefecti, praeterea viginti decuriones. omnibus autem decem turmis, id est, alae, vnus praeerat, nec tamen is erat summus equitum dux in exercitu. nam principem locum obtinebat is, qui non vni alae, id est, decem turmis, sed vtrique alae, vel etiam pluribus, cum essent plures in exercitu legiones, praeesset. quod probabitur exemplis. De praefecto turmae sic in orat. pro Marcello c. 2. *Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Praefectum vero alae nouimus lib. 2. de Offic. c. 13. *Cum te Pompeius alae alteri praefecisset.* Porro, cum Plutarchus dicat, in exercitu Pompeii praefectum equitum Pharsalico proelio Labienum fuisse; quis eum putet, qui legatus Caesaris Gallico bello per tot annos fuerat, resque gesserat non mediocri laude dignas, in castris Pompeii, ad quem, relicto Caesare, transiit, vnius tantum legionis equitibus praefuisse? equidem nihil dubito, quin praefectura significetur omnium plane equitum, qui cum Pompeio militarent. idemque sentio de Caesarianorum equitum praefecto C. Volusено: de quo scripsit haec Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 60. *Conati sunt praefectum equitum, C. Volusenum, interficere, vt cum munere aliquo profugisse ad Pompeium viderentur.* Nominat idem Caesar eodem libro c. 37. Q. Varum praefectum equitum C. Domitii Caluini, id est, duarum legionum, de quibus paullo ante mentionem fecit. De his igitur et alae vtriusque, (nam duas legiones Cicero habuit in prouincia) et turmarum quoque praefectis loquitur Cicero in hac epistola. nam praefectis fabrum, aut iuris dicundi, ac ne euocatorum quidem, praedae conseruandae curam commissam esse, non est vt credatur. de iisdem equitum praefectis lib. 3. epist. 8. et lib. 5. epist. 20. et lib. 5. ad Attic. epist. 17. mentionem Cicero facit: quo in vtroque loco cum tribunis militum eos nominat: itemque lib. 3. in Verrem c. 58. *Quaestores*, inquit, *legatos, praefectos suos, tribunos multi missos fecerunt, et de prouincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commode audire arbitrarentur.* Et in orat. pro Cluentio c. 36 *Non recito testimonia hominum honestissimorum, quae in Stalenum sunt dicta ab iis, qui M. Aemilio, clarissimo viro, legati, et praefecti, et tribuni militares fuerunt.* Eosdem coniunxit Caesar

lib. 1. de bell. ciu. c. 21. *Tribunos militum et praefectos circummittit.* De praefecto autem euocatorum lib. 3. epist. 6. De iis, qui ius dicerent, lib. 5. ad Attic. epist. 4. 7. 11. 21. et lib. 6. ad eundem epist. 1. 2. 3. quibus Cicero amicorum rogatu, aut iudicio suo praefecturas detulit iuris dicundi in ciuitatibus, iis reiectis, qui negotiarentur, ne iustitiam lucri cupiditas perturbaret. Praefectus fabrum Ciceronis vnus tantum appellatur Q. Lepta lib. 3. epist. 7. nec plures vno fuisse crediderim: quamquam, vt dixi, duas legiones Cicero habuerit: quod ipse ad Atticum scripsit lib. 5. epist. 15. et Plutarchus in eius vita confirmat. nam, si, quot legiones in exercitu, totidem praefecti fabrum fuissent: haud valde esset honestatus a Caesare familiarissimus eius, Cornelius Balbus, cui praetor et consul praefecturam fabrum detulit: vt est in oratione pro ipso habita c. 28. nam, quod ait Caesar in epistola ad Oppium et Balbum, lib. 9. ad Attic. epist. 28. *Duo praefecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt:* Q. Vibullium Rufum, Corfinii captum, et Cn. Magium, in itinere deprehensum, significat: quorum vtrumque in binis legionibus praefectum fabrum arbitror fuisse: vt duorum consulum exercitus, qui a Pompeio regebantur, duos omnino praefectos fabrum habuerint. duas enim legiones, dixi iam, consularem exercitum fuisse. sic igitur in consulari Ciceronis exercitu, id est, in duabus legionibus, praefectus fabrum vnus fuit Q. Lepta. quod eo magis arbitror, quia vnus etiam praefectus fabrum Ap. Claudii nominatur, lib. 3. epist. 8. Hos praefectos omnes, exceptis ius dicentibus, opinor in proconsulis cohorte praetoria fuisse, eosque in prouinciam ab vrbe deductos. quos autem in tertio genere posuimus, id est ii, qui ius dicebant, non fuisse de cohorte praetoria, sed longe a proconsule diuersis ciuitatibus iurisdictionem habuisse. in hoc numero locum Scaptio petiit a Cicerone M. Brutus, vt lib. 5. ad Attic. epist. 21. et lib. 6. ad eundem epist. 1.

Mihi attributa est] Quae *manubiae* vocabantur: ex quibus publica monumenta plurimi fecerunt, Q. Catulus e Cimbricis manubiis porticum in palatio, quam P. Clodius, Ciceronis aedibus adiunctam, euertit, L. Metellus Dalmaticus aedem Castoris: alii alia.

A quaestore] Vtrum L. Mescinio Rufo, ad quem sunt epistolae tres vltimae lib. 5. quique nominatur lib. 13. epist. 26. et lib. 16. epist. 6. an C. Coelio Caldo, ad quem scribit epistolam vltimam huius libri, et quem epist. 15. nominat. Mescinium omnino significari puto, qui rationes prouinciae cum M. Mindio fratre, et cum scriba Ciceronis administrauit. nam C. Coelius sero admodum in prouinciam venit, vt ex epist. vlt. cognoscitur.

De legionibus] Festus ait, C. Marium legionem primum conscripsisse sex millium, et ducentorum hominum, cum antea quattuor millium fuisset, vnde etiam *quadrata* appellabatur. sed Festum refellere videtur Liuius lib. 29. c. 24. cum ait, legiones ita suppletas esse, vt singulae sena millia, et ducentos pedites, trecenos haberent equites. et alibi saepe. Quod si ita est; non primus C. Marius legionem con-

scripsit sex millium, et ducentorum hominum. Verum Festi opinionem Polybius probat lib. 6. et fortasse Liuius non de ordinaria legione, sed de aucto extra ordinem, cogente bello, militum legionariorum numero locutus est. nam, et sociorum numerum in castris Romanis, quos altero tanto plures, quam Romanos in castris ex formula foederis esse debuisse, Liuius lib. 3. et 8. Velleius lib. 2. ostendunt. non eundem semper fuisse, sed pro consulum arbitrio, ex eodem Liuio constat lib. 21. 41. 43. primus igitur ordinarium in legione sex millium et ducentorum militum numerum C. Marius fecit, cum antea ordinarius esset numerus quattuor millia, vt ait Festus, vel, vt Polybius, quattuor millia ducenti: (nam veteres non omnino subtiliter numerum semper definire soliti sunt) interdum autem, ne numerum legionum, quae binae singulis consulibus dabantur, augerent, milites addebant legionibus, sed extra ordinem.

In Syriam] Quae Syriae contra Parthos praesidio esset.

Otium esse in Syria] Sublato metu Parthico. *Otium* pro pace vsurpauit et lib. 1. de Offic. c. 22. *Nobis rempublicam gubernantibus, non togae arma cessere? neque enim in republica periculum fuit grauius vnquam, nec maius otium.*

Marium successorem] Sallustii: nam Bibulo, quemadmodum Ciceroni, successor nemo fuit, ob discordias inter Caesarem et Pompeium exortas. quod Cicero futurum diuinans, dixit supra: *De successore meo nihil audiui, nec quemquam fore arbitror.* Et Coelius lib. 8. epist. 5. *Successionem futuram, propter Galliarum controuersiam, non video.* Et paullo post: *De Galliis constituetur: erit, qui intercedat: deinde alius exsistet, qui, nisi libere liceat de omnibus prouinciis decernere senatui, reliquas impediat.* Cum igitur omnium prouinciarum successio impedita sit: malim credere, Sallustii potius, quam Bibuli, successorem hic significari. Victo Pompeio, Syriae praefuit, iussu Caesaris, vt ait Dio lib. 47. Sex. Iulius Caesaris quaestor, ac propinquus: mox Decidius Saxa, ab Antonio praepositus, vt idem Dio scripsit lib. 48. ante Bibulum autem Syriae praefuerat Crassius, qui periit in Parthis; ante Crassium Gabinius; ante Gabinium Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ex praetura; ante Marcellinum L. Marcius Philippus, item praetorius; ante Philippum M. Aemilius Scaurus, quaestor Pompeii Magni, ab eo decedente praepositus; ante Scaurum Pompeius ipse, qui Mithridatem deuicit.

Sine caussa] Immo grauem ob caussam: cum Cicero Marcellino et Philippo coss. auctor senatui fuisset, vt Caesari ob res in Gallia prospere gestas quindecim dierum supplicatio decerneretur, item vt stipendium ac decem legati decernerentur. quae bilem omnibus Caesaris inimicis maximam commouerunt, praecipue Bibulo, qui consul cum Caesare collega acerrime de republica contenderat. Laeserat igitur Bibulum Cicero in ornando Caesare, de ipsius tamen existimatione nihil detraxerat, propterea ait, *sine caussa.*

Antiochiae] Ex qua Parthos C. Cassius, quaestor M. Crassi, iam reie-

reiecerat. epist. 10. et lib. 15. epist. 4.

Metus] Cum aduentare Parthi dicerentur.

Officio quaestorio] Quaestoris enim et praetoris coniunctio liberorum necessitudini proxima fuit. Lib. 13. epist. 10. Et in Diuinat. c. 19.

Praetore] *Praetor* vocatur Bibulus, qui *proconsul* videtur appellandus fuisse: iuit enim post consulatum in Syriam. sic lib. 5. ad Attic. epist. 21. *Quod praetori dare consuessent.* Quo loco *praetori*, dictum est, pro omnibus, qui praesse Ciliciae, siue post praeturam, siue post consulatum, consueuissent. item lib. 1. de Orat. c. 17. *Cum ego*, inquit Scaeuola, *praetor Rhodum venissem.* qui proconsul in Asiam ibat: vt ex Epitome Liuiana lib. 70. cognoscitur. Mansit autem hoc nomen in omnibus, qui prouincias regerent, habita ratione illorum temporum, cum soli praetores in prouinciam ibant: quorum loco iuere postea propter bella consules et proconsules. Contra, qui ex praetura in prouinciam iuerant, et *proconsules* interdum vocati, vt ostendimus lib. 1. epist. 1. et *praetores*, vt lib. 13. epist. 55. et Oppius Allienum, Siciliam post praeturam administrantem, *praetorem* vocat in lib. de bell. Afric. c. 2. Asconius quoque magistratum omnem, cui pareret exercitus, *praetorem* a veteribus ait appellatum: vnde *cohors praetoria*, *tabernaculum praetorium*, et in castris *porta praetoria*. lib. 1. epist. 1.

Reticere] Cum tamen de Parthico bello scriberet. Lib. 6. ad Attic. epist. 5.

Thermum] Q. Minucium Thermum, Asiae propraetorem, ad quem scribit epistolam sequentem, et lib. 13. epist. 53. 54. 55. 56. 57.

Litteram] Ne litteram quidem scripsit, non modo epistolam. sic in orat. pro Archia c. 8. *Quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore?* Et lib. 1. de Orat. c. 19. *De conformandis hominum moribus littera in eorum libris nulla inueniretur.* Et in Pison. c. 19. *Nullam sit ad senatum litteram mittere ausus.* Hac de re sic lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Bibulus molestus mihi non erat; de omnibus rebus scribebat ad me potius.*

Periculum pertinere] Quia Cilicia Syriam attingit. epist. 10.

De auguratu] Vt eius filius in locum alterius filii auguris, quem Alexandrini equites occiderant, surrogaretur.

Misericordia] Bibulo duobus filiis orbato. de quibus Valerius Max. lib. 4. c. 1. his verbis: *M. Bibulus, cum in Syria moraretur prouincia, duos egregiae indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit. quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, vt grauissimae cladis vltionem arbitrio suo exigeret. at ille, oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit; carnificesque sanguinis sui intactos e vestigio ad Cleopatram reduci iussit, dicendo, potestatem huius vindictae non suam, sed senatus esse debere.* Et Caesar lib. 3. de

de bell. ciu. c. 110. *Erant praeterea equitum millia duo. Inueterauerant hi omnes compluribus Alexandriae bellis; Ptolemaeum patrem in regnum reduxerant; Bibuli filios duos interfecerant.* Id etiam significatur lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Cum arderet Syria bello; et Bibulus in tanto moerore suo maximam curam belli sustineret.*

Bibulo] Adolescenti, qui de tribus Bibuli filiis superfuerat vnus.

Dedi operam] Ipsius caussa non debui, tamen operam dedi, misericordia coactus, et quod eius filium semper dilexi.

Populi pecunia] Quam ex ipsius prouincia Syria, et ex mea Cilicia collectam, Romam ad quaestores vrbanos deferendam simul curavimus.

Permutaretur] *Permutari pecunia* dicitur, cum alicubi numeratur, quae alibi soluatur, eius periculo, qui permutandam suscepit.

Alariis] Erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, et auxiliares. *alarii* dicebantur auxiliares, quod iis, tamquam alis, pedites tegerentur. Cincius apud Gellium lib. 16. c. 4. *Alae dictae exercitus, equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tamquam alae in auium corporibus, locabantur.* Et Seruius in illud Virgilii lib. 4. Aen. v. 121. *Dum trepidant alae:* subiunxit haec: *Alae, equites, ob hoc alae dicti, quia pedites tegunt alarum vice.* In alis autem auxiliares potius equites, quam legionarios, locari solitos, tum in hoc loco, (sequitur enim *auxiliariis:* qui iam dicti sunt *alarii*) tum in aliis obseruauimus. Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 51. *Omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit: quo minus multitudine militum legionariorum, pro hostium numero, valebat, vt ad speciem alariis vteretur.* Liuius quoque lib. 31. c. 21. *Dextera ala (in alas diuisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est: in subsidiis duae Romanae legiones.* Et lib. 35. c. 5. *Sinistra sociorum equitum ala, et extraordinarii prima in acie pugnabant.* Subiungit: *Equites extra aciem in locum patentem Q. et P. Minucios tribunos mil. educere iussit: inde cum signum dedisset, impetum ex aperto facerent.* Et infra: *C. Liuium Salinatorem, qui praeerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos immittere iubet, et legionarios equites in subsidiis esse.* Et lib. 40. c 40. *Alarii equites, postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus videre, et ipsi virtute eorum accensi, in perturbatos iam hostes equos immittunt.* Hos ipsos alarios Cicero significat, cum subiungit: *equitibus auxiliariis.* et Sallustius in Iugurtha c. 50. constitutos in vtroque latere tamquam alas equites auxiliarios demonstrat. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 73. *Crebras stationes disponunt equitum, et cohortium alariarum; legionariasque interiiciunt cohortes.* Liuius lib. 10. c. 40. *Sp. Nautius dux alaribus cohortibus erat.*

Transpadanis] Trans Padum lectis, vt contra Parthos mitterentur.

Auxiliariis] Qui a populis amicitia coniunctis auxilio venerant, vt Romanas prouincias a Parthis defenderent.

Ieiuni]

Ieiuni] Humilis animi et infirmi, vt qui debilitantur inedia. contra, *erectum excelsumque animum* dicimus.

Ariobarzanem] Cappadociae regem. lib. 15. epist. 2 et orat. pro lege Manilia c. 2. Hunc postea C. Cassius, interfecto iam Caesare, auxilia sibi et M. Bruto negantem, occidit. Dio lib. 47.

Per me] Me consule referente.

Ariobarzanis] Quem a Mithridate Cappadocia pulsum Sulla restituit. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Sulla. Hunc per insidias interfectum Cicero significat lib. 15. epist. 2.

EPISTOLAE XVIII.

ARGVMENTVM.

Laetitiam suam exponit, quod ei grata esse intelligat officia sua: laudat eius in administranda prouincia clementiam et integritatem: suadet, vt decedens praeficiat prouinciae quaestorem potius, quam legatos. L. Paullo C. Marcello coss.

EXPLANATIO.

Q. Thermo] Q. Minucio Thermo, qui post praeturam Asiam administrabat. Vide lib. 13 epist. 53. 54. 55. 56. 57. et lib 5. ad Attic. epist. 13, 20.

Propraetori] Potuit et *praetor* appellari. nam lib. 5. ad Attic. epist. 13. *Graeci*, inquit, *quasi Ephesio praetori, se alacres obtulerunt.* Et omnino qui prouinciis praeessent, siue consulatu, siue praetura functi, *praetores* interdum vocabantur: vt epistola proxima, proconsul, Bibulus cum esset, *praetor* dictus est.

Homini gratissimo] Ne videatur noua re gaudere, laudat eum ab ante acta vita: quasi dicat: etsi nihil a tua consuetudine alienum exspectaui, tamen, grata tibi esse studia mea, vehementer gaudeo.

Integritate et clementia] Cum ex iis, qui prouincias regerent, paucissimi auaritiae et crudelitatis crimine vacarent.

Nihil addi posse] Correctio proximae sententiae; quia dixit: *mihi scito in dies maiori curae esse dignitatem tuam.* non indiget, inquit, aliena opera dignitas tua: tamen ea mihi curae est. Hac prudentiae laude Cicero excellit, vt in scribendo, quasi scopulum, vitet arrogantiam. quod indicare operae pretium existimo; ne, dum verborum elegantiam sequimur, peccemus in sententiis. laude enim in Thermum collata, excusauit non modo superiora, verum etiam ea, quae infra sequuntur.

De rationibus tuis] De eo, quod ad te pertinet. lib. 1. epist. 9. *Quae rationibus reipublicae putem conducere.* Et lib. 5. epist. 2. *Meae rationes ita tulerunt.* Et lib 3. epist. 2. *Prospicias consulas rationibus meis.*

Graues susceptorum] Animadvertenda translatio: vnde ductum, *inimicitias deponere.*

Adolescens] Quaestor.

Ignomi-

Ignominia] Si prouinciae non praeponatur, cum decedes. nam quaestor legatos honoris gradu superabat. quod confirmatur epist. 15. in eo loco: *Neque erat superiore honore vsus, quem praeficerem.*

Superiorem] Honore enim legati a quaestore superantur. itaque Philip. 10. c. 11. post quaestores nominantur in sententia Ciceronis: *Senatui placere*, inquit, *Q. Hortensium, proconsulem, cum quaestoribus, proue quaestoribus, et legatis suis prouinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex senatus consulto successum sit.* Quod si legati praetores antea fuerint, plus videtur eis proconsul tribuere debere, quam quaestoribus. vide epist. 15.

Et quaestor tuus] Amplificat sententiam iteratio verbi, vt epist. 7. *A tribuno plebis, et a Curione tribuno.*

Promtos] In agendo.

Non indisertos] In dicendo.

Terrores] Poterat enim audax tribunus plebis lege lata quem vellet eiicere: quod ipse Cicero senserat, pulsus a Clodio tribuno plebis.

Praebuerit] In administranda prouincia, cum tu decesseris. lib. 5. epist. 18. *Te colligas, virumque praebeas.* et lib. 8. ad Attic. epist. 4. *Superbum se praebuit in fortuna, quam putauit nostram fore.* et lib. 15. ad eundem epist. 16. *Me libenter praebeo credulum.*

Ex aliqua parte] Quandoquidem tu eum prouinciae praefeceris.

Offenderit] Peccauerit. vt lib. 9. epist. 2. *Quis est tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat?* et ad Lentulum lib. 1. epist. 7. *Si cecidisset, vt volumus et optamus, omnes te et sapienter, et fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos, et cupide, et temere fecisse, dicturos.* Vide quae diximus lib. 5. epist. 14.

Sibi totum] Tu enim alienam culpam praestare non debes.

Nihil tibi offenderit] Leporis ac venustatis aliquid est iterato verbo *offenderit.* quale illud epist. 11. *Quidquid erit, tibi erit.* Et lib. 6. epist. 6. *Quidquid valebo vel auctoritate, vel gratia, valebo tibi.*

Quae mihi veniebant in mentem] Hic quidem cum nominandi casu: vt etiam in Terentii Phorm. Act. 4. Sc. 3. v. 47.

— *Mihi veniebat in mentem eius incommodum.*

Cum generandi autem casu, lib. 7. epist. 3. *Solet in mentem venire illius temporis.* Et lib. 5. de Fin. c. 1. *Venit mihi Platonis in mentem.* Alibi, nullo casu adiuncto, cum appendice alterius verbi, tribus modis. Pro Roscio Amerino c. 27. *Simul tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum vitam huiusce depinxeris.* In Diuin. c. 8. *In mentem tibi non venit, quid negotii sit, causam publicam sustinere?* Plautus in Mil. Act. 4. Sc. 8 v. 48.

Cum venit in mentem, mores vt mihi mutandi sint.

Animaduertimus, et dandi casum quandoque omissum, vt apud Terentium in Eun. Act. 3. Sc. 2. v. 45.

Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit.

Et Virgilius lib. 4. Aen. v. 39.

Cum venit in mentem, quorum consederis aruis?

Et Plautus loco proxime recitato.

In Ciliciam] Erat igitur in Asia; cuius tres dioeceses prouinciae suae attributas esse, scribit lib. 13. epist.

epist. 67. erat autem Laodiceae, vbi mansit ad Idus Maii: quod significat lib. 5. ad Attic. epist. vlt. et lib. 6. ad eundem epist. 2. ergo scripta est epistola non quibus consulibus Cicero iuit in prouinciam, Sulpicio et Marcello, sed quibus decessit Paullo et Marcello.

Dii approbent] Fortunent. quod enim dii approbant, prospere succedit.

Posteritatis otio] Posteri temporis otio. *Posteritas* enim non solum posteros, verum etiam posterum tempus ostendit: vt orat. 1. in Catilinam c. 9. *Tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsulium animum induxeris, quanta tempestas inuidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.* Et infra ibidem: *An inuidiam posteritatis times?* Caesar etiam lib. 1. de bell. ciu. c. 13. *Habeat rationem posteritatis, et periculi sui.*

Consules] *Prospicias consulas*, dixit lib. 3. epist. 2.

EPISTOLAE XIX.

ARGVMENTVM.

Ostendit, aptiorem sibi quaestorem obtingere non potuisse: et hortatur, vt maturet in prouinciam venire, antequam ipse decedat: pollicetur autem quaecumque ad eum ornandum conferre poterit. Paullo et Marcello coss.

EXPLANATIO.

Caldo] Cognomen Coeliorum in antiquo nummo humanissimi et eruditissimi hominis Fuluii Vrsini. Duos quaestores habuit Cicero in Cilicienſi prouincia, L. Mescinium Rufum, de quo lib. 5. epist. 19. 20. 21. lib. 13. epist. 26. lib. 16. epist. 4. et Cn. Volusium, de quo lib. 5. ad Attic. epist. 11. in extremo autem anno, discedente Volusio, (sic enim est credendum) successit Coelius Caldus, quem prouinciae decedens Cicero praeposuit. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6.

Te mihi quaestorem obtigisse] In plerasque prouincias cum proconsulibus aut propraetoribus singuli iuris dicundi gratia quaestores ibant, in nonnullas bini, vt in Siciliam Lilybaetanus, et Syracusanus: quod scriptum est apud Asconium. duos et Cicero habuit in Cilicienſi prouincia, Cn. Volusium, de quo lib. 5. ad Attic. epist. 11. et L. Mescinium, de quo lib. 13. epist. 26. lib. 16. epist. 4. et lib. 6. ad Attic. epist. 4. 7. nec tamen aliis, qui eandem prouinciam rexerant, duos quaestores fuisse arbitror: sed Ciceroni, vt tres διοικήσεις Asiaticae extra ordinem, sic honoris caussa duo quaestores dati. quorum alter in quattuor veteribus dioecesibus, Cilicia, Pamphylia, Lycaonia, Phrygiae maioris parte vltra Maeandrum, quae ab ordinario Ciliciae proconsule, vel propraetore simul omnes regebantur, alter in tribus nouis, ademptis Asiae provinciae,

vinciae, Laodicea, Cibyra, Apamea ius diceret. Voluſium ſuſpicor ante finem annui imperii, auocatum fortaſſe negotiis, diſceſſiſſe, et in eius locum forte Coelium veniſſe, extremo, vt opinor, menſe adminiſtrationis annuae. nam lib. 6. ad Attic. epiſt. 5. *Annuum tempus*, inquit, *prope iam emeritum habebamus: dies enim* XXXIII. *erant reliqui.* Et infra: *Mihi deceſſionis dies* λεληθότως *obreptat: qui cum aduenerit,* ἄλλο πρόβλημα, *quem praeficiam; niſi Caldus quaeſtor venerit; de quo adhuc nihil certi habebamus.* Eum Cicero decedens prouinciae praepoſuit: epiſt. 15. et lib. 6. ad Attic. epiſt. 6.

Eam ſortem] Proconſules, et propraetores aut ſortiebantur provincias, aut comparabant inter ſe: quod lib. 1. epiſt. 9. oſtendimus: quaeſtores autem non comparatione, quod equidem ſciam, ſed ſortitione ibant in prouincias. lib. 1. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Quaeſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit.* Et pro Murena c. 8. *Quaeſtura vtriusque propemodum pari momento ſortis fuit.* Interdum tamen petentibus proconſulibus dabatur, vt, quem vellent, quaeſtorem ſine ſorte delectum in prouincias ducerent. quod Caeſar Pompeiusque impetrarunt. lib. 6. ad Attic. epiſt. 6. *Pompeius Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Caeſar Antonium: ego ſorte datum offenderem?* Nec tamen id ſine ſenatus conſulto aut ſine lege factum. de ſenatus conſulto Liuius lib. 30. c. 33. *Laelium, cuius ante legati, eo anno quaeſtoris extra ſortem ex ſenatus conſulto opera vtebatur, cum Italico equitatu ab ſiniſtro cornu oppoſuit.* De lege Cicero orat. 2. in Antonium c. 20. *Quaeſtor es factus. deinde continuo ſine ſenatus conſulto, ſine ſorte, ſine lege ad Caeſarem cucurriſti.*

Ad eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet] Maximam ſcilicet, ac liberorum neceſſitudini proximam. quod enim ſorte euenie-bat, id euenire deorum voluntate veteres arbitrabantur. propterea *ſors diuina* vocatur. Philip. 3. c. 10. *Qui ſunt*, inquit, *quos ſors diuina delectet?* Et poſt: *Duarum credo prouinciarum ſortes minus diuinas fuiſſe.* Et in Diuinatione c. 20. *Accuſaui eum, cui quaeſtor fueram, quicum me ſors, conſuetudoque maiorum, quicum me deorum hominumque iudicium coniunxerat.* Quod ad neceſſitudinem attinet, *mos maiorum*, inquit lib. 13. epiſt. 10. *hanc quaeſturae coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe.* et epiſt. 26. eiusdem libri: *L. Meſcinius ea mecum neceſſitudine coniunctus eſt, mihi quaeſtor fuit. Sed hanc cauſſam, quam ego, vt a maioribus accepi, ſemper grauem duxi, fecit virtute et humanitate ſua iuſtiorem.* Et in Diuinatione c. 19. et orat. pro Plancio c. 11. *Neceſſitudo* autem et *neceſſitas* idem ſunt, et duobus modis accipiuntur, vel pro coniunctione ſanguinis, aut amoris et officii. vt pro Sulla c. 1. *Si noſtram in accuſatione ſua neceſſitatem familiaritatemque violaſſet.* Et in oratione C. Caeſaris, qua legem Plautiam ſuaſit: *Equidem mihi videor pro noſtra neceſſitate non labore, non opera, non induſtria defuiſſe.* Vel pro eo, quod neceſſe eſt: vt ſaepe apud Ciceronem, Salluſtium, et alios. vide Gellium lib. 13. c. 3.

Poſtea-

Posteaquam ERN. *Postea, cum*] Sic olim emendaui contra veteres libros, secutus videlicet consuetudinem Latinae linguae: quod alii, vt video, postea probarunt. moneo tamen lectorem, in omnibus antiquis libris, et quos ante multos annos vidi, et quibus nunc vtor, plane scriptum esse *postea quam*, mendi origine, vt opinor, inde ducta, quod veteres, *quom*, pro *cum*, scribere soliti sunt. libro etiam 11. ad Attic. epist. 12. idem mendum sustuli. item lib. 2. de Leg. c. 25. quis non videt ita legendum, *postea, cum sumptuosa fieri funera, et lamentabilia coepissent:* non *postea, quam.*

Nihil neque a te ipso] Idem scripsit lib. 6. ad Attic. epist. 4.

In Cilicia] Quo se iturum nonis Maii, dixit epist. 13.

In castris] Vt rem militarem ante decessionem suam collocaret. epist. 13.

Officium] Erga me: quia scripsisti humanissime.

Ingenium] Quia scripsisti elegantissime.

Opportuno] Vt ante, quam decedam, in prouinciam venire possis.

C. Virgilius] Qui Siciliam propraetor administrauerat, vt in orat. pro Plancio c. 40. Mirum est, quam hic omnes in mendo consentiant veteres libri, cum habeant, *consul Virgilius:* qui numquam consul fuit. ex littera *C.* quam librarii pro *consul*, interpretati sunt, vitium fluxit.

De tua praesertim dignitate] *Dignitatem* hic pro honore potius, quam pro existimatione, quae res gestas consequitur, Cicero vsurpat, vt epist. 9.

Coniunctione] Quaestor enim ei, cui quaestor obtigit, arctissimo necessitudinis vinculo coniungitur. lib. 13. epist. 10.

Quaecumque] Alibi ponitur pro, *omnia quae*, subsequentibus duobus verbis, vt, *quaecumque facis, mihi grata sunt:* hic pro *omnia*, simpliciter, vnico subiuncto verbo: quidquid garriat inepta Grammaticorum turba. vbi enim eorum auctoritate, qui Latini sermonis vsu et scientia floruerunt, probari aliquid posse video; quisquilias contemno. Sic lib. 3. ad Attic. epist. 21. *Te oro, vt, si quid erit, quod perspicias, quamcumque in partem, quam planissime ad me scribas.* Et lib. 12. ad eundem epist. 21. Et orat. 2. in Catilinam c. 5. *Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo.* Et lib. 1. de Orat. c. 2. *Permultos excellentes in quocumque genere videbis.* Et Virgilius lib. 3. Aen.

Ad te ERN. *In te proficiscentur*] Ad Appium lib. 3. epist. 1. *Intelligo, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima.*

Maxime tua] Quia cogitabat eum decedens prouinciae praeponere. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 4. cum de quaestore Mescinio bene non existimaret, vt ibidem ostendit, et epist. 3. eiusdem libri.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM III.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Totus hic ad Appium, P. Clodii fratrem, scriptus liber est. primae sex epistolae Ser. Sulpicio, M. Marcello coss. septima L. Paullo, C. Marcello: octaua ante septimam collocari debuit, cum scripta sit Octobri mense, ante deuictos Amanienses: quod in extremo significatur: ex quo patet, scriptam esse Sulpicio et Marcello coss. quinque reliquae scriptae sunt consulatum gerentibus Paullo et Marcello. Primam epistolam Phaniae, Appii liberto, dedit: eoque breuitatem excusat, quod a liberto prudentissimo ac diligentissimo posset Appius omnem reipublicae statum optime cognoscere. Suam in Appium benevolentiam declarat: eumque tacite hortatur, vt Clodiam gentem, sibi adhuc, propter contentiones P. Clodii, non amicam, secum in gratiam reducat. Laudat alterum eius libertum Cilicem, vt Phaniam tamen pluris facere videatur. Valerium Iurisconsultum, non sine ioco, commendat.

EXPLANATIO.

Appio] Eius Appii Clodii filio, qui cum P. Seruilio Isaurico consul fuerat, anno vrbis DCLXXIV. Obiit post pugnam Pharsalicam, vt auctor est Valerius Max. lib. 1. c. 6. Repudiatum ab hac gente Lucii praenomen, ob turpem duorum gentilium vitam, Suetonius in Tib. c. 1. ostendit.

Pulchro] Gentis Claudiae fuere Pulchri, Nerones, Marcelli; patricii Pulchri et Nerones, plebeii Marcelli. quod Asconius aliique tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta consulatibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duabus ouationibus, in Tiberii vita c. 1. Suetonius dixit.

Imp.

Imp.] Ex qua pugna sit hoc nomen adeptus, non apparet: rem tamen ab eo bene gestam, non modo haec inscriptio, quae *imperatorem* nominat, sed vltima etiam epistola declarat: nam in ea suum studium Cicero in supplicatione ob res prospere gestas Appio decernenda commemorat. Sperauit etiam triumphum: quem ei P. Dolabellae ademit accusatio, vt epistolae duae demonstrant, vna Ciceronis, decima huius libri, altera Coelii, nona libri octaui.

Quid iuuet ERN. *Quod vidi*] Et aperta sententia est, et ita legitur in septem antiquis libris. aliis placuit, *quod iuuet:* quod quale sit, eruditi iudicabunt.

Reliquas res] Quas ab illo de statu reipublicae audies.

Prouidentius] Prouidentia periculum vitat. *Prouidentius* igitur dixit, pro, maioris cautionis. possunt enim in alienas manus litterae peruenire.

Videntur aliquae meae partes] Vt aliquid ego quoque tibi significem.

Ingenii] Quod amorem conciliat. vt enim corpori valetudo integra, color optimus, apta membrorum compositio, sic animo species quaedam et pulchritudo ingenium est. omnis autem pulchritudo amorem conciliat.

Officii, humanitatis] Latius patet *humanitas*, quam *officium*.

Gratissima] Ex quo intellexi, te bona fide mecum in gratiam rediisse.

Caruimus] Ob inimicitias P. Clodii, Appii fratris, qui anno proximo perierat, a Milone, Ciceronis amicissimo, interfectus.

Quoniam tu ita vis] Tibi placet officiis coli amicitiam nostram: quod si tibi non placeret, facerem inuita Minerua. qui si efficies, vt idem tuis quoque propinquis placeat; (tacite Appium hortatur, vt reliquos Clodios, ob veteres cum P. Clodio inimicitias infensos, sibi reconciliet) eandemque Mineruam, quam abs te non inuitam habeo, ab ipsis accipiam: ego plane hoc non Mineruae magis, quam tibi, referam acceptum, et iure eam non tam Pallada, vt vocatur, quam Appiada, de tuo nomine, nuncupabo. Iocum autem Cicero quaesiuit in nominibus similiter desinentibus. In Mediceo libro Graecis litteris maiusculis, ΠΑΛΛΑΔΑ, scriptum est.

Non inuita Minerua] Feliciter, successu prospero. abiit in adagium, *inuita*, vel *non inuita Minerua aliquid facere*. lib. 12. epist. 25. *Causam tuam egi non inuita Minerua*. lib. 1. de Offic. c. 31. *Nihil decet inuita, vt aiunt, Minerua*. Et Horatius de Arte poetica v. 385.

Tu nihil inuita dices faciesue Minerua.

Cilix] Quod seruis nomen fuerat, idem liberti retinebant, licet praenomen etiam et gentilicium nomen eius, a quo liberabantur, assumerent. *Cilix* autem hic vocabatur, quia saepe a patria serui appellabantur, vt *Aegypta* lib. 16. epist. 13.

Phaniam] Ad te proficiscentem, cuius frui consuetudine, licet Cilicem habeam, valde cuperem. lib. 2. epist. 15.

Iureconsultum] Eundem antea Lentulo, Ciliciae proconsuli, com-

mendarat lib. 1. epist. vlt. est autem is, de quo lib. 7. epist. 11.

Si non est] Non est iocus a veritate seiunctus. lib. 1. epist. vlt.

Aliis] Quorum causſas recipit, nec optime defendit.

Agit gratias] Quod humaniter eum tractes.

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Ciliciam prouinciam sortitus, rogat Appium, vt eam sibi quam maxime aptam, explicatamque tradat; quo sit ei, cum successerit, facilior et commodior administratio.

EXPLANATIO.

Contra voluntatem meam] Depositum enim prouinciam consul: qua de re lib. 5. epist. 2. in ea vero ad Catonem lib. 15. epist. 4. *Si quisquam*, inquit, *fuit vmquam remotus et natura, et magis etiam, vt mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude, et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliqua vita, fateor ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putaui expetendam. Itaque et prouinciam ornatam, et spem non dubiam triumphi neglexi.*

Cum imperio] Duabus legibus dato, Cornelia a senatu, Curiata a populo.

Molestiis] Confirmat illud, *contra voluntatem meam.*

Quam ego sum] Artificium petentis. voluntatis enim optimae significatio parem elicit voluntatem.

Pro nostra summa coniunctione] Iure, *summa*, dixit: quia coniungebantur et collegio, cum esset vterque augur, et beneuolentia, post gratiam reconciliatam. itaque dixit epist. sequenti, *successori coniunctissimo et amicissimo.* Et epist. 4. *Collegii coniunctio non mediocre vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas.*

Poteris autem plurimis] Habet ornamentum iteratio verbi; vt lib. 6. epist. 5. *Quotiescumque filium tuum video, (video autem fere quotidie) polliceor ei studium meum.* vide illud lib. 1. epist. 1. *Si qui sunt, qui velint, qui pauci sunt.*

Ex senatus consulto] Decreuerat enim senatus, vt duas prouincias consulares, Syriam et Ciliciam, Bibulus et Cicero sortirentur. Ciceroni Cilicia obtigerat. huius senatus consulti mentio fit lib. 2. epist. 7. et 13. et lib. 15. epist. 7. hic autem lex non nominatur, quia lata nondum erat: sed lata paullo post. nominatur autem lib. 15. epist. 7.

Quoad eius facere poteris] Quantum in te erit. nota locutio.

Quasi decursus] Lenitur interdum translatio praepositio verbo, *quasi*, aut eiusmodi alio: quod Ciceronis, Demetrii, et alii aliorum libri ostendunt.

In

In eo genere] Vide illud, *in eo genere*, lib. 2. epist. 1.

Tui consilii est] Tu considerabis. Appii prudentiam, et simul modestiam suam, qui nihil petat nominatim, ostendit.

Pluribus verbis] Clausula in primis efficax ad impetrandum. nam et ea nominat, quae mouere Appium debeant; et id ipsum tamen dissimulat, ne diffidere videatur aut Appii voluntati, aut prudentiae.

Res] Cum is, qui prouinciam successori tradit, operam omnino dare debeat, vel honoris sui, vel reipublicae caussa, vt eam quam maxime aptam, explicatamque tradat.

Pro se] Cur ego pro ipsa re plura dicam; cum satis ipsa pro se loquatur? patet enim, quid te in tradenda mihi, tui amantissimo, provincia facere oporteat.

Voluptatem esse capturum] Cum officii me tui memorem, gratumque cognosces.

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Significat se Brundisium venisse; cum Fabio, Appii legato, locutum esse: antequam ab vrbe discederet, nihil a senatu decretum, Sulpicio consule repugnante, vt suis Bibulique legionibus in Italia supplementum scriberetur. Petit idem, quod in proxima epistola, vt Appius in tradenda prouincia commodet sibi quam maxime potest, praecipue, ne numerum militum imminuat.

EXPLANATIO.

Brundisium] Vbi duodecim amplius dies, et valetudinis incommodo, et Pontinii, legati sui, exspectatione commoratus est. lib. 5. ad Attic. epist. 8.

Praesidio] Ob metum Parthici belli.

Supplementum] Vt ad binas legiones, quas et Cicero, et Bibulus habuit, copiae adderentur.

Bibuli] Cui Syria obtigerat, post Crassum a Parthis interfectum.

Legionibus] Plutarchus cum Cicerone in Ciliciam iuisse narrat duodecim millia peditum, duo millia, et sexcentos equites. quamquam in equitum numero suspicor esse mendum. non enim cum duabus legionibus tantus videtur equitatus esse potuisse. nisi si sexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarii, extra ordinem, metu scilicet Parthici equitatus: qui post Crassi necem imminere Romanis prouinciis videbatur.

Sulpicius consul] Ser. Sulpicius Rufus, ex tribu Lemonia, iuris ciuilis cognitione excellens; cuius praeclaram habemus epistolam, qua Ciceronem consolatus est lib. 4. 5.

Passurum se negaret] Ne exhauriretur militibus Italia, si forte delectum nouarum copiarum tempora reipubliçae postularent.

Multa questi sumus] Ego et Bibulus. non autem loquendi genus. sic alibi, *multa peccas*, et *multa*

deos venerati, dixit Caecina lib. 6. epist. 7.

Tabellariis] *Tabellarii* dicti a tabellis codicillorum, quod eas vltro citroque ferrent ante chartae et membranarum vsum: vt *librarii* a libris arborum, in quibus epistolae scribebantur. Beatus Hieronymus epistola 42. ad Niceam.

Coniunctissimo] Non refertur ad beneuolentiam. quorsum enim proxime subiunxisset, *et amicissimo*? sed ad adiunctionem auguratus, quae alterum alteri non leuiter commendabat. Sed, quia fieri poterat, vt, qui simul augures essent, inter eos tamen amor non esset; ideo intulit, *et amicissimo*: vt se non solum collegii iure, verum etiam beneuolentia coniunctum Appio significaret. nominat eandem collegii coniunctionem epistola sequenti.

Pro nostra consociatissima ERN. *constantissima voluntate*] Sic quinque libri veteres: duo, et Mediceus, *pro nostra consociatissima*, vt voluntas vtriusque, post reditum in gratiam, *coosociatissima*, dicatur. Sin, *constantissima*, retinemus; vtriusque parem in constantia voluntatem, quae post reditum in gratiam officiis mutuis declarata fuerat, significari credamus. quam sententiam confirmat illud lib. 2. epist. 13. *Ego Appium valde diligo: meque ab eo diligi statim coeptum esse, vt simultatem depositimus, sensi. Nam et honorificus in me consul fuit, et suauis amicus, et studiosus studiorum etiam meorum. Mea vero officia ei non defuisse, tu es testis. Constantiam* suam infra quoque, epist. 9. Cicero nominat. Quod quisque magis probat, id sequatur.

Integrum] Abesse tamen tres cohortes comperit. mendax igitur Fabius, verae autem Appii ad senatum litterae de militibus dimissis. epist. 6.

Senatus consulta] De non imminuendis copiis

C. Pomtinum ERN. *Pontinium, legatum*] Praetorium, ac triumphalem. hunc Πομπτίνου, et Πομπίνου Graeci libri nominant: ex Latinis alii *Pomptinum*, alii *Pomitinum*; nonnulli, quos secutus sum, *Pontinium*, vt inter Romanas gentes, quae in *ius* desinebant, agnoscatur. Ciceronis, Ciliciae proconsulis, quaestores fuere L. Mescinius, Cn. Volusius, C. Coelius; legati, Q. Cicero eius frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius; tribunus militum, Q. Fufidius; praefectus euocatorum, Antonius; praefectus fabrum, Q. Lepta; scriba, M. Tullius; accensus, Pausanias; interpres, M. Marcilius. de quaestore Mescinio, lib. 5. epist. 19. et 20. lib. 13. epist. 26. lib. 16. epist. 4. De Volusio, lib. 5. ad Attic. epist. 11. De Coelio, qui paucis diebus ante, quam Cicero decederet, in prouinciam venit, lib. 2. epist. 19. et lib. 6. ad Attic. epist. 5. De legatis, lib. 15. epist. 4. De tribuno militum, lib. 13. epist. 12. De praefecto euocatorum, h. lib. epist. 6. De praefecto fabrum, h. lib. epist. 7. De scriba, lib. 5. epist. 20. De accenso, h. lib. epist. 7. De interprete, lib. 13. epist. 54.

EPISTO-

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Exspectari a se scribit L. Clodium cum Appii mandatis. suum studium atque officium in omnibus rebus pollicetur. causas, quibus ad eum diligendum adducatur, commemorat. Negotiale principium, reliqua fere moralia.

EXPLANATIO.

Clodio] Praefecto fabrum. epist. 8.

Meum studium erga te et officium] Studio voluntas, officio res ipsa declaratur.

Q. Fabius] Fabiam gentem a Fabio, Herculis filio, dictam, ait Plutarchus. id probare videtur Festus, apud quem scripta sunt haec: *Fouii, qui nunc Fabii dicuntur, dicti, quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fouea concubuit.* Deinde subiungit: *Alii putant, eum primum ostendisse, quemadmodum vrsi et lupi foueis caperentur.*

Virgilianus] A Virgiliis in Fabios adoptionis iure transierat.

Flaccus] Valeriorum cognomen.

M. Octauius Cn. F.] Qui hoc anno aedilitatem curulem cum M. Coelio petiit. lib. 8. epist. 2.

Libro augurali] De augurum disciplina scripto: de quo fit mentio epist. 9. et 11. et apud Festum.

Amantissime] Amore enim adductus videbatur, vt eum librum ad Ciceronem scripserit.

Misisti] Vnum Appius miserat, reliquos missurum se pollicitus erat. ideo epist. 9. *Velim, reliquum quod est promissi ac muneris tui, mihi persoluas.* Et epist. 11. cum scripsisset Appius, confeciisse iam se reliquos libros, ac missurum; respondit Cicero: *Augurales libros ad commune vtriusque nostrum otium serua.*

Summa necessitudinis officia] Quae summa esse possunt nostrae coniunctionis officia. Placeret, *summae necessitudinis.*

Constabunt] Non obscura erunt, sed patebunt. epist. sequenti. et lib. 10. epist. 34.

Ex quo tempore] Depositas ab Appio et Cicerone inimicitias iam ante P. Clodii necem, atque adeo ante Appii consulatum, indicat epist. 10. et lib. 2. epist. 13. et oratio pro Milone c. 27.

Duarum aetatum] Senescente iam Pompeio, Bruto iuuene. vtrumque cum laude nominat epist. 11.

Filiae tuae socerum] Duo Pompeii filii fuere, Cneus, et Sextus. Appii generum puto Cneum fuisse. nam Sexti coniugem Libonis filiam apud Dionem inuenio.

Generum tuum] Postea Porciam, Catonis Vticensis, auunculi sui, filiam, duxit vxorem, Appii filia dimissa: quod ex epistolis ad Atticum intelligitur.

Collegii] Cum augur vterque esset. lib. 2. epist. 13.

Honorifice a te approbata] Scripto

pto ad me augurali libro. epist. 9. et 11.

Non mediocre vinculum] Apud maiores enim non modo amicitiam violari fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. epist. 10.

Ne mentiar] Licet nihil te, mea caussa, contra commodum tuum velim facere.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Agit Appio gratias, quod operam dederit, vt sibi quam maxime expediram prouinciam traderet: deinde rationem exponit itineris sui; quo certius de congressu statuere Appius possit.

EXPLANATIO.

Tralles] Vrbem Lydiae.

Neminem potuisti] Captat beneuolentiam ab Appii prudentia.

Ex alio repetita] Hae Ciceronis litterae non exstant.

Confirmata] Mutuis officiis.

Fide] Fidem nominat, quia redierant in gratiam. epist. 8. *Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse: non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam.*

Vt mihi consuleres] Vt mihi expeditam prouinciam traderes.

Mea ratio] Meum prouinciale munus, totum negotium, quod ad prouinciam pertinet.

Solutior] Sine impedimento. sic lib. 1. epist. 9. *Si mihi essent omnia solutissima:* pro, si meam voluntatem nulla res impediret. Quod autem hic dixit, *mea ratio facilior et solutior*, epist. 2. *facilior erit, quasi decursus mei temporis.*

Sequitur illud] Nam apud bonos viros gratia gratiam parit.

Quibus adhuc] Post reconciliationem residunt nonnumquam veteris odii reliquiae, praesertim si grauiores iniuriae anteceserint, quales a P. Clodio, Appii fratre, Cicero tulerat. ideo suspicari poterant homines, non esse Appio Ciceronem amicissimum. epist. 8.

Neque enim obscuris personis] Cum Cicero et Appius consulares auguralesque essent. clarus igitur vterque. translatio a fabulis, in quibus veterum heroum, aut regum, id est non obscuras, sed illustres personas histriones sustinebant.

In caussis] In negotiis. dixi, *caussam* id saepe appellari a Cicerone, quod proprie ad aliquem pertinet. vide illud lib. 1. epist. 1. *in caussa haec sunt.*

Tunc mihi ille dixit, quod classe tu velles decedere] Sic locutus lib. 7. epist. 28. *Memini, quod mihi desipere videbare.* Aut distingue sic: *Tunc mihi ille dixit: quod classe tu velles decedere, perfore accommodatum tibi, etc.* vt sit, *quod*, pro quia.

Ad illam ERN. *Ad Sidam*] Praeponit *ad*, cum sit loci nomen pro-

proprium, vt lib. 8. ad Attic. epist. 3. *ad Capuam*, *ad Luceriam*. Sed hunc locum ex epistola sequenti, in qua *Sida* nominatur, aliquis fortasse mutauit. nam libri veteres, etiam Mediceus, habent, *ad illam*, quod ferri potest.

Laodiceae] Vide, quae diximus lib. 2. epist. 17.

Ad meum aduentum] Vsque ad meum aduentum.

Tua ratio] *Ratio* non est voluntas, non negotium, non consuetudo, non consilium: quid igitur? vnico verbo non satis videtur explicari posse: hic quidem, *tua ratio postea est commutata*, valet, mutasti, quod te facturum ostenderas. non eadem fuit sententia tua. Tale illud epist. 8. *Mea ratio in tota amicitia nostra constans et grauis reperietur*. Vide, quae diximus in eo loco, *mea ratio fuit alia*, lib. 1. epist. 9.

Prope ERN. *Pridie Kal. Sext. puto*] Non errauit. nam eo die Laodiceam peruenit. epist. seq. et lib. 5. ad Attic. epist. 16.

Mihi debetur] Vel in prouinciae commoda, vel in annuum ipsius victum, vel in stipendia militum eroganda.

Ad exercitum] Quem Appius reliquerat, cuius mentio fit epist. 2. Sic lib. 5. ad Attic. epist. 15. *Iter Laodicea faciebam ad* III. *Non. Sext. cum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam*. Quamquam, si Plutarcho credimus, duas legiones Cicero ipse in Ciliciam transiecit.

Ad Iconium] In Lycaonia, vbi erat exercitus. epist. sequenti, et lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 15.

Fallit] De itineris ratione.

Ab re ipsa] Ab ipso negotio: quo fortasse diutius impediar, quam vt possim circiter idus Sext. ad Iconium esse.

Oneris tibi imponere nec audeo quidquam] Non potuit neque verecundius petere, neque vehementius.

Quod tuo commodo fieri possit] De hoc loquendi more satis diximus lib. 1. epist. 1.

Magni interest] Vt colloquerentur de vtriusque institutis in regenda prouincia, in quibus, quod et hae ad ipsum Appium, et ad Atticum epistolae declarant, non idem vterque sensit.

Si quis casus] Retinet modestiam suam: quod enim de Appii voluntate suspicatur, id in casum confert.

Constabunt] Sic locutus epistola proxima.

Scaeuola] Muciae gentis cognomen. hic vel Appii legatus, vel quaestor in prouincia fuerat.

Vellem potuisset ERN. *potuisse obsequi*] Sic antiqui omnes libri, non *potuisset*: quod est in impressis. nihil igitur mutandum, cum alibi quoque sic locutus Cicero sit. vt lib. 7. ad Attic. epist. 1. *Vellem a principio te audisse amicissime monentem*. et lib. 8. ad eundem epist. 11. *Vellem tecum fuisse*.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Ostendit congressum a se expetitum, ab Appio vitatum: se tamen ei fore amicissimum. quaedam addit de suo itinere, vt Appius constituat, quo loco eum conuenire possit.

EXPLANATIO.

Non magis mihi faueo] Non minus a te, quam a me ipso, praestari amicitiae nostrae ea, quae debentur, officia cupio.

Meo fructo] Quod a me factum est, vt te conuenirem, antequam decederes.

Quaesiui ex Phania] Epist. 5.

Nosse locum] Honestiorem scilicet, quam reliqui liberti.

In prima prouincia] Dixi iam, primam vrbem prouinciae Laodiceam fuisse. epist. proxima.

Vbi me quamprimum videre posses] Vt Laodiceae, id est, in prima prouincia; quod L. Clodius dixerat. mos enim fuit, vt ii, qui decedebant, successorem exspectarent in prima prouincia. Lib. 12. ad Attic. epist. 26.

Eo discessisti] In vltimam prouinciam: de quo sic lib. 5. ad Attic. epist. 16. *Appius, vt audiuit nos venire, in vltimam prouinciam se coniecit, Tarsum vsque: ibi forum agit.* et ibidem epistola sequenti.

Ad decedendum] Lex Cornelia, L. Sullae dictatoris, concedebat rectoribus prouinciarum, vt per triginta dies post successoris aduentum in prouincia morari possent.

Alieni] Non amici, nulla necessitudine coniuncti.

Tarsum] In Ciliciam, in vltimam prouinciam: quod dixit lib. 5. ad Attic. epist. 16.

Et est in multis] Abest hoc a meo vetere libro: et sane glossema esse potuit antecedentium verborum.

Forum agere] Ius dicere. epist. 8. et lib. 5. ad Attic. epist. 16. et Festus.

Succedi] Pro, successum iri. vnus antiquus liber, *succedere*.

Absenti mihi] Cum tu, absente me, Tarsi forum ageres. Non dicit, *absenti a prouincia*, cum in eam iam veniret. quod supra infraque ostendit: sed absenti ab eo loco, vbi forum Appius agebat.

Detractus] Tua iurisdictione Tarsensi.

Paucitate] Exsiles legiones vocat lib. 5. ad Attic. epist. 15.

Abesse tres cohortes] Facta seditione. quinque nominat lib. 15. epist. 4. *Cum*, inquit, *ante aduentum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione vllo apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. Anneio legato imperaui, vt eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret.* Cohortem ex pluribus manipulis constare, ait Varro lib. 4. de L. L. in ea fuisse homines quingentos, Valerio Maximo, Plutarcho, Caesare, Appiano testibus probatur. nam

nam Valerius duas Camertum legiones a C. Mario ciuitate donatas, Plutarchus mille Camertes ait. Iam Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 88. cum dixisset: *cohortes* CX. *expleverat*. subiunxit: *haec erant millia* XLV. Idem pugna Pharsalica quartam aciem ex sex cohortibus constituit: quod Plutarchus in Caesare confirmat: at eos fuisse tria millia, et idem Plutarchus in Pompeio, et Appianus quoque plane narrat. Postea, re militari commutata, sexcentos in cohorte video fuisse: nam Cincius apud Gellium lib. 16. c. 4. legionem ex centuriis sexaginta, cohortibus decem constituit.

Ne litteras quidem vllas] Cum te quotidie exspectarem; tantum tamen abest, vt ipse veneris, vt ne litteras quidem vllas a te acceperim. Hic non video, cur mutari quidquam necesse sit.

Euocatorum] Milites erant emeriti, subito ex agris in militiam euocati: quos Cicero ex senatus consulto in prouincia contraxerat: vt lib. 15. epist. 4. Crastinum euocatum in prima acie contra Pompeianos procurrentem nominat Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 91. Euocatos etiam Antonius habuit in Mutinensi certamine, lib. 10. epist. 30. et Octauianus, Dio lib. 45.

Cohortes] Quas secum Appius habebat. nam exercitus vniuersus erat in Lycaonia, vnde abesse dixit tres cohortes epist. 15.

Aliquid negotii gerere] Contra sempiternos hostes Amanienses. lib. 2. epist. 10. et lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Litterae tuae] In quibus, cupere se cum Cicerone congredi, scripserat Appius.

Secus] Male, secus ac vellem. sic *aliter*, vsurpabant, vt lib. 2. de republ. apud Nonium, *cum ad villam venisset, et omnia aliter offendisset.*

Loci] Occasionis.

Correxeris] Aliquo in me officio.

Salua lege] Quae vltra dies triginta, post successoris aduentum, non permittebat in prouincia permanere.

Pridie Kal. Sext.] Sic lib. 15. epist. 2. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 16.

In Ciliciam] A Laodicea in Ciliciam. lib. 15. epist. 4.

Per Cappadociam] Nam et alia erat, eaque breuior, in Ciliciam via: quam cur omiserit, exponit lib. 15. epist. 4.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Querelam Appii refellit: contraque ipse queritur, et extollit virtutem contra inanem arrogantiam nobilitatis: se tamen ei fore amicissimum confirmat.

EXPLANATIO.

Cicero imp.] Sic est inscribendum, non, *procos.* Scripsit enim, vt ipse ait, hanc epistolam Laodiceae: quo se contulit aestiuis confectis, id est, Amanensibus victis, qua victoria imperator appellatus

latus est, et Pindenisso capto. fuit autem Laodiceae a III. id. Febr. vsque ad non. Maii: quod lib. 6. ad Attic. epist. 2. ostendit.

Legati Appiani] Quos monumentum exstruere ad Appii laudem cupientes Cicero impedierat. epist. 9. Appianos populos in conventu Synadensi Plinius lib. 9. c. 29. nominat. Alii sunt autem legati, de quibus epist. 8. illos enim queritur Appius prohibitos esse ire Romam ad se laudandum, horum autem aedificationem impeditam.

Volumen] Litteras *volumen* appellat, non quod inuolutae clauderentur, (plicabantur enim epistolae, inuoluebantur autem libri) sed quod earum longitudo speciem voluminis efficeret. itaque subiecit, (vt vnas litteras hic *volumen* appellari constet) *eadem epistola petebas*. sic lib. 12. epist. 30. *non te epistolis, sed voluminibus lacesserem*, pro, ita longis, vt voluminum instar essent. Alibi vero *epistolarum volumina* nominat, quia descriptae multae, circa lignum essent inuolutae. lib. 9. ad Attic. epist. 10. *Euolui volumen epistolarum tuarum*. Ad Tironem lib. 16. epist. 17. *Tuas epistolas vis referri in volumina*. Et Tusculanas quaestiones *volumina* appellat: Plinius quoque suos naturalis historiae libros, *volumina*: Ouidius quindecim libros Metamorphoseos, *ter quinque volumina*. *Vmbilicos* ligna illa, quae voluminibus absolutis adderentur, ideo dicta, quod vmbilici nostri formam imitarentur, Porphyrio scriptum reliquit. inde natum, *ad vmbilicum adducere*, pro absoluere: quod Horatius Epod. 14. v. 8. de suis iambis dixit: *peruenire ad vmbilicum*, Martialis lib. 4. epigr. 91. v. 2. Huiusmodi autem vmbilicos non modo ligneos, verum etiam osseos, corneosue ornamenti gratia interdum fuisse, idem Porphyrio auctor est: pingi etiam solitos, Martialis. Extremae partes, quod, extra volumen eminentes, cornuum similitudinem prae se ferrent, *cornua* vocabantur: quibus ornamentum aliquod addi solitum, ostendit Ouidius, cum librum suum eleg. 1. Tristium v. 8. sic alloquitur:

Candida nec nigra cornua fronte geras.

Nec geras candida cornua, quae fortunae sunt indicia laetioris, cum sit atrata frons, qualem in calamitate nostra decet esse. Est enim *frons libri*, exterior voluminis pars: *frontes* vero cum appellantur, exterior, et interior: itaque dixit idem v. 11.

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes.

Et Catullus carm. 1.

Cui dono lepidum nouum libellum,

Arida modo pumice expolitum?

Martialis quoque *pumicatam* libri *frontem* dixit lib. 1. epigr. 67. v. 10.

Aedificationem] Templum, opinor, Appio erigere volebant, vt optime de republica merito.

Peracute] Excogitasti enim, quod a me cogitatum non est.

Tributa] Quibus Appio monumentum exstruerent.

Recepissem] In Asiam. nam, cum in prouinciam venisset, a Laodicea in Ciliciam profectus est. ibi pugnauit cum Amanensibus, Pindenis-

deniſſumque cepit. mox, aeſtiuis iam confectis, Laodiceam in Aſiam rediit: vnde rurſus ad abſoluendam iurisdictionem Tarſum in Ciliciam iuit.

Aequitatem] Ironia.

Tributa] Quae ciuitates imponebant, vt collecta pecunia aedificaret.

Non poteram] Rem cauſſamque cognoſcere.

Ad me] In Ciliciam: vt ibi de toto negotio cognoſcerem.

Liberto] Accenſi munus libertis deferri ſolitum, indicat lib. 4. ad Attic. epiſt. 16. in qua Antiochus Gabinius quidam, A. Gabinii libertus et accenſus nominatur. et lib. 1. ad Q. Fr. epiſt. 1.

Accenſo meo] Apparitorum multa genera, inter quos accenſi quoque erant, dicti, quod ſaepius ad neceſſarias res accirentur, vt ait Varro.

Auditui, cum diceret] Sic lib. 2. de Orat. c. 6. *Saepe ex ſocio meo auditui, cum is diceret, ſocerum ſuum Laelium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari.*

Vigilia] Nox in tres vigilias, et in quaternas horas vigiliae diuidebantur.

Fabrum] Qui exercitum ſequebantur, vt adminiſtrarent, quae ad bellum neceſſaria viderentur. *Fabrum* autem, non *fabrorum*, probaſſe Cicero videtur. de quo ſic in Oratore c. 46. *Iam, vt cenſoriae tabulae loquuntur, fabrum, et procum, audeo dicere, non fabrorum, et procorum.*

Ap. Claudio] Patriciae gentis, conſulari, augurali, opibus, ingenio, propinquis, affinibus florentiſſimo: vt omittam antiquorum nobilitatem, de qua diximus epiſt. 1.

Imperatori] Appellato, et a militibus et ab ſenatu: qui etiam ei ob victoriam ſupplicationes decreuerat. epiſt. vlt.

Ambitioſius] Studioſius: cum nullum officii genus ſoleam praetermittere.

Quid ni] Ciceronis, non Appii verba: ideo parentheſi includenda. Cur non crederem, inquit, id a te dictum? cum te tuae gentis antiqua nobilitas ſuperbum faciat.

Appius Lentulo] Appius ſuccedens Lentulo decedenti.

Prudentia] Naturalem ſignificat. nam ſeparatim deinde rerum vſum nominat.

Vrbanitatem] *Vrbanitas* et *dicacitas* non idem ſunt. itaque Demoſthenem, ait Quinctilianus lib. 6. c. 3. vrbanum fuiſſe, non dicacem. *vrbanitatem* autem eſſe illam, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, neque verbis, neque ore, geſtuue poſſit deprehendi: vt non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi: qualis apud Graecos ἀττικισμὸς ille, redolens Athenarum proprium ſaporem. Cicero autem in orat. pro Coelio c. 3. *Maledictio nihil habet propoſiti, praeter contumeliam: quae ſi petulantius iactatur, conuicium; ſi facetius, vrbanitas nominatur.*

Virtus] Habet enim ſimilitudinem quandam vrbanitatis.

Appietatem] Productione nominis fit ſonitus auribus ingratus: et ſimul ipſa res, nomini ſubiecta, deformatur. Appius autem nouum Ciceronis nomen, prae ſuo Lentuliique contempſerat. quam ſuperbiam irridet Cicero, Claudiae familiae inſitam,

insitam, vt ex omni patet historia, et his maxime Taciti verbis lib. 1. Annal. c. 4. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia.*

Ornamenta virtutis] Ipsam virtutem, a qua nullum abest ornamentum: vel, *ornamenta*, illa, quae a virtute proficiscuntur: cum *Appietas* et *Lentulitas* nomina quidem speciosa sint, virtutis tamen ornamenta non habent.

Hominum opinionibus] Nam re vera non sunt amplissima, si virtute careant. vulgus autem ipsam tantum honorum speciem admiratur.

Vobis reliquissent] Qui ea nomina sua virtute nobilitarunt: quorum vos nomina retinetis, virtutem non imitamini. Ostendit Appium non a se ipso, sed a maioribus nobilem esse.

Maxima imperia] Praeturam, et consulatum: quae vocantur *imperia*. vnde illud lib. 9. ad Attic. epist. 9. *Nos in libris habemus, non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari ius esse, idque factum esse numquam: consules, eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius.* Praestant autem potestate ceteris omnibus magistratibus: ideo *maxima imperia* vocantur. nam censura, licet inter maiores magistratus, imperio tamen carebat.

Ad honorem] Summus enim honor consulatus: de quo sic Liuius lib. 2. c. 1. *Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere. id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.*

Ad gloriam] Patefacta enim et oppressa Catilinae coniuratione, tantum adeptus est gloriae, nihil vt expetere amplius posset.

Superiorem numquam] Quod Appio re ipsa detraxit, verbis restituit. nam, cum dixit, *viros esse, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar;* nimirum iis viris non esse Appium similem ostendit: rursus, cum se non esse Appio superiorem fatetur, nec sibi tamen quidquam ad honorem aut gloriam deesse, ornat Appium amplissima laude, qui sit ei par, qui sibi nihil nec ad honorem neque ad gloriam acquirendum putet.

Vel Cn. Pompeium] Appii sententiam Pompeii sententia ac iudicio debilitat: vt in forensibus causis, vbi testibus res agitur, opponuntur ignobilioribus clari viri, egentibus locupletes.

Omnibus, qui vmquam fuerunt] Solus enim ad eam diem ter Pompeius triumphauerat, ex tribus orbis terrarum partibus victoria comparata.

P. Lentulum] Hunc nominat, cuius beneficio in patriam redierat, ne videatur eum proprie nominasse, cum dixit, *Lentulitat m.* potest enim nomen illud in omnes Lentulos, qui nobilitatem a maioribus accepissent, non in hunc, qui sua virtute clarus erat, cuique Cicero plurimum debebat, cum quadam contumelia conferri.

Quem mihi ipsi antepono] Praeclarum artificium. nam, si et me vobis parem speraui esse factum; et Lentulum mihi ipsi antepono:

sequi-

sequitur, vt eundem vobis quoque anteponam. quid igitur laborem, si tu me, quasi nouum hominem, contemnis, te autem, tamquam nobilem, magni facis; cum dixeris, *Cicero Appio noluit.* nam eos viros, quos et mihi et tibi antepono, aliter existimare video.

Si aliter existimas] Si dissentis a Pompeio et Lentulo; et ideo me contemnis, quia nouus homo sum.

Nihil errabis] Non est hoc sine quodam Appii contemptu: ita enim effertur, quasi rudiorem peritior doceat, et quasi, nobilitas quid sit, Appius ignorare videatur.

Vt, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas] Vt intelligas, vtrum idem sint, an inter se differant εὐγένεια, et nobilitas. Quasi dicat: falleris, cum vel te putas, quia sis εὐγενὴς, hoc est claro genere natus, ideo nobilem esse, vel me, quia non sum εὐγενὴς, propterea nobilem esse non posse. potest enim εὐγένεια esse, vbi non sit nobilitas; et nobilitas, vbi non sit εὐγένεια. nobilitas enim a maioribus non accipitur, sed virtute, magnisque in rempublicam meritis comparatur. Haec fuit Athenodori sententia: quam homo nouus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in maiorum claritate, et in opibus ponit.

Sandonis filius] Patris nomen adiunxit, vt eum distingueret ab altero Athenodoro, eius aequali. nam, vt ait Strabo lib. 4. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio vocatus est, cum M. Catone vixit, et apud eum obiit; alter vero, Sandonis filius, quem et Cananitam a quodam vico appellant, Caesaris Augusti praeceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: et idem Sandonem philosophum nominat, huius, opinor, Athenodori patrem.

Quid de his rebus] Quid de praestantia, quid de nobilitate scripserit.

Amicissimum] Epistolae clausula non caret arte. lenit enim amoris commemoratio animum Appii, iratum fortasse ob superiora. ita Cicero non solum caussa, sed etiam humanitate vincit.

Laborarim] Cum aliis in rebus, de quibus epist. 9. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua epist. vlt.

Ista cura] Hoc te mouere non debuit. alios habeo cupidos honoris mei, maxime vero Cn. Pompeium: quem significat, cum ait, Μητίετα Ζεῦς. vocitat autem Agamemnonis verba apud Homerum, contra Achillem lib. 1. Iliad. v. 174. *Apud me alii quoque, qui me honorabunt, maxime vero consiliarius Iupiter:* vt, quemadmodum Agamemnon suum Iouem appellauit Nestorem, sic de Pompeio Cicero intelligat, a quo se amari vehementer putabat. aut nihil proprie de Pompeio, sed vniuerse de amicis omnibus dixit, licet extrema Homeri verba ad vnum spectent. Fortasse etiam non scripsit Cicero illud, Μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς, sed aliquis addidit, vt versum absolueret, ignarus Ciceroniani moris. Quid enim notos poetarum versus a primo ad vltimum nominaret? exemplo illud est (vt omittam alia) lib. 6. epist. 18. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα.

Natura]

Natura] Naturae vitia nonnihil excusantur. simul igitur et accusat, et excusat Appium.

Non perficies] Si tua mihi officia defuerint, non mea quidem culpa, sed quod φιλαίτιος natura sis, et calumniis in amicos delecteris: ego tamen retinebo constantiam meam; officia, quae soleo, in te conferam: quae si tibi minus grata fuerint, non laborabo.

Conscientia officii mei] Veritas enim, et innocentia, suis freta viribus, animos addit: delicta vero sequitur metus et humilitas.

Beneuolentiae] Simulare enim, aut dissimulare, aut omnino quidquam celare, beneuolentia non patitur. quod etiam indicat illud lib. 1. ad Attic. epist. 18. *Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quicum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, vna communicem: qui me amet, qui sapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam.*

Certo iudicio susceptam] Eo susceptam animo, vt perpetuo conseruarem. Hoc dicit, ne videatur ficte in gratiam rediisse: quod suspicari Appius videbatur, cum in malam partem acciperet ea, quae minime contra eius existimationem a se fieri Cicero voluerat.

Quoad tu voles] Ita suam humanitatem declarat, ne pluris tamen, quam eius dignitas ferat, Appii amicitiam aestimare videatur. tale illud lib. 5. epist. 2. *Maneo in voluntate, et, quoad voles tu, permanebo.*

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Refellit ea, quae Appius obiecerat; probatque si quid fecerit, quod Appius inique factum, suique deformandi consilio, interpretaretur; ipsumque Appium aut imprudentem significat, qui sermonibus non proborum hominum crediderit; aut nimis astutum, qui ea, quae ipsi in mentem veniant, aliis attribuat. Agit gratias, quod scripserit diligenter de rebus vrbanis, seque omnia Ciceronis mandata curaturum promiserit: in quibus id praecipue rogat, ne sibi prouincia prorogetur. addit de suis rebus, de itinere Amanum versus: item de Parthis, falsum fuisse. de rebus Appii, de suis, de tota republica creberrimas litteras poscit.

EXPLANATIO.

Cum ad vrbem esses] Antea, *isses*: nos, *esses*. *Esse* autem *ad vrbem* dicebantur, qui cum potestate prouinciali aut nuper e prouincia reuertissent, aut nondum in prouinciam profecti essent. sic enim scripsit Asconius; eoque modo Cicero, Sallustius, et alii eiusdem aetatis locuti. solebant autem, qui ob res in prouincia gestas triumphum peterent, extra vrbem exspectare, donec, lege lata, triumphantes vrbem introire possent. Et de triumpho Appium cogitasse, ex epist.

10. cognoscitur; ne triumpharet, accusatione Dolabellae factum est, lib. 8. epist. 6.

R frigerato] Imminuto. sic Act. 1. in Ver. c. 10. *refrigerata accusatio.* manifesta translatio: cum actionem vis frigoris impediat. sic ad Dolabellam, lib. 9. epist. 10. *Vnum vereor, ne hasta Caesaris refrixerit.* Contra *calere* dicitur id, quod sine intermissione fit. lib. 8. epist. 1. *rumores caluerunt.* lib. 4. ad Attic. epist. 16. *iudicia calent.*

Hominum prouincialium] Quibus de meo in te animo falsa narrantibus credidisti. Phryges et Lycaones nominat epist. 10.

Breui respondérem] Breuis responsio non fuit: sed breuis fortasse prae Appii querela: dixit enim, *cum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses.*

Definitum aut certum] Nam neque rem nominauerat Appius, ex qua non esse sibi amicum Ciceronem coniiceret: neque certa signa posuerat, cum ex vultu et taciturnitate de Ciceronis animo coniecturam faceret.

Pro tribunali] In tribunali: vt *pro rostris, pro aede;* sic enim Festus interpretatur.

Possum intelligere] Quia conscius mihi sum animi erga te mei. ex quo sequitur, vt, quid a te dicatur, non intelligam.

Ex superiore, et ex aequo loco] Et pro tribunali, et priuatis in locis.

Ad legatos] Questus erat Appius, quod legatos ciuitatum Romam ire, vt Appium in senatu laudarent, prohibuisset.

Elegantius] Commodius: quia ita sumptus ciuitatum minui, ne tuam tamen dignitatem imminuerem.

Iustius] Quid enim iustius, quam leuare sumptibus egentissimas ciuitates, praesertim cum ipsae postulent?

Totum genus legationum] Hanc vnam ob caussam legatos Romam ire, vt te laudarent, nesciebam.

Tuo nomine] Tui laudandi caussa.

Principes] Primarii ciues.

Cum soluendo non essent] Cum ea tributa soluere non possent. lib. 13. ad Attic. epist. 10. *Magius soluendo non erat.* lib. 2. de Offic. c. 22. *In pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse soluendo.*

Sapienter] Sapientis autem est, inania contemnere.

Vt nunc loquimur] Non quod, *vrbanus,* nouum esset verbum, cum eo Plautus quoque non semel vsus esset; sed quod noua significatio. quod enim peregrini homines ab vrbanis morum elegantia et lepore vincebantur; inde coeptum Ciceronis aetate, *vrbanus homo* dici, pro eo, cuius in factis aut dictis nihil odiosum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. epistola etiam proxima vrbanitatem in Appio laudauit.

In ea enim ciuitate] Ex his verbis, proxime legendum, *Synnadensium,* non *Myndensium,* coniicio: cum dixerit iam, *idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputauisse.*

Consilium totum] Vt Romam venirent tui laudandi caussa.

Suo sumtu] Non ciuitatum. dixit enim: *vt sumtus egentissimarum ciuitatum minuerem.*

Legitimo] Quantum lex Cornelia concedebat. epist. 10.

Quid enim reprehendi potest] Ex his, quae Synnadis pro tribunali disputaui.

Quasi consulto] Quia de industria visus est edicere, ne quis iniussu suo Romam proficisceretur; vt impedimentum profecturis Romam legationibus obiiceret.

Si cuius aures] Quaerit enim causas discordiarum.

Edictum] Ex quo in prouincia ius dicerem.

Translatitium est] Vsitatum, quod ad omnes consuetudine transfertur. sic Coelius epist. 5. *Nosti haec translatitia.* lib. 3. ad Attic. epist. 23. *Alterum caput est translatitium de impunitate.* lib. 1. in Ver. c. 44. *In re tam vsitata, satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, et hoc vetus edictum translatitiumque esse.* Suetonius in Nerone c. 33. *Raptum, inter maximos imbres, translatitio funere extulit.* Et Plinius lib. 10. c. 50. *Hoc primum antiquis cenarum interdictis exceptum inuenio, iam lege C. Fannii consulis, ne quid volucrum poneretur, praeter vnam gallinam, quae non esset altilis: quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulauit.* Haec igitur est sententia Ciceronis. Quod edixi, ne legati Romam iniussu meo proficiscerentur; ex quo suspicatus es, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem: noui nihil feci, aut a me exquisitum, vt minuerem dignitatem tuam: translatitium id fuit, vsitatum antea. cum enim nec priuatae rei causa, nec vt homini priuato, nec vt in priuato loco, sed vt in senatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem; cur in eo me de tua priuata contumelia cogitasse putas? quod si tua priuata res, non publica, ageretur; querendi fortasse de me si non veram, speciosam tamen caussam haberes. nunc, si priuatae rei causa legari credidissem, plane desipiens fuissem.

Publico orbis terrae consilio] Orat. 4. in Antonium c. 6. *Senatum, id est, orbis terrae consilium, delere gestit.* Et in eundem 7. c 7. *Turpe est, summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua, consilium intelligi defuisse.*

Exclusi eos] Priuati eos proficiscendi potestate, qui me in castra ad Iconium, et qui trans Taurum persequi non possent. nam si nec iniussu Ciceronis Romam ire, nec vnum persequi trans Taurum poterant, vt eundi facultatem impetrarent, videbantur excludi, id est, prorsus omni eundi Romam potestate priuari. Hoc suspicatus erat Appius. Cicero refellit.

In castra] Ad Iconium. epist. 5. 6. et lib. 15. epist. 4.

Trans Taurum] Iconium enim cis Taurum fuit.

Commoratus] Biduum Laodiceae, quatriduum Apameae, triduum Synnadis, totidem Philomeli. sic enim scripsit ad Catonem lib. 15. epist. 4. aliter tamen lib. 5. ad Attic. epist. 16. et 20. Commoratus autem, quia ius in iis opidis dixit. qua iurisdictione nihil aequabilius, nihil lenius, nihil grauius esse potuisse, scripsit lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Venditionem tributorum] Cum enim exigi celeriter tributa non possunt, venduntur alicui, qui, quanti emit, tantum statim de suo nume-

numerat: deinde exigit acerbissime, accepta cogendi potestate.

Capitum atque ostiorum] Cum per singula capita atque ostia exiguntur tributa per eos, quibus vendita sunt. Festus: *Tributorum collationum cum sit alia in capite, alia ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, vt post vrbem a Gallis captam collatum est. quia proximis quindecim annis census alius non erat.*

Per magistratus suos] Hoc adiunxit, ne perditas ab Appio ciuitates videatur dicere. perditas tamen per Appium maxime, significat in epistolis ad Attic. atque haec ipsa tributa ita memorat lib. 5. epist. 16. *Audiuimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια soluere non posse: ὠνὰς omnium venditas: ciuitatum gemitus, ploratus: monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis.* In epistola vero 2. lib. 6. expilatas a suis etiam magistratibus ciuitates, easque pecunias suo iussu redditas esse narrat.

Non necessario] Nec enim vlla necessitate cogebantur eas legationes Romam mittere.

Istiusmodi sermones] Quod ais visum esse quibusdam, edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum; et illud, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem.

Non debuisti credere] Aut enim, si credidit, imprudens; aut, si finxit ipse, non amicus.

Minime liberale] Indignum homine liberaliter educato.

Generum tuum Lentulum] Tres igitur Appius generos habuit. nam de duobus Cn. Pompeii filio, et M. Bruto, mentionem fecit epist. 4. Retulit autem ad eum Romae. Sed mihi suspectus locus est. cur enim ad hunc potius retulit, qui nusquam praeterea nominatur, quam ad reliquos generos? auget suspicionem dissensio veterum librorum: nam Lentuli mentionem plerique non habent.

Libertum tuum] Phaniam. epist. 5.

Praefectum] L. Clodium. epist. 5. 6.

Auctoribus] Monent enim, ne inter amicos tale quidquam dicatur, quale tu ad me scripsisti, hoc inquam: *Disputabant; ego contra disserebam.*

Disputabant] Contra te Cicero.

Contra disserebam] Cum ego te contra illos defenderem.

Dicebant] Ideo legationes a te impeditas, quia meae laudi inimicus esses.

Voluisses] Id enim ei dixerat L. Clodius. epist. 5. et 6.

Taurum ipse transisti] Quod hominis alieni et fugientis congressum fuisse, scripsit epist. 6. ad Atticum autem lib. 5. epist. 16. *Appius, vt audiuit nos venire, in vltimam prouinciam se coniecit Tarsum vsque: ibi forum agit.* Et in sequenti ad eundem: *Appius noster, cum me aduentare videret, profectus est Tarsum vsque Laodicea. ibi forum agit, cum ego sim in prouincia; quam eius iniuriam non insector.*

Conuentus] Iuris dicendi caussa.

Non dicam plura] Quae mihi de te dicta sunt.

Obiurgem] Quod maleuolorum sermonibus aures dedisti.

Culpa est] Qui genus sermonis inducis in amicitiam nostram minime liberale.

Quod audis] Cum istiusmodi sermonibus non debueris credere.

Mea ratio] Eodem modo epist. 5. *Tua ratio postea est commutata.* Et lib. 1. epist. 9 *Mea ratio fuit alia. Mea*, inquit, *ratio constans et grauis reperietur:* pro, nihil inconstanter aut leuiter commisi: perpetuam quandam in tota amicitia nostra constantiam et grauitatem seruaui: cum tua ratio neque constans fuerit, id quod ex vitato congressu possum suspicari; neque gravis, cum credideris Phrygum et Lycaonum maleuolis de me sermonibus. epist. 10. in extremo.

Astutiorem] Quasi consulto ad legationes impediendas meum edictum accommodauerim. quae astutia videtur.

Callidius] Cum ironia. potius enim stultitia, quam calliditas est.

Non arbitrarer] Non enim fore putabam, vt in prouinciam irem. epist. 2.

Iure optimo] Nam, si ego te in prouincia laederem, tu me absentem iure optimo desereres.

Quod te putem nolle dici] Recte: nec aliter est in antiquis libris. nam illa inferiora subiungit Cicero ad Appium consolandum: *Hos ego sermones, etc.* Quis autem non laborasse Appium credat, si suae cohorti malediceretur? debet enim, qui prouinciae praeest, non ipse tantum vacare culpa, sed suos quoque praestare. quod Cicero fratrem suum, Asiae proconsulem, diligenter monet in illa praeclara de officio proconsulis epistola.

Male dicitur] *Male dicere alicui*, est de fama sermonibus detrahere.

In plures] Non enim tibi, sed tuis male dicitur.

Clodius] L. Clodius, praefectus fabrum. epist. 5.

Aliorum improbitate] Vsitata ratio criminis deriuandi. nam et lib. 2. in Ver. c. 20. *Aiunt eum*, inquit, *queri solere nonnumquam, se miserum, quod non suis, sed suorum peccatis et criminibus prematur.*

Multi sunt] Vt reprimere non potuerim, etiam si vellem.

Non offendunt] Nec enim tu aliorum facta praestare debes.

Lacessiui numquam] Non excitaui, non commoui.

Repressi] Sic Coelius lib. 8. epist. 1. *Eos sermones repressit.* Et epist. 6. eiusdem libri: *Retudit sermones.*

Neminem bona fide in gratiam redire] Sermonum haec erat causa improbis hominibus.

Dissimilitudine] Vide lib. 2. epist. 13. et lib. 6. ad Attic. epist. 1.

Laedi se putat] Norat homines prouinciales, qui non eosdem e Ciceronis institutis fructus caperent, quos ex Appii administratione capere consueuerant. Huc spectat id, quod sequitur: *Liberalitas tua latius in prouincia patuit.* Et illud paullo post: *Non debent mirari homines, me esse acerbum sibi, vt sim dulcis mihi.* Alii legendum arbitrantur, *laedi te putat:* discedentes primum ab antiquis libris, deinde etiam (vt mihi videor ostendisse) a mente Ciceronis.

Liberalitas tua] Cum videatur eum laudare, carpit, quasi ex alieno liberalem.

Vt hominis nobilissimi] Excusat qua ratione potest Appii instituta. nobilitas enim ad liberalitatem hortatur. Sed de nobilitate quid ipse sentiat, superiore docuit epistola.

Limauit

Limauit aliquid] Detriuit aliquid, detraxit, imminuit, vt lima solet. Hic moneo lectorem, cui fucum fieri non patior, in omnibus, quos ego adhuc viderim, antiquis libris, pro *limauit*, esse, *limabit*, vno dumtaxat excepto, in quo est, *limitauit*. quo equidem tot librorum consensu valde moueor: nec puto, si quid obscurum nobis est, aut etiam corruptum videtur, propterea statim repudiandum. *Limitare* autem *de alicuius prolixa natura*, fortasse est, quod aliquis prolixe et liberaliter facere consueuerit, id quasi intra limites redicere, quos largiendo transire non liceat.

Propter quandam tristitiam temporum] Callide; ne videatur sua sponte ab Appio dissentire. Temporum, inquit, ratio liberalitatem respuit, in qua fortasse te, si soluta mea voluntas esset, imitarer.

Ad largiendum ex alieno] Acerbe in Appium, quasi eius liberalitas ex alieno fuerit, ideoque late patuerit in prouincia.

Quibus alii mouentur] Sapientis enim est, parere temporibus. lib. 4. epist 9.

Acerbum sibi] Quia largitiones Appii non imitor.

Vt sim dulcis mihi] Vt meae laudi consulam. aperta translatio, contrariis expressa, vt in Laelio c. 24. *Scitum est illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur.*

Aut oneris] Fortasse ne quid ei mandaretur, si Parthi in Syriam irrumperent: quod post M. Crassi necem timebatur.

Aut temporis] Suspicabatur fore, quod accidit, vt successor ei non mitteretur, propter Gallias impedita prouinciarum omnium successione. qua de re lib. 8. epist. 10. et lib. 2. epist. 10.

Hortensium] Q. Hortensium oratorem.

Nostrum collegam] Collegam Appii et Ciceronis in auguratu: quod legitur in prooemio libri de clar. orat. et Philip. 2. c. 2.

Familiarem] Appio quidem ita studuit, vt eum, a Dolabella accusatum, defenderet. in Bruto c. 64. et 94.

Sententia bima] Vt prouinciae per biennium ab iisdem obtinerentur.

Amanum] Quo in monte quae gesserit, scripsit ad Coelium lib. 2. epist. 10. sed copiosius ad Catonem lib. 15. epist. 4.

Mopsuhestiae] Opidum Ciliciae, cuius in gymnasio Syriae rex Seleucus, Grypi filius, ob tyrannidem iniquissimam a populo crematus est. Appianus in Syriaco.

Parthico ornatu] Quo plus terroris inferrent. finitimi Syriis Arabes sunt: ideo facilis irruptio est. lib. 8. epist. 10.

Pompeium nostrum] Quo absente infirma respublica videtur. lib. 5. ad Attic. epist. 11. *Pompeius mihi quoque videbatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certe iturus. id ego minime probabam; qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam nusquam illum discedere.* Reuersus tamen e prouincia, vt contentiones inter Caesarem et Pompeium sedarentur, censuit, vt in Hispaniam iret: de quo sic lib. 6.

epist. 6. *Eundum in Hispaniam censui: quod si feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet.*

Hiſpaniam] Quam per legatos abſens adminiſtrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium.

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Appii litteris, humaniſſime ſcriptis, humaniſſime et ipſe reſpondet: gratulatur de triumphi ſpe: hortatur ad abſolutionem librorum auguralium: petit, vt ſupplicationem ſibi decernendam curet.

EXPLANATIO.

Vix tandem] Quantopere eas Appii litteras exſpectaret, hoc principio ſignificat. ſero enim nimis videtur fieri, quod vehementer cupimus.

Dignas Ap. Clodio] Quaſi aliae Appii litterae non tam ipſius voluntate, qui natura ad humanitatem inclinaret, ſed ob ſermones improborum ſcriptae ſint.

Vrbanitatem] Humanitatem illam, quae in vrbanis hominibus agnoſcitur. epiſt. 7. *Homo, mea ſententia, ſumma prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vſu, addo vrbanitatem, quae eſt virtus, vt Stoici rectiſſime putant.* Et epiſt. 8. *Te hominem non ſolum ſapientem, verum etiam (vt nunc loquimur) vrbanum.*

Ex Aſia] Ex ea parte Aſiae, quae ad prouinciam Ciliciam non pertinuit.

Proficiſci] Romam, vt te laudarent.

Appianorum] De quibus epiſt. 7.

Reſcripſi tibi ſubiratus] Iracundiae confeſſio ſatisfactio quaedam eſt, praeſertim cum adiunxerit, *conſcientia meae conſtantis erga te voluntatis.*

Liberto meo] Libertum ſuum vocat, quod eius vxoris libertus eſſet. id quod oſtendit lib. 2. ad Attic. epiſt. 4. aut duo Philotimi fuerunt, vnus Ciceronis, alter Terentiae libertus.

Cognoui] Culpam in alios confert, quo leuius peccaſſe Appius videatur. nam omnino peccatum aliquod in eo fuit, quod audierit, et crediderit. epiſt. proxima: *ſin alii tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa nonnulla eſt.*

Acceſſeris] Non enim introierat, quia triumphum ſperabat.

Fide] Poſt gratiam reconciliatam.

Officiis tuendis erga te obſeruantia] *Tueri*, non eſt *defendere*, ſed *colere*: vt lib. 13. epiſt. 68. *Tuebor omni obſeruantia patrem tuum.*

Conſtantia] Confirmat illud, quod dixit: *mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans et grauis reperietur.* Omnino ſignificat, ſe, poſt reconciliatam gratiam, amici officio numquam defuiſſe: itaque fidem et conſtantiam ſuam hic nominauit.

Parem gratiam] Operam Appio ſuam Cicero nauarat in ſupplicatione impetranda. epiſt. 13.

Cum

Cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo.

Studio et beneuolentia] Addidit beneuolentiae nomen; quia multi student, nec tamen diligunt.

Vel amore potius] Maior est in amore vis, quam in beneuolentia: sicuti plus est amare, quam diligere. lib. 9. epist. 14. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.* Et lib. 13. epist. 47. *Vt scires, eum non a me diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo.* Epist. 1. ad M. Brutum: *L. Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat.* Et ad eundem lib. 8. apud Nonium: *Sic igitur facies, et me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.*

Spe] Ex tuis rebus gestis, et quia iam adeptus erat supplicationem: quae triumphi praerogatiua quaedam solebat esse, vt ait Cato lib. 15. epist. 5.

Facilius consequerer] Exemplo tuo, cum ego quoque Ciliciae praesim; nec mihi, successori tuo, negari posse videatur, quod tibi concessum sit.

Ἐπικέρειαν] Esset hoc eius hominis, qui Epicuri sententiam sequeretur, id est, qui ad se ipsum omnia referret, et in sua vtilitate cuncta poneret. lib. 7. epist. 12.

Dignitas atque amplitudo] *Amplitudinem* et *dignitatem* coniunxit etiam lib. 1. epist. 5.

Longi subsellii] Senatum significat, a quo tarde omnia explicarentur.

Iudicatio] In iudicandis rebus, de quibus consulitur. petebatur enim a senatu triumphus: deinde facto senatus consulto lex ad populum ferebatur, vt ei, qui triumphaturus esset, eo tantum die, quo triumpharet, imperium in vrbe esset. alioqui vrbem introire cum imperio nemini licebat. itaque de Pontinii triumpho legem a Ser. Galba praetore latam esse, legimus in Dione lib. 39.

Item vnum alterumue diem] Consuetudinem senatus in protrahendo rerum exitu significat.

Reliquum promisi] Scripserat ad Ciceronem Appius librum vnum de iure augurali, reliquos promiserat. epist. 4. et 11. et Festus in verbo *Solliſtimum.*

Tale quiddam] Ob hanc fortasse caussam, vt Appium remuneraretur, scripsit Cicero librum de auguriis, quem Carisius nominat.

Considerandum est] Si gratus esse volo.

Quonam genere] Quo muneris genere: id est, quid ad te scribam, vt te remunerer.

Videar] Si, accepto a te munere, nihil remittam.

Vt supplicatio] Pro rebus in Amano monte gestis: ex qua victoria imperator appellatus est. quamquam Pindenissum etiam postea cepit. lib. 2. epist. 10. et lib. 15. epist. 4.

Difficultas nauigandi] Misit enim litteras ad senatum mense Ianuario. quod lib. 5. ad Attic. epist. 20. satis ostendit.

In ipsum discessum senatus] Discedebat senatus Aprili mense, cuius fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat.

cebat. id quod ex antiquis dierum fastis, quos a nobis explanatos edidimus, licet intelligere. erant autem inter ludos, qui dabantur Aprili mense, Megalenses, quos aediles curabant. Romani vero ab iisdem aedilibus Septembri mense dabantur: quorum item caussa senatum discessisse, ex iis verbis conicio, quae sunt lib. 1. de Orat. c. 7. *Dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui caussa, se in Tusculanum contulisse. venisse eodem Q. Mucius dicebatur, et M. Antonius.*

Incidisse litteras meas] Ex quibus referri ad senatum de supplicatione mea ideo fortasse non potuit, quia frequens senatus non afuerit: infrequenti enim senatu fieri senatus consultum non potuerat: quod ostendimus lib. 1. epist. 9. in eo loco: *Mihi est senatus assensus, vt de agro Campano, frequenti senatu, idibus Maiis referretur.*

Appellatus imperator] Deuictis Amanensibus. lib. 2. epist. 10. et lib. 15. epist. 4.

Aliis rebus additis] Capto Pindenisso die quinquagesimo septimo, postquam oppugnari coeptum erat. lib. 15. epist. 4.

Aestatisque confectis] Cum in hiberna milites dimittuntur; nec iam bellum geri per anni tempus licet.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Appium Dolabella, reuersum e Cilicia, de maiestate et de ambitu accusauerat, eodemque tempore Tulliam, Ciceronis filiam, vxorem duxerat, M. Coelio, Ciceronis et Dolabellae amicissimo, eas nuptias conciliante; de quibus lib. 8. epist. 6. 13. Id factum a suis, insciente se, conatur Cicero probare, et in hanc sententiam multa colligit. Praeterea, suspicante Appio, impeditas a Cicerone legationes, quae Romam ad suam laudem ire decreuissent, multis verbis hanc ei suspicionem studet adimere. Mittit etiam commentarium de rebus a se perfectis atque institutis in prouincia, quae ad Appii absolutionem pertinerent. Auguratur in extremo, censuram ei delatum iri: quod euenit.

EXPLANATIO.

De temeritate eorum] Dolabellam significat, qui Appium accusauerat.

Tibi negotium facesserent] Te accusarent. *Negotium* et pro re simpliciter capitur, vt alibi, et pro re molesta ac difficili, vt cum additur verbum *facessere*. quid autem accusatione molestius ac durius? Lib. 4. in Ver. c. 64. *Cum audissent, ei negotium facessitum.* Pro Cluentio c. 57. *Si cui forte negotium facessetur. Facessere periculum*, in eadem sententia dixit in Diuinat. c. 14. *Exhibere negotium*, lib. 3. de Offic. c. 31.

Vt me collegi] Cum ad rationem me quieto animo reuocare coepi. Sic lib. 1. epist. 9. *Collegi ipse*

ipse me, et cum ipsa quasi republica collocutus sum.

Cetera] Quod ad periculum accusationis attinet.

In tuis] Praesertim in Pompeio, cius filiae socero, et in Bruto genero: quos pro Appii absolutione laborasse, patet ex epistola sequenti.

Etiam honori] In aduersis enim virtus elucet, et, vt aurum igne, sic innocentia sententiis iudicum probatur.

Ereptum] Recitemus Coelii verba ex lib. 8. epist. 6. quae locum interpretantur: *Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum: sane quam non ea, quam existimaueram, invidia. Neque enim stulte Appius: qui, simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in vrbem, triumphique postulationem abiecerat. Quo facto retudit sermones, paratiorque visus est, quam sperauerat accusator.*

Ego semper iudicaui] Nam, si triumphum exoptasset, consul non deposuisset. qua de re lib. 5. epist 2. copiose autem lib. 15. epist. 4. quin ipsa verba recitabo: cur enim meo labori parcam, vt alios labore leuem? *Si quisquam fuit umquam remotus et natura, et magis etiam, vt mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude, et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus: in quo sicut in reliqua vita, fateor, ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putaui expetendam. Itaque et prouinciam ornatam, et spem non dubiam triumphi neglexi.*

Victor] Absolutus.

Triumphum] Tantum enim honorem, tantam laetitiam, absolutus, ex inimicorum dolore capies, quantum, si triumphans vrbem introires.

Nernis] Propter virtutem tuam. translatio est a corpore ad animum.

Opibus] Dixi iam, quantumcumque est, quo valemus, *opum* nomine totum significari.

Contestans omnes deos] Testes vocans omnes deos.

Promitto] Ad Coelium etiam lib. 2. epist. 13. ita scripsit: *Post hoc negotium, et temeritatem nostri Dolabellae, deprecatorem me pro illius periculo praebeo.*

Malo enim dicere] Ominis caussa, *dignitatem* potius, quam *salutem*, nominat; ne periclitari Appius de salute videatur.

Grauitate imperatoris] Ponderis enim plus habebunt officia mea, ob acceptam mihi ex imperatoris nomine dignitatem.

Suscepturum officia] Ne quis ex prouincia Romam iret, vt adversus Appium testimonium diceret. hinc illud epistola sequenti: *De mercenariis testibus, a suis ciuitatibus notandis, nisi iam factum aliquid est per Flaccum, fiet a me, cum per Asiam decedam.*

Omnia volo a me et postules et exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas] Non dissimilis illa sententia lib. 1. epist. 6. *A me omnia summa in te studia officiaque exspecta. non fallam opinionem tuam.* Et hic infra: *Quid mihi mandasti, in quo non exspectationem tuam diligentia mea vicerim?*

Iniuriam mihi fieri putabam, cum rogabar] Tale illud lib. 1.

epist. 9. *Ea tantae mihi curae sunt, vt me nolim admoneri: rogari vero sine magno dolore vix possum.* Ideo dixit lib. 9. epist. 13. *Peto a te, vel, si pateris, oro.* Rogauerat autem Appium Cicero, vt praestaret sibi quidquid posset pro salute sua. et Coelius lib. 8. epist. 6. *Appius in te maximam spem habet.*

Pompeium] Socerum filiae tuae.

Vnum ex omnibus] Pluris facio, quam omnes.

Brutum] M. Brutum, Appii generum. epist. 4.

Facinus] Quod non liceat.

Dedecus] Quod non deceat. grauius autem *facinus*, quam *dedecus*.

Pomtinus ERN. *Pontinius*] C. Pontinius, Ciceronis legatus, praetorius, qui de Allobrogibus triumphauerat, Appio ipso consule adiuuante. lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Erit cum Pontinio Appius consul.*

Tractatus est] Quia consul Appius, vt proxime dixi, adiutor ei fuit in obtinendo triumpho.

Fide] Cum debitam amicitiae fidem praestitisti.

A me inuitissimo] Sic malo, quam, *inuitissime*: nam, Pontinium non libenter discessisse, verba illa satis ostendunt, *maximis rebus suis coactus.* nunc significationem suae voluntatis et amoris in Pontinium Cicero dat, cum inquit, *a me inuitissimo.*

Laodiceam] Vt in prouincia operam daret, ne testes in Appium Romam irent, ex quo patet, accusatum Appium de rebus in prouincia gestis, quibus maiestatem populi Romani laesisse videretur.

Amplitudo ERN. *Amplitudini ista sollicitudo futura*] Idem aliis verbis paullo ante, *istum laborem tibi etiam honori putarem fore.*

Si vero efficis, vt censores creentur] Quod si accidat; fore non dubitat, vt censor ipse Appius creetur. itaque subiungit: *et, si ita gesseris censuram.* creatus autem est cum L. Pisone, in quem exstat Ciceronis oratio. lib. 8. epist. 14. lib. 1. de Diuin. c. 16. Dio lib. 40. orat. contra Sallustium c. 6.

Et potes] Cum tibi neque animus, neque consilium desit.

Prorogetur]. Ne quid ad hoc annuum prouinciae munus temporis addatur.

Hic tibi satisfecerimus] Paullo ante dixit, *promitto atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui susceperum officia atque partes.*

Nauare] Praestare, tribuere.

Hominum atque ordinum] Epistola quoque 9. lib. 1. coniunxit homines et ordines: *Cum me vniuersa respublica comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperasset.* Ordines autem in ciuitate tres fuere, senatus, equites, plebs.

Minime miranda, et maxime iucunda] *Nec miror, et gaudeo,* dixit lib. 10. epist. 1.

Ampla] Vt mihi plurimis in rebus vsui esse possit.

Iucunda] Ob multas suauitates. addit enim, *iucunda;* ne videatur eum diligere dumtaxat humanitatis causa.

Vna

Vna] Vna in primis. habet enim non tam definiendi, quam augendi vim.

Adolescente] Dolabella.

Duobus capitis iudiciis] Lib. 6. epist. 11. scribit se Dolabellae periculis non defuisse. *Capitis* autem *iudicium* fuit, quo libertas aut civitas amittebatur.

Obliuisceretur] Amicitiae, quae mihi tecum intercedit, rationem non haberet.

Vel ornamentis, vel praesidiis] Iis rebus, quae vel ornamento, vel praesidio esse possunt: quas memorat lib. 2. epist. 13. *Quid*, inquit, *est caussae, cur mihi non in optatis sit, complecti hominem, florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis?*

Vt leuissime dicam] Non dicam, omnia, sed, multa deessent.

Sermo stultus] Dictitabat fortasse, probari a Cicerone accusationem illam, hoc argumento, quod sibi tunc filiam suam collocasset.

Coelio] Hae Coelii litterae, quas hic Cicero significat, non exstant. nam in iis, quas habemus, nulla sermonis huius Dolabellae mentio fit. de iungendo autem inter eum et Tulliam, Ciceronis filiam, matrimonio, loquitur Coelius in duabus epistolis, lib. 8. 6. et 13.

Coniunctionem] Amicitiam, quae antea fuerat. lib. 6. epist. 11.

Nouam] Nuptiis filiae conciliatam.

Neque id est obscurum] Multos enim et illustres, et ex superiore, et ex aequo loco, sermones habitos esse cum summa Appii laude, dixit epist. 8.

Alienum tempus est] Ne satis grauem ex accusatione curam sustinenti hoc etiam addam molestiae.

Necessarium] Quia significatur in tuis litteris suspicio quaedam et dubitatio.

Legationi] Hac de re vide epist. 8.

Si clam, magis aperte inimicus] Si quis est, qui se veteribus ita libris addixerit, vt locum coniecturae nullum relinquat; legat hic, *sic iam magis aperte inimicus essem.* nam ita diserte ac plane in antiquioribus libris, etiam in illo Mediceo, scriptum est. sin perquirenda veritas est, et licet a mendosis incorrupta distinguere: dubitandum, opinor, non erit, quin hic pro, *sic iam*, reponatur, *si clam*; pro *essem*, *esse*. quod olim a singulari viro, Petro Danesio Parisiensi, Episcopo Vaurensi, quem ab adolescentia mea dilexi vehementer et colui, acute animaduersum ita probaui, vt imprimi voluerim. neque haec postea coniectura hominibus eruditis, cum et ipsi has epistolas emendarent, displicuit.

Qua sunt ii] Epist. 8. *Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse: non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam.*

In obscuro odio] Si clam te odissem. quod proxime dicit.

In quo tibi nihil nocerem] Iterat illud, *in quo potui, si te palam odissem, minus, quod tibi obesset, facere?*

Ad me adire quosdam memini, nimirum ex Epicteto, qui dicerent] Quis non videt, abundare illud, *nimirum ex Epicteto?* quod vitium nec olim in nostris libris haerere passus sum; et nunc eo magis in sententia confirmor, quod a veteribus octo libris nostram opinionem

nionem video comprobari. Praeterea, non ex Epicteto, sed ex multis ciuitatibus ad Ciceronem adiere, vt immoderatis sumptibus leuarentur. quod epist. 8. demonstratur his verbis: *Apameae cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos.*

Non tam imperaui, quam censui] Non tam hoc imperii, quam iudicii fuit. non hoc pro imperio feci, sed quod ita faciendum censui.

Ad legem Corneliam] Sumptum videtur lex Cornelia definiisse, cum ad eorum laudem, qui prouinciis praefuissent, legationes Romam mitterentur. huc illud spectat, quod scriptum est epist. 8. *Laudaturum me, si qui suo sumptu functus esset officio: concessurum, si legitimo: non permissurum, si infinito.*

Rationes ciuitatum] Tabulae publicae, in quas accepti expensique ratio refertur.

Induxit] Vsurpari solitum est hoc verbum in expensis perscribendis. eodem modo locutus orat. 2. in Rullum c. 36. *Vt agros*, inquit, *a vobismet ipsis emtos, quanti velletis, populo Romano induceretis.* Et lib. 1. in Ver. c. 41. *Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant.*

Non modo sublatos] Vetitos, edicto meo.

Quererer] Quod leuissimis hominibus aures praebueris. epist. 8. *Tua, quod audis, culpa nonnulla est.*

Hoc tuo tempore] Cum sis reus, nec addere laboranti molestiam debeam. lib. 1. epist. 9. *Scripsi tres libros de temporibus meis.* lib. 2. epist. 6. *Nouitate meorum temporum.* lib. 11. ad Attic. epist. 12. *Eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo.* Non videtur hoc loco, quod ad refellendas Grammaticorum inanes nugas pertinet, omittendum. Clamant, ac paene iureiurando confirmant, in iis rebus, quae ad secundam personam referuntur, semper *iste*, non *hic*, vsurpari solitum in Latina lingua. qui si diligenter, quam late pateat vsus Latini sermonis, attendissent: non dubito, quin aliter sentirent. de Appii accusatione dixit hic Cicero, *hoc tuo tempore*, non *isto*. et ad Furnium, lib. 10. epist. 25. *haec ambitiosa festinatio*, cum tamen de Furnii festinatione loqueretur. Coelius etiam lib. 8. epist. 10. *haec exiguitas copiarum*, de prouinciali Ciceronis exercitu. Huius generis exempla, quae vitandae satietatis caussa praetermitto, Cicero multa suppeditat: qui mihi vel vnus pluris est, quam omnes Grammatici.

Nihil de te] Non contra te, sed pro me disputabo.

Nihil in me] Multis argumentis ostendit, cur Appius maleuolorum sermonibus non debuerit credere. argumenta autem ducit primum a persona sua, cum ait, *nihil in me:* deinde a persona Appii, cum subiungit, *florentissimi hominis:* tum a tempore, in eo, *eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis:* ab ipsa re, cum inquit, *in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis:* ab ingrati animi culpa, cum inquit, *quid erat autem:* a constantia

ſtantia ſua, *quid in conſulatu tuo fruſtra mecum egiſti:* ab vtili, *quid mihi tandem erat vtilius?* a ſtudiis, a conſuetudine, a litteris, *quid? illa vincula:* ab hominum opinione, *quid illa tandem popularia?* poſtremo a Cn. Pompeii perſona, *quis vmquam tanti, etc.*

Perfidioſum et infidioſum] A quibus vitiis longe vir bonus abeſt, et is, qui ſe ſtudiis optimis liberalique doctrinae dediderit.

Humile] Refertur ad illud, *ſi ſatis magni animi.*

Ieiunum] Ad illud, *non minimi conſilii.* cuius enim conſilii eſt, ieiunum quiddam ad laedendum deligere, et oſtendere voluntatem nocendi, in quo nocere nihil poſſit?

Agnoſcere] *Agnoſcere*, et hic, et alibi nonnumquam, verum fateri eſt. lib. 4. epiſt. 4. *Illam partem excuſationis nec agnoſco, nec probo.*

Sin aſtutum et occultum iuuat fingere] Epiſt. 8. *Quod ſi qui me aſtutiorem fingit.*

Quid eſt, quod minus cadere in eiusmodi naturam poſſit] Epiſt. 8. *Quid poteſt eſſe callidius, etc.*

Florentiſſimi hominis] Lib. 2. epiſt. 13. *Quid eſt cauſſae, cur mihi non in optatis ſit, complecti hominem, florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis.*

Eius exiſtimationem oppugnare in prouincia] Idem epiſt. 8.

Cuius laudem] Praeſertim in ſupplicatione, de qua in epiſt. vlt.

In qua nihil obſis] Dixit idem paullo ante. Et ſimiliter lib. 2. in Ver. c. 68. *Vt coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuiſſe putaretis, in quibus rebus obeſſe mihi poſſet, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit.*

Ne tunc quidem] Ne tempore quidem exſulii mei, cum actum eſt de me reſtituendo.

Prope neceſſe eſſet] Quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret.

Eas agere partes] Oppugnare ſalutem meam.

Cognoſſem] Reuerſus in patriam ab exſulio.

Expetiſſet] Nam, qui in gratiam inuiti redeunt, rurſus amicitiam facile diſcindunt. Vtitur Cicero hoc verbo ad tollendam occulti odii ſuſpicionem.

Te Puteolis proſequerer] In prouinciam proficiſcentem: quod in more fuit. lib. 13. epiſt. 6. *Cum te proſequerer paludatum.*

In quo non exſpectationem tuam diligentia mea vicerim] Supra, *vincam meis officiis cogitationes tuas.*

Affines] Maxime Pompeius et M. Brutus. epiſt. 4.

Aſtutia] Quod vtilitatem meam ſpectauerim.

Sapientia] Eſt enim ſapientis, eius amicitiam expetere, in quo illa ſint, quae proxime nominauit.

Atque haec domeſtica] Haec, quae commemorauit, priuata ſunt, et inter nos: exponam nunc, quae publice nota ſunt, ac populo patent. *Atque*, non copulat, vt alibi: ſed concludit. lib. 6. epiſt. 1. *Atque haec eo pertinet oratio, vt, perditis rebus omnibus, tamen ipſa virtus ſe ſuſtentare poſſe videatur.* Interdum et concludit, et viam ſimul aperit ad aliam ſententiam, aut ad aliam argumenti partem: vt

Phil. 1.

Phil. 1. c. 2. *Atque haec omnia communiter cum collega. alia porro propria Dolabellae.* Simile illud lib. 12. epist. 2. *Sed haec tolerabilia: illud non ferendum.* Et Phil. 2. c. 11. *Sed haec vetera: illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum.*

Quid illa tandem popularia] Notanda transeundi ratio, colligata sententia vnico verborum ambitu, et inducto nouorum argumentorum initio: vt Tusc. 1. c. 14. *Vetera iam ista, et religione omnium consecrata. Quid in hac republica tot, tantosque viros, ob rempublicam interfectos, cogitasse arbitramur?* Et lib. 3. in Ver. c. 27. *Privatim hoc modo: quid? publice ciuitates quemadmodum tractatae sunt?*

Reditus illustris in gratiam] Cum enim clari in ciuitate viri in gratiam redeunt, non potest esse obscura illa reconciliatio, praesertim ex grauissimis inimicitiis. accedit illud, quod, cum in gratiam per Pompeium rediissent, auctoritate et opibus eximium, illustris eo quoque nomine reditus in gratiam fuit. rediisse autem in gratiam auctore Pompeio, ex epistola Ciceronis ad M. Brutum, cuius testimonio vtitur Quinctilianus lib. 9. c. 3. intellexi.

Ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspicione perfidiae] Confirmat hoc, quod scripsit Coelius lib. 8. epist. 9. de Appio a Dolabella accusato: *Cum quo simultas si tibi non fuisset, liberius tibi de tota re esset. Nunc, si ad illam summam veritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris.* Et in orat. pro Gabinio: *Ego cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis reuocatae in gratiam: propterea, quod integris amicitiis officium praetermissum, imprudentiae, vel, vt grauius interpretemur, negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet.*

Amplissimi sacerdotii] Auguratus. fuit enim vterque augur. epist. 4. et lib. 2. epist. 13. *Amplissimum* autem vocat *sacerdotium*, non quia ceteris praestaret; nam ea quidem dignitas pontificatus maximi fuit; sed quod esset inter amplissima. Pontificatum autem maximum vere *sacerdotium amplissimum* vocat Phil. 13. c. 4. Augures autem inter sacerdotes fuisse, indicat Plinius lib. 8. c. 28. his verbis: *Artem auguria fecere apud Romanos: et sacerdotum collegium vel maxime sollemne est.*

Restitutum] Cum me ab exsulio reuocauit.

Cum ipse abesset] Diu abfuit Pompeius, bellorum causa. gessit enim Hispaniense, Piraticum, Mithridaticum; cum Cicero aut magistratus gereret, aut certe senator esset.

Contentionem meam] Summum studium. lib. 1. epist. 9. *Caesaris, vt illum defenderem, mira contentio est consecuta.* lib. 2. epist. 6. *Quantopere mihi esset omni, non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum.*

Pro

Pro Milone] Reo ob necem P. Clodii.

Aduersante actionibus suis] Cicero enim pro Milonis, amicissimi sui, salute contendebat: Pompeius consul id, quod e republica esset, diligenter curabat: itaque, cum iudicium de Milone fieret, forum armatis militibus sepsit: quod queritur Cicero in orat. pro Milone c. 1.

Inuidia] Quia suspicio fuit, consilio Ciceronis Clodium a Milone interfectum: idque Plancus et Q. Pompeius tribuni plebis seditiosis concionibus persuadere populo conati sunt.

Armis denique texit suis] Exercitum eo tempore Pompeius in vrbe habuit, ne quid respublica, ei commissa, detrimenti caperet. quam rem, vt nouam et iniustam, accusat Caesar his verbis lib. 3. de bell. ciu. c. 1. *Nonnullos, ambitus Pompeia lege damnatos, illis temporibus, quibus in vrbe praesidia legionum Pompeius habuerat, in integrum restituit.* Quod autem ait, *texit*, explanatur hic locus epistola Balbi lib. 9. ad Attic. epist. 6. in qua sunt haec: *Mihi placet, si tibi videbitur, te ad eum scribere, et ab eo praesidium petere, vt petisti a Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis.* Praesidium autem illud Cicero petiit metu plebis ob Clodii necem concitatae.

Phrygi, aut Lycaoni] Phrygiam et Lycaoniam ad prouinciam Ciliciam pertinuisse, vel hic locus ostendit.

Filius] Cneus. nam Sextum Libonis filiae virum fuisse puto: vt diximus epist. 4.

Eas ad me is litteras miserit] Filium a Pompeio, non modo litteras. ad Ciceronem Appii caussa missum iri, creditum est. lib. 8. epist. 6.

Ita de me meriti] Cum mihi patriam, liberos, salutem, dignitatem, memet et ipsum mihi per illum restitutum putem.

Quae a me perfecta, quaeque instituta sunt, cognosce] Alii, *profecta*. mihi placet, *perfecta*: nec tamen placet sine auctoritate veterum librorum. et recte coniunguntur, *quae perfecta iam, quaeque instituta sunt. Cognosce*, dixit, quia cum litteris commentarium mittebat de rebus a se pro Appio actis et agendis. partem quidem ipsius epistolae desiderari nullam puto. quamquam alii contra sentiant.

Magis pro dignitate, quam pro periculo] Sic in principio huius epistolae: *Me pro tua dignitate* (*malo enim dicere, quam pro salute.*)

Audiemus] Audiit. censor enim creatus est Ap. ius, vt paullo ante ostendimus, cum L. Pisone.

Magistratus] Non proprie: si iurisdictio aut imperium magistratum facit. nam neque ius dicebant censores, nec imperium habebant.

Maximi animi] Cum censor summos viros, etiam consulares, e senatu interdum eiiceret.

Summi consilii] Valeat consilio censor, opus est, cum de vniuersa ciuitate iudicet, omniumque plane ciuium notandorum potestatem habeat.

Cogitanda esse censeo] Opinor hic adiuncta fuisse, quae a se perfecta et instituta dixit.

EPISTO.

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Appio, quod absolutus esset de maiestate: eundemque fore exitum iudicii de ambitu confirmat. Cn. Pompeium et M. Brutum effert laudibus, quod egregium Appio fidem ac beneuolentiam praestitissent. Suam operam pollicetur ad eos notandos, qui testimonium in Appium pretio dixerant. Subiungit de statu reipublicae, de auguralibus Appii libris, de suis litteris cum aliqua beneuolentiae significatione. Postremo adhortatur, vt in censura gentilem suum imitetur App. Claudium Caecum. Missa est epistola; moralis, vbi gratulatur et hortatur; negotialis, vbi de testibus, de auguralibus libris, de Tullio, de litteris agit.

EXPLANATIO.

Pyramum] Ciliciae Fluuium.

Maiestatis] Quo eum crimine Dolabella reum fecerat.

Permultum ante] Respuunt hoc aures meae, cum Latini sermonis consuetudo, *permulto ante*, requirere videatur. quamquam, Valla quid scripserit, non me fugit. sed in antiquis fero omnia, (quamquam, mendosa non esse, quis praestat?) non omnia tamen imitor.

Insignibus ad laudem viris] *Insignia ad maximam laudem*, dixit etiam in Oratore c. 14.

Complexus] Prae gaudio ex tua absolutione suscepto.

De ambitu vero quid interest, inquies, an de maiestate] Hactenus Appio, iudicio maiestatis absoluto, gratulatus est Cicero: deinceps bene ominatur de ambitus iudicio, quod supererat. aeque enim in vtroque crimine expertem culpae esse Appium ostendit: ipsumque inducit hoc modo interrogantem. Putas idem esse, de ambitu et de maiestate absolui, an aliquid interesse? id est, qui exitus fuit iudicii de maiestate, eundemne fore putas eius iudicii, quod de ambitu fiet? Respondet Cicero. Ad id, quod agitur, ad causam tuam nihil interest. nam, etsi diuersa sint crimina, nec necesse sit, qui de maiestate absoluatur, eundem absolui de ambitu: tamen, cum tu maiestatem auxeris, ambitum non attigeris, quis eundem iudicii exitum non exspectet? Absoluta hac parte, quae tum ad gratulationem facti iudicii, tum ad amouendam futuri molestiam pertinet, conuertit Cicero orationem contra Dolabellam; vt Appium duplici afficiat gaudio, primum ex iis, quae de ipso iam dixit, deinde ex iis, quae in eius accusatorem dicturus est. Verumtamen, inquit, ex duobus criminibus, quae tibi obiicit accusator, alterum in ipsum potius conferendum videtur; cum sit maiestas, vt Sulla sua lege sanxit, ne in quemvis impune declamare liceat; ille vero te prorsus innocentem, vt ostendit iudicii exitus, accusauit: itaque lege Cornelia puniendus: ab altero autem cum te longissime abesse omnes iudicent; (honorum enim tuorum cursus cui suspectus

vmquam

vmquam fuit?) sequitur, vt improbe te Dolabella, maleuolentia impulsus, accuset.

Declamare] Palam maledicere, ac de fama detrahere. quod si maiestatis crimen est: multo magis, cum homo innocens accusatur.

Ambitus] Ambitum esse, cum honores pecunia quaeruntur, ignorat nemo.

Ita apertam vim habet] Hoc loco *vim* accipio pro natura: vt sit quasi ambitus definitio. sic locutus lib. 1. de Offic. c. 28. *Duplex est vis animorum atque natura.* et in Orat. c. 31. *Eloquentiae vim et naturam explicemus.*

Improbe] Improbus est, vel qui ambitum accusat, vel qui defendit. cum enim largitio facta, aut non facta ignorari non possit; nemo vir bonus eius delicti nomine quemquam accusabit, quo eum vacare satis liqueat. rursus nocens reus improbe defendet, quod multorum testimonio probetur. improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuset, cuius honorum cursus nemini suspectus vmquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum suum, tempori seruiens Cicero collegit: quod factum excusat ad Coelium lib. 2. epist. 15. his verbis: *Quid, si meam legas, quam ego tum ex tuis litteris misi ad Appium? Sed quid agas? sic viuitur.*

Risus] Patefacta, atque exagitata accusatoris tui leuitate ac stultitia.

Bonorum et fortium] Nam neque timida probitas, neque improba fortitudo vtilis reipublicae.

Vel aetatis] Non modo honoris, verum etiam aetatis.

Orba] Vt orbati parentibus pupilli suos tutores caros habent, incolumesque esse cupiunt.

Pompeii et Bruti] Vnam ex duabus Appii filiis vxorem duxerat Cn. Pompeii filius, alteram M. Brutus. epist 4. Brutus vero et laudauit reum Appium, et defendit. illud ex Diomede, hoc ex libro de clar. orat. c. 94 constat.

Fidem] Affinitati debitam.

Virtute et officio] Virtute, quod potuerint; officio, quod noluerint ac laborauerint.

Omnium saeculorum et gentium principis] Eundem ornauit, laude singulari, epist. 7. *Quem omnibus, qui vmquam fuerunt, antepono.*

Iuuentutis] Vere. nam probitate, doctrina, animi magnitudine, studio in rempublicam neminem cum M. Bruto conferendum fuisse, quis negabit?

Mercenariis] Qui mercede conducti ex Asia Romam iuerant, vt in Appium testimonium dicerent.

Per Flaccum] Cum loquatur de iis, qui ex prouincia, cui praefuerat Appius, contra eum Romam profecti erant: non possum suspicari, Flaccum propraetorem esse. nam eandem prouinciam Cicero post Appium rexit. aliquis fortasse de Ciceronis cohorte fuit, in Asiam ab eo missus, vt mercenarios testes a suis ciuitatibus notandos curaret.

Per Asiam] Nunc enim erat in Cilicia.

Quasi formam] Translata verba, ne asperitatem habeant alieno loco, molliuntur praepositis aduerbiis, *quasi, tamquam, veluti*, et similibus. *Forma* est, ad cuius exemplar aliquid fit, vt aedificium. sed *forma* transfertur ad multas res,

et vsurpatur ita saepe, vt iam in proprii fere verbi naturam transierit: itaque nihil interdum, molliendi caussa, Cicero praeponit, vt lib. 2. epist. 8. *Abs te futura exspecto, vt ex tuis litteris cum formam reipublicae viderim, quale aedificium futurum sit, scire possim.*

Communium] Quae ad omnes aeque pertinent.

Quam timebam] Hoc anno, id est L. Paullo M. Marcello coss. dissidere coepit a Caesare Pompeius, sero timens, quem ipse cum antea semper, tum biennio ante consul tertium auxerat. lib. 6. epist. 6.

Maiora praesidia] Potest hoc quoque ad illud referri, *quam timebam.*

Se ad Pompeii ductum applicaverunt] Vt Pompeius, tamquam dux, omnia regeret.

Rempublicam] Quae putabatur esse in partibus Pompeii.

Nam] Alibi, *nam*, caussam rei antecedentis demonstrat, hic ad aliam sententiam transiicit. vt lib. 1. epist. 9. *Nam de Appio quod scribit.* et lib. 2. epist. 16. *Nam, quod rogas, vt respiciam generum meum.* Et lib. 7. epist. 32. *Nam, de iudiciis quod quereris, multo laboro minus.*

Augurales libros] Quos Appius de iure augurali ad Ciceronem scripserat. epist. 4. et 9. ad Attic. autem lib. 10. epist. 8. *Auguria*, inquit, *me incitant quadam spe non dubia, non haec collegii nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis.* Festus in verbo *Solliſtimum.*

Tua promissa] Reliquos augurales libros, primo antea misso, quos Cicero epist. 9. petierat his verbis: *Velim, reliquum quod est promissi ac muneris tui, mihi persoluas.*

Ad vrbem] Eorum more, qui ex prouincia cum imperio reuersi ad vrbem exspectant, vt eis triumphus decernatur. epist. 8. *Videbam, te hanc epistolam, cum ad vrbem esses, esse lecturum.*

Otiosissimum] Non, vt postea cognouit, accusationis cura impeditum. ex quo diutius ad vrbem otiose permanere Appio non licuit; sed, abiecta triumphi postulatione, vrbem ingressus est. lib. 8. epist. 6.

Orationes tuas] Vel quas habuit pro se ipso in maiestatis iudicio, quo erat absolutus: vel quibus antea varias caussas defenderat. nam eum in Bruto c. 77 nominat Cicero inter oratores, ac laudat his verbis: *Ap. Claudius, collega et familiaris meus, et satis studiosus, et valde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, et cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisque nostrae bene peritus.*

Tullius] Non videtur hic esse L. Tullius legatus, de quo lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 4. 11. 21. sed potius ex familiaribus Appii, quod Ciceronis verba demonstrant. fuere igitur quinque Tullii, praeter Ciceronem nostrum. hic, familiaris Appii, et L. Tullius legatus, et M. Tullius scriba, de quo lib. 5. epist. 20. et L. Tullius Montanus, de quo lib. 12. ad Attic. epist. 52.

Bis ad te scripsi] Duas epistolas significat, 8. et 10. in quibus leuiter Appium accusat, quod improborum sermonibus crediderit. nam de vitato congressu queritur epist. 6. de Appianorum vero aedifi-

aedificatione impedita purgat se epist. 7.

Quod genus querelae] Non enim te, quod improbus ipse esses, sed quod improbis credidisses, accusaui.

Disertae] Ornate loquentes.

Aristarchus] Grammaticus Alexandrinus Aristophanis discipulus, vt in Carisio et Suida legimus. is Homeri versus iudicauit, vt veros ab adulterinis secerneret. lib. 9. epist. 10.

Proauo] Ap. Claudio Caeco, qui censor aquam Claudiam in vrbem perduxit, anno vrbis CDXLI. sed is antiquior, quam proauus. parum enim subtiliter Cicero temporum rationem examinat. Quid, quod idem in huius Ap. Caeci mentione non solum ab historia discrepat, cum appellet hic proauum, qui longiore distat interuallo, sed ipse etiam sibi non constat: nam quem in hac epistola proauum, in orat. de haruspicum responsis c. 18. abauum Clodii vocat. *Ne id quidem sentis*, inquit, *conniuentes illos oculos abaui tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis?* Fuit autem Ap. Caecus P. Clodii non proauus, aut abauus, sed trit-auus: quod ex fastis maxime Capitolinis licet colligere. similis ἀνισορροπία Ciceronis in orat. pro domo c. 47. cognoscitur. *C. Atinius*, inquit, *bona Q. Metelli, aui tui, Q. Metelle, conseruauit.* Metellum Macedonicum (hunc enim significari, ex Plinio lib. 7. c. 44. et epitome Liuiana lib. 59. cognouimus) auum appellat Q. Metelli Nepotis, qui tum consul erat: cum proauus eius, non auus, fuerit. nam Macedonici filius Balearicus genuit Nepotem, patrem huius Nepotis, quem Cicero appellat: quod Pedianus in commentario Cornelianae, et fasti etiam Capitolini declarant.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Appio de absolutione ambitus: excusat filiae nuptias, quam accusator Appii Dolabella vxorem duxerat: seque ait ea caussa diligentiorem ad beneuolentiam declarandam esse factum.

EXPLANATIO.

Virtutis, industriae] Multis rebus ornat virtus et industria: sed multis virtute praeditis nonnumquam defuit industria; qua excellunt ii, qui et prompte res aggrediuntur, et diligenter perficiunt.

Ne in tabellae quidem latebra] In tabellis, quibus iudices absoluebant, aut condemnabant reos, latere poterat maleuolentia. quis enim sciret, a quo damnatus esset? quae tamen in tabellis occulte impugnare Appium maleuolentia potuit, nulla fuit: quoniam sententiis omnibus absolutus est.

Non horum temporum, non horum hominum atque morum] Tempora sunt inimica virtuti, hominum voluntas ad flagitium propensa, mores consuetudine corrupti. quis igitur exitum iudicii tui tam glorioſum exstitisse non miretur?

De me autem] Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet: suscipe meam personam, vt putes te esse, qui ego sum: tum intelliges, mihi ignoscendum esse, nunc haesitanti. quia nec tu facile inueneris, quod dicas. haesito autem, quia neque possum dicere probari a me nouam affinitatem, quae cum accusatore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis ominibus prosequar eam rem, quam tu quoque mihi prospere cupis euenire.

Eum te esse finge, qui sum ego] Lib. 7. epist. 23. *Fac, quaeso, qui ego sum, esse te.*

Si facile inueneris] Tibi accidet, quod nunc mihi, vt non inuenias, quod dicas. ita intelliges, ignoscendum nunc esse haesitationi meae. quod si inueneris, quod dicas, ne ignosce.

Haesitationi meae] Quia non possum explicare, vtrum mallem, factas, an infectas cum Dolabella nuptias. si factas, laedi videtur amicitia nostra, cum accusatoris tui affinitatem probem: si vero infectas, non ominabor optime de filiae coniugio. quod cum ita sit; aequum est, a te ignosci haesitationi meae. sin aliter sentis: finge te esse, qui ego sum; tu quoque haesitabis.

Sed ita cecidisse] Sed quod ita ceciderit, vt agerentur eo tempore, cum tu reus esses; omnino felicitatem aliquam et spero, et opto; verumtamen cum hac spe coniunctus dolor est, quod acta sint eo tempore, quo ego minime voluissem: quem mihi dolorem minuit sapientia et humanitas tua: sapientia, quod cum perspicies, hanc rem, me insciente, a meis esse factam, prorsus omni me culpa liberandum intelliges: humanitas, quod nihil te durius de me suspicari tua natura patietur.

Opportunitas temporis] Non enim opportuno tempore facta res est. itaque, vt rem ipsam probem, tempus tamen probare non possum.

Ea de re] De nuptiis.

Neque non me tamen mordet aliquid] Quiddam tamen est, quod moleste feram, hoc videlicet, quod, quo tempore Dolabella tuam salutem oppugnabat, eo sit a meis ei filia mea in matrimonio collocata.

In quo vnum vereor ERN. *non vereor*] In quo vnum certo scio, non te parum perspicere, etc.

Ab aliis] A M. Coelio. lib. 8. epist. 6. tres antiqui libri, *ab illis*: quinque, *ab aliis*.

Tam longe] In prouincia.

Ad me ne referrent] Falsum: nam retulit ad eum Coelius. lib. 8. epist. 6.

Rem probassem] Probari a se rem ostendit, ne male ominetur. proxime: *neque enim tristius dicere quidquam debeo ea de re, quam tu ipse ominibus optimis prosequeris.*

De tempore] Vtrum affinitas cum Dolabella, quo tempore Appium accusabat, iungenda, an post exitum iudicii reiicienda; ne quid Appio eius coniugii fama, propter auctoritatem, et gratiam Ciceronis, apud iudices noceret.

Laborantem] Cum non facile reperiat, quod dicat in ea re, quam neque improbare vult, ne filiae nuptias omine parum laeto prosequatur, neque improbare audet, ne Appium offendat. ideo, se haesitare iam

iam dixit, et institutae orationis exitum non reperire.

Iam tunc] Cum ex amicorum litteris de Dolabellae et filiae matrimonio cognoui.

Omnia negotia] Quae pro Appii absolutione in maiestatis iudicio facere poterat. nam, quod ad ambitum pertinet, nullum Ciceronis prouinciale negotium ei prodesse poterat: cum ambitus largitio sit in vrbe facta obtinendi honoris gratia.

Studio] Ad animum pertinet, ac voluntatem: ad operam autem id, quod subiunxit, *acrius, apertius.* quod paullo post declarat his verbis, *beneuolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus: diligentior ad declarandam beneuolentiam, multo.*

Annuo] Annuum erat prouinciarum imperium. de qua re in epist. 7. lib. 1.

Decedenti] Primus decessionis dies fuit, III. Kal. Sext. vt apparet ex epist. 6. et lib. 5. ad Attic. epist. 15. et lib. 6. epist. 3.

Ante diem III. *nonas*] Perinde est, ac si dixisset, III. *non.* id ex lib. 16 epist. 1. ad Tironem intelligi facile potest. *Ante diem* III. *non.* veteres dicebant, id est, die tertio ante nonas. nam, cum dicitur, III. *non.* concisa locutio est: quae integra esset, si diceres, III. *die ante nonas.* qua non vtebantur antiqui, sed eius loco, *ante diem* III. *nonas.*

Sidam] Maritimam partem prouinciae vocat epist. 5.

Seruilius] Amicus Appii; qui fortasse iuerat in prouinciam, tum vt Appium Ciceroni praesens commendaret; tum etiam vt hominum prouincialium odia in Appium leniret; ne Romam, dicturi aduersus eum testimonia, proficiscerentur. quibus enim rapinis prouinciam Appius exhaustam reliquerit, qui gemitus consecuti, scribit ad Atticum Cicero lib. 5. epist. 15. et 16. et lib. 6. epist. 1.

Beneuolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus: diligentior ad declarandam beneuolentiam, multo] Similis locus lib 13. epist. 60. *Cuius calamitas etiam officiosiorem me facit in illum. nam beneuolentior, quam semper fui, esse non possum.*

Vetus] Quae ante annos aliquot esse coeperat, quo tempore inter Ciceronem, et P. Clodium, Appii fratrem, exortae inimicitiae sunt, M. Pisone, M. Messalla coss. lib. 1. ad Attic. epist. 16.

Simultas] Simultas occultum et mediocre post beneuolentiam odium est.

Stimulabat] Non simultas, quae tunc nulla erat, sed eius memoria.

Ficte reconciliatae gratiae] Ideo scripserat Coelius ad eum lib. 8. epist. 6. *Cauendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris.*

Affinitas] Dolabellae, Appii accusatoris.

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Agit Appio gratias, quod supplicationem sibi decernendam studiose curauerit. gratulationem autem diuidit in quattuor partes; in officia sua, quibus meritum se esse ostendit, vt Appius in re simili parem operam beneuolentiamque nauaret; in Appii benignitatem, qui acceptam gratiam quasi cum foenore reddiderit; in eiusdem laudem, quod ea studia, quae a talibus viris proficiscantur, virtuti tantum tribui solita sint, ideoque rebus omnibus anteponenda videantur; in remunerandi voluntatem, siue possit in publicis rebus, siue in priuatis gratum animum ostendere. Absoluto gratulationis officio, pauca subiungit de dolore suo ex inimicitiis Appii et Dolabellae: se tamen eos reconciliandi curam suscepisse, nihilque de suo pristino in Appium studio, ob nouam Dolabellae affinitatem, detractum esse confirmat. Postremo loco, epistolae breuitatem cum Appii laude excusat.

EXPLANATIO.

Quasi diuinarem] In ipso litterarum exordio a suis in Appium officiis beneuolentiam captat: quod mire valet ad id, quod petimus, impetrandum. Incipit autem, *quasi diuinarem;* quia, cum Appio supplicationem curauit, reuera de prouincia non cogitabat: itaque dixit epist. 2. *Cum et contra voluntatem meam, et praeter opinionem accidisset, vt mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset.* Ita et auget officium suum erga Appium, et se ipsum ambitione liberat

Tali in officio] In supplicatione.

De tuis rebus gestis] Pro quibus supplicationem petebas.

Inseruiebam] Hoc verbo summa diligentia declaratur, quam domino serui debent, et, nisi sint improbi, praestant.

Plus, quam acceperas, reddidisti] Probitatis est, acceptum beneficium non dissimulare: liberalitatis, etiam augere verbis: idque genus omnino quoddam est gratiae referendae, quo hic vtitur Cicero. Est autem praeclara inter eos consuetudo, qui mutuis officiis amicitias ita colunt, non vt paria paribus, sed vt maiora, quam acceperunt, reddere conentur. ita, quos fructus amor parit, iisdem alitur atque augetur, nec vmquam aut sine amore fructus, aut sine fructibus amor est. In Bruto c. 4. *Illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis.* Et lib. 1. de Offic. c. 15. *Si ea, quae vtenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?* lib. 15. ad Attic. epist. 12.

Quis enim ad me non perscripsit] Tribus modis hanc explicare sententiam potuit, vel affirmantibus verbis, hoc modo, *omnes ad me perscripserunt:* vel geminata negatione, sic, *nemo ad me non perscri-*

perscripsit: vel interrogando; quod fecit: quia modus hic efficacior est, quam reliqui duo, et ad significandum valet plurimum.

Auctoritate orationis] Quae ceteros commouere potuit. cuius enim vita probatur, cuius in privatis publicisque cognita virtus est, eius exemplo facile ducuntur omnes.

Sententia] Qua Ciceroni supplicationem decreuit.

Domum veniendo] Ad magistratus, vt eos de supplicatione Ciceronis rogaret. lib. 1. epist. 8. *Nostrum studium exstabit in conueniendis magistratibus et senatoribus.*

Nullum munus officii cuiquam reliquum feciſſe] Nihil cuiquam faciendum reliquisse, plane omnia fecisse mea caussa.

Haec mihi ampliora multo sunt] Appii amorem supplicationi, atque adeo rebus omnibus, quae proficisci ab amore possint, anteponit. non enim amor ob vtilitatem, sed vtilitas ob amorem aestimanda.

Quam illa ipsa] Similem sententiam vsurpauit in re dissimili, lib. 1. de Leg. c. 10. *Sunt haec maiora, quam ipsa illa, quorum haec caussa praeparantur.*

Laborantur] Cum labore fiunt. Vsus est eodem verbo nescio quo libro, ex quo Lactantius lib. 7. c. 11. haec recitat: *Nihil est, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur. Elaborari*, dixit lib. 9. epist. 16.

Insignia virtutis] Honores.

Sola virtus] Testimonium virtutis mihi das, cum haec mea caussa facis. quam ego laudem pluris, quam illa ipsa, in quibus operam ac studium ponis, debeo aestimare.

Mihi propono fructum amicitiae nostrae, ipsam amicitiam] Alii fructum sibi proponunt amicitiae, honores, commoda, aliquid omnino: ego, praeter ipsam amicitiam, nihil specto: in ea mihi statuo omnes fructus. quanti enim apud me esse debet, quod tu me diligas, cum talium virorum tanta studia assequi sola virtus possit? Simile illud in Laelio c. 9. *Amicitiam, non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus.*

Qua nihil est vberius] Cur ego alios mihi fructus amicitiae nostrae proponam, cum neque fructum vllum cum ipsa amicitia conferendum, neque tamen ea quidquam vberius, aut fructuosius existimem?

Studiis] Litterarum. magna esse potest in omnibus rebus, maxima vero in communibus studiis vbertas amicitiae nostrae. Tacite ostendit Cicero, quanti fecerit eum librum, quem de iure augurali Appius ad eum scripserat: idque sibi curae esse, vt simili eum munere remuneretur. epist. 4. et 9.

Deinctus est] Eadem metaphora vsus est epist. 10. *Quid? illa vincula, quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo, etc.*

Iis artibus] Gratiam init ab Appio promissa studiorum coniunctione: quod et eius doctrinam magni facere, et ad eius honorem ac laudem velle sua studia conferre videatur.

Omnes tuos] Callide hoc iniecit. non enim id solum indicat, quam inique ferat Appium a Dola-

bella reum factum; sed etiam, cum ipse, grauiter laesus, tamen in gratiam cum omnibus Appii propinquis, id est cum omnibus Clodiis, redierit, idque ipsius Appii caussa fecerit, vicissim eum debere tanti Ciceronis amicitiam facere, vt eius generum Dolabellam odisse desinat.

Non despero] Petere aperte non audet, vt Dolabellae reconcilietur: sed modeste petit, et Appii humanitati confidere videtur, cum ait, *non despero*.

Nihil ad te] Habet rationem Appii dignitatis, quia pluris facere adolescens Dolabella Appii amicitiam, viri in primis honorati, quam contra Appius Dolabellae, debebat: accedebat aequitas: vtrum enim decet, eum, qui iniuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare?

Nostrum est onus] Ego efficiam, vt reconciliationis initia a genero meo proficiscantur.

Intelliges] Re ipsa perspicies.

Hac re nouata] Quod mihi Dolabellam affinitate deuinxerim.

Additum potius aliquid] In proxima epistola nihil ad studium ac beneuolentiam, sed ad voluntatem quidem beneuolentiae declarandae multum esse additum dixit.

Aduersus magistrum morum] Coram magistro morum. quasi epistola censorem alloquatur. modeste enim agere in conspectu censorum oportebat. itaque notatum legimus, qui paullo liberius iis praesentibus hiasset. *Magistri morum* censores vocabantur, quia regendis moribus quinto quoque anno crearentur. de quibus Cicero lib. 3. de Leg. c. 3. *Mores populi regunto.* Potestatem censoriam Trebellius Pollio in Valeriani vita c. 2. ostendit his verbis: *Totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit Romana respublica, quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu aestimabis, qui manere in curia debeant: tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges: tu censibus modum pones: tu vectigalia firmabis: diuides statum: res publicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de praefectis eminentissimis iudicabis: excepto denique praefecto vrbis Romae, exceptis consulibus ordinariis, et sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit, de omnibus sententias feres.*

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM IV.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Satis patebit huius epistolae argumentum, si lector sciat scriptam esse, cum Caesar, pulso ex Italia Pompeio, bellum contra legatos eius in Hispaniam pararet, L. Lentulo, C. Marcello coss. ante mensem Maium, quod sequenti cognoscitur epistola. Respondet Sulpicio congressum petenti: in quo suam voluntatem cum eius voluntate consentire demonstrat, sed eam esse rationem temporum, vt remedium exstinctae reipublicae nullum afferre possint. Negotiale argumentum. moralia quaedam interiecta, vt de Sulpicii laude, de vtriusque in patriam studio, de dolore ex amissa reipublicae salute.

EXPLANATIO.

Caius Trebatius] Iurisconsultus, ad quem misit Topicorum libros. fuit in Gallia cum Caesare ante bellum ciuile, commendatus a Cicerone diligenter. lib. 7. epist. 5.

Familiaris meus] Et quidem cum eo saepe familiariter iocatur in epistolis lib. 7.

Ad vrbem accessissem] Reuersus e Cilicia. nam, triumphi spe, vrbem ingressus non est. dicebant veteres, *ad vrbem accedere*, et *ad vrbem esse*, de iis, qui extra pomerium, triumphandi spe, morabantur.

Propius] Vrbem.

De officio vtriusque nostrum] Quid nos, exorto ciuili bello, deceat agere. Licebat autem per Caesarem, neutram partem sequi, et vel in vrbe, vel, vbi quisque vellet, longe ab armis tutam ac quietam vitam ducere. id Pompeius non concedebat, qui discedens ab vrbe dixerat, hostium se loco habiturum,

turum, qui suis in praesidiis non fuisset. tueri autem rempublicam Pompeius videbatur, quia consules omnesque fere magistratus secum haberet: sed Caesaris castra firmiora: itaque bonos ac sapientes ciues, quo in numero et fuit, et habitus est Sulpicius, iure sollicitabat officii deliberatio.

Saluis rebus] Salua, incolumi, stante republica. eodem modo locutus est, cum de re priuata loqueretur, lib. 7. epist. 30.

Sic enim est dicendum] Nunc enim perditae res sunt, afflicta republica.

Occidenti] Eadem translatione, *reuiuiscentis reipublicae*, dixit epist. 4.

Absens] Cum esset in prouincia.

Defensorem pacis] Nam, cum M. Marcellus consul et prouincias Gallias ante legitimum tempus, et priuilegium Caesari, quod ei populus concesserat, vt absens consulatum petere posset, eripere conaretur; Sulpicius collega restitit; quod iniquum putaret ea rescindi, quae populus iusserat; eamque fore ciuilis belli caussam intelligeret. Suetonius in Iulio c. 28. 29.

In consulatu tuo] Consule Sulpicio in prouinciam Cicero profectus est. lib. 3. epist. 3.

Post consulatum] Cum C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, consul eadem in Caesarem tentavit: vt scripsit Suetonius c. 29. is enim consulatum ex Marci fratris auctoritate gessit: vt legitur in epist. 9, cui successit L. Lentulus, et ipse Caesaris caussae acerrimus aduersarius.

Venerum] Ex prouincia. venit autem pridie non. Ian. L. Lentulo, C. Marcello coss. abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paullo consul fuit.

Solus eram] Cum dixerit, suam et Sulpicii sententiam de republica eandem fuisse; solus non fuit. quare, *solus* accipio, id est, cum paucissimis.

Rudis] Quattuor caussas colligit, cur pacem suadens nihil profecerit: primum, quod sero venerit, ita iam aucta discordia, vt sedari vix posset: deinde, quod optimae sententiae socios non habuerit: tum, quia parum auctoritate valuerit, quod in publica caussa, cum sero venisset, rudis esse videretur: postremo, quod in homines pugnandi cupidos inciderit. significat autem maxime L. Lentulum consulem, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii socerum: quos etiam tacite carpit epist. 14. et lib. 6. epist. 21. lib. 9 epist. 6. lib. 16. epist. 12. et lib. 8. ad Attic. epist. 11.

Nihil] Cum iam occiderit respublica, quod proxime dixit.

Quam honestissime] Vt in his miseriis quam licet honeste vitam traducamus.

Nec enim] Caussam affert, cur nemo sit, quicum sibi potius, quam cum Sulpicio, communicandum putet. Nosti, inquit, egregie, quid clarissimi viri fecerint, quid doctissimi faciendum praeceperint. itaque, quid nobis quoque faciendum sit, optime iudicabis.

Clarissimorum] Clarissimos et doctissimos, quia tum a rebus, tum a libris petitur prudentia.

Quos semper coluisti] Quorum libros diligentissime legisti. sic enim interpretor. aut, si quis hoc ad homines ipsos potius, quibus ob doctrinae

ctrinae praestantiam Sulpicius honorem semper habuerit, referre malit; valde non contenderim: modo illud, *praecepta*, sic accipiatur, non quae e sermonibus viuentium, sed quae ex doctissimorum libris accepta sint.

Te frustra in senatum] Aperire incipit sententiam suam, quam paullo post clarius etiam ostendit, cum ait, vrbem esse sine legibus, iudiciis, iure, fide; vt in ea bonis, ac sapientibus ciuibus, quales Cicero et Sulpicius habiti sunt, vix iam honestum esse domicilium videretur.

Conuentum senatorum] Nam senatus appellari non debet, in quo nec senatores multi, nec eorum libera, metuque soluta voluntas est. non enim decerni quidquam potest, quod ei displiceat, cuius arma dominantur. erat vrbs hoc tempore, ac tota iam Italia in Caesaris potestate, Pompeio in Graeciam, cum vtroque consule, ac maiore parte magistratuum profecto.

Eius] Caesaris.

Vt te imitarer] Vt irem in senatum. id enim Caesar cupiebat: ne, absente Pompeio, simul abesse respublica videretur. locutus autem erat Sulpicius in senatu de pace, et de Hispaniis: quod proxime subiungitur: contra quam Caesar volebat. itaque hoc, *vt te imitarer*, interpretor, vt iret quidem Cicero in senatum, non tamen vt eadem, quae Sulpicius, de pace, et de Hispaniis diceret. Quae cum Cicero se dicturum ostendisset, *ego vero*, inquit Caesar, *ista dici nolo*. lib 9. ad Attic. epist. 18. Iussse autem Sulpicium hoc tempore in senatum, ostendit lib. 10. ad Attic. epist. 3. in qua sunt haec: *Facile patior, quod scribit, secum Tullum et Seruium questos esse, quia non idem sibi, quod mihi, remisisset. homines ridiculos! qui cum filios misissent ad Cn. Pompeium circumsidendum, ipsi in senatum venire dubitarent.*

Me cum rogaret] Formiis. quod ex lib. 9. ad Attic. epist. 18. et 19. intelligitur.

De pace] Vt ageretur de concordia Caesaris, et Pompeii.

De Hispaniis] Senatui non placere, Caesarem in Hispanias contra Pompeii legatos proficisci.

Dicta sunt] In senatu, antequam Caesar iret in Hispanias.

Ostendi me esse dicturum] Lib. 10. ad Attic. epist. 1. *Quid essem de pace dicturus, dixi; ipse valde repudiauit.*

Res vides quo modo se habeant ERN. *Rem vides, quo modo se habeat*] Perditum reipublicae statum demonstrat, vt confirmet quod dixit, nihil iam esse, licet colloquantur, in quo reipublicae opitulari possint. Notandus Latini sermonis vsus: *rem vides, quo modo se habeat*: pro, vides, quo modo se res habeat: vt apud Coelium lib. 8. epist. 10. *Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit.* et lib. 14. ad Attic. epist. 21. *Nosti virum, quam tectus.* Sic Terentius in Adelph. Act. 5. sc. 4. v. 20.

Illum vt viuat, optant. —

et Plautus in Aul. Act. 2. sc. 2. v. 40.

— *Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio.*

et Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 39. *Rem frumentariam, vt satis*

satis commode supportari posset, timere dicebant.

Orbem terrarum] *Orbem terrae* lib. 5. epist. 7. *Orbem* simpliciter, lib. 3. de republ. apud Lactantium Epit. c. 1. quod poetis vsitatius.

Imperiis distributis] Cum Italiam et Gallias Caesar; Hispanias, Graeciam, et reliquas populi Romani prouincias Pompeius teneat.

Ardere bello] Apta translatio: quia nec incendio quidquam citius consumit, nec igni quidquam bello similius: aeque enim prosternit, ac delet, quaecumque inuaserit. lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Cum arderet Syria bello.* In Oratore c. 10. *Ex omnibus terris, vna Gallia communi non ardet incendio.*

Sine legibus] Quarum vocem quis in armorum strepitu exaudiat?

Iudiciis] Bello intermissis, fuga magistratuum, nec vero iudiciis locus esse potest, cum sublatae leges sint.

Iure] Non modo iudicia, sed omnino ius vniuersum iacet. legum enim et iudiciorum exitium sequitur iuris euersio.

Fide] Pertinet, opinor, hoc ad creditas pecunias: quarum in solutione, nisi iudicia fiant, debitores fidem non praestant. Pro lege Manilia c. 7. *Scimus*, inquit, *Romae, solutione impedita, fidem concidisse.* et Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 1. *Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur.*

Relictam direptioni et incendiis] Pompeii, et consulum fuga. nam cum Caesar primum Pisaurum, Fanum, Anconam, deinde Iguuium, Auximum occupasset, tantus repente, his verbis auditis, in vrbe terror inuasit, *vt, cum Lentulus consul ad aperiendum aerarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex senatus consulto proferendam, protinus, aperto sanctiore aerario, profugeret. Caesar enim aduentare, iam iamque et adesse eius equites falso nunciabantur. Hunc Marcellus collega, et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex vrbe profectus, iter ad legiones habebat, etc.* Hoc ipse Caesar scripsit lib. 1. de bell. ciu. c. 14. Dio lib. 41. et Cicero ipse ad Tironem, lib. 16. epist. 12. *Patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus.* et lib. 8. ad Attic. epist. 2. *Non expulsi, sed euocati e patria; quam non seruandam ad reditum nostrum, sed diripiendam et inflammandam reliquimus.*

Audeam] Eo redacta res est, vt nec optare quidquam audeam: cum tamen optare multa, vel sine spe, soleamus. vnde illud lib. 1. de Orat. c. 21. *Hoc loco Sulpicius, insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti vtrique nostrum, cecidit, vt in istum sermonem delaberemini.*

Sin] Saepius, antecedente *si* vsurpatur: interdum tamen simpliciter, vt lib. 3. de Orat. c. 33. *Plerique ad honores adipiscendos, et ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit vnus e multis; effert se.*

Homini prudentissimo] Eidem in epistola sequenti summam tribuit sapientiam, in tertia prope singularem.

Colloqui] De officio vtriusque nostrum. quod Trebatius scripserat.

Longius]

Longius] Formiis enim, aut prope, fuit initio belli ciuilis. lib. 6. epist. 11. *Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur. Nos Capuam sumsimus.* Et epist. 12. *Ego adhuc orae maritimae praesum a Formiis.* Et lib. 7. ad Attic. epist. 11.

Inuitus] Quia relicta sit direptioni et incendiis, et quia non leges in ea, non iudicia, non ius, non fides vlla sit. lib. 7. epist. 30. *Quin hinc ipse euolare cupio, et aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.*

Si quid] Si quam ob rem.

Exire ex vrbe] Vt colloquamur.

Quantum mihi fortasse arrogo] Fortasse enim mihi assentor, cum mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. *Arrogare* dicimur nobis ea, quae nostra non sunt.

Statuerimus] Vt nobismet ipsis consulamus: quoniam nihil iam videmur opitulari posse reipublicae.

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Relicta vrbe a Pompeio, occupata iam a Caesare Italia, quaesierat a Cicerone per litteras Sulpicius, quid agendum censeret in tanta rerum omnium perturbatione. Modeste Cicero respondet cum Sulpicii laude; explicatque sententiam suam, hoc modo: si recta quaerantur, satis patere, quid agendum sit; si vtilia, non item. nam, cum rectum videretur, pro communi libertate contra Caesarem arma capere; tamen id quam expediret, obscurum erat: cum Caesaris caussa firmior, Pompeii esset honestior. Concludit, esse longius ab vrbe discedendum, in qua manere vel turpe sit, si probentur ea, quae fiunt; vel, si non probentur, periculosum: ac sibi captum iam consilium esse de itione ad Pompeium ostendit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Philotimum] Libertum Terentiae Ciceronis. lib. 8. epist. 3. lib. 14. epist. 18. et lib. 6. ad Attic. epist. 3.

Postumia] Vxor Sulpicii, de qua Suetonius in Iulio c. 50. sic: *Pronum, et sumptuosum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasque et illustres feminas corrupisse: in quibus Postumiam, Seruii Sulpicii, Lolliam, A. Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii Muciam.* Hoc nomen cum originem inde duxerit, quod, qui post humatum parentem nascerentur, *Postumii* dicebantur, tamen in antiquis nummis, et lapidibus Capitolinis sine aspirandi nota scriptum est.

Seruius] Sulpicii filius, patris praenomine; quo appellabantur filii primo loco nati. Hic Sulpicii filius ad obsidendum Brundisii Cn. Pompeium iuerat. lib. 9. ad Attic. epist vlt. et lib. 10. ad eundem epist. 3. et 12.

In Cumanum] Quo posset cum Cicerone colloqui. lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Seruium*, inquit, *exspecto ad Nonas: et adigit ita Postumia, et Seruius filius.*

Meum

Meum consilium] Quid tibi agendum sit.

Auctoritate] Ob honores magna cum laude administratos. gesserat autem Sulpicius biennio ante cum M. Marcello consulatum.

Quid rectissimum sit] Eadem sententia lib. 5. epist. 19. iisdem fere verbis: *Quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est.*

Non potest esse dubium] Lib. 5. epist. 19. dixit, *dubitare non possumus.* ostendit eundum ad Pompeium, etiamsi non expedire videatur.

Meam caussam] Vt idem ab vtroque capi consilium oporteat. nam *coniuncta mea caussa cum tua est*, valet, eodem in statu sumus, eadem ratio est, pertinet idem ad vtrumque nostrum. Contrarium est illud lib. 1. epist. 9. *Mea ratio fuit alia.*

Nihil esset vtilius] Vt quidem ipse Cicero putabat, cui, quod honestum, id vnum vtile videbatur. Caesar autem nihil melius, quam regnare existimabat: itaque versus illos Euripidis de Phoenissis in ore habere solitus est, v. 527.

Εἶπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quos Cicero ita vertit lib. 3. de Offic. c. 21.

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Defendenda pace] Genus loquendi, pro, si pacem defenderemus: vt in prooemio lib. 1. de Offic. *Orationem Latinam profecto legendis nostris efficies plenio-rem:* pro, si nostra leges.

Nos fefellerit] Non Caesar, sed id quod arbitramur. dicimus enim simpliciter interdum, *non me fallit.* Fefellit autem in eo Ciceronem opinio, quod Caesar, cum ei nihil esset vtilius concordia rem tamen ad arma deducere maluerat.

Geruntur] A Caesare in Hispania contra Pompeii legatos. pulso enim Italia Pompeio, ad vrbem Caesar excurrit, inde in Hispaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus est Cicero, bellum in Hispania gerebatur. id cognoscitur ex lib. 10. ad Attic. epist. 12. 13.

Gesta sunt] Cum Pompeius eiectus Italia sit, Caesar vrbe et Italia sit potitus.

Qui cursus rerum] Vt enim adhuc, ita deinceps armis agentur omnia.

Qui exitus] Perspicis exitum fore vel Caesaris, vel Pompeii tyrannidem. lib. 8. ad Attic. epist. 11. *Vterque regnare vult.* et alibi saepe.

Ergo] Cum videas, quem in locum res deducta sit; sequitur, vt, in vrbe si manserimus, vel probare ea, quae fient, quod turpe est, vel saltem intereſſe cogamur, etiam si non probemus: quod periculosum erit.

Quorum altera] Sic in decem antiquis libris: in duobus, *quarum.* antiquitatem magis redolet, *quorum:* et vereor, ne quis ob verbum, *altera*, scribendum putauerit, *quarum.*

Restat] Cum videas, probare turpe esse; intereſſe, etiamsi non probes, periculosum; restat, vt discedendum putemus.

Quod consilium] De discessu dubitandum non est: restat deliberatio,

beratio, quid consilii discedentes capiamus, maxime quidem, quo nos conferre debeamus.

Numquam] Quia salutis publicae spes nulla supereſt.

Non sit coniunctum] Satis plane significat, si velit Sulpicius ad Pompeium transire, colloquendum esse: alioqui non oportere: sibi enim captum iam esse consilium. id cognoscitur ex lib. 10. ad Attic. epist. 12. *Seruium*, inquit, *exspecto, nec ab eo quidquam ὑγιές.* Cum in eadem paullo ante scripserat, se de Hispania cogitare.

Exspectabo] Et hoc verbo captum sibi de discessu consilium ostendit.

Quod tuo commodo fiat] De hoc loquendi genere dictum est lib. 1. epist. 1.

Seruio et Postumiae] Lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Seruium exspecto ad Nonas: et adigit ita Postumia, et Seruius filius.*

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Sulpicium, Achaiae, post victum in Pharsalia Pompeium, a Caesare praepositum, consolatur in dolore, quem ex reipublicae calamitate capiebat. Quid autem ad consolandum valet? primum illud, cum ostendimus, communem fortunam esse, nec decere eum, qui praecipuis non affligatur incommodis, praecipuo dolore angi. Alterum est, cum in alienis malis nostra bona recordamur; id est, cum ea, quae vitandi communis exitii gratia recte ac sapienter acta, dicta, cogitata sint a nobis, animo ac mente contemplamur. nam ad leuandas miserias magnam habet vim bene actae vitae conscientia. Tertio loco, si minuit sollicitudinem ipsa per se conscientia; quanto magis, cum ad eam accedit hominum opinio, qui nihil a nobis non sancte, nihil imprudenter, aut indecore actum existiment? atque haec ratio, a generali quodam iudicio ducta, tum est firmior, si ad clarorum virorum exempla confugimus: ideo Caesarem quoque ipsum idem, quod ceteros omnes, de Sulpicio iudicare dixit. Quid, cum illud adiungimus, in eo ipso quod, quasi malum sit, grauiter dolemus, aliquid inesse, cur dolendum omnino non sit? facit hoc Cicero, cum ait: quod autem a tuis abes. *Lenitur etiam studio litterarum, praesertim philosophiae, doloris acerbitas. quod in Sulpicii cura Cicero non neglexit. quamquam hanc partem considerate attingit: nec monendum aperte talem virum putat, quod esset arrogantiae: sed cum ait:* mihi ita persuasi, te quoque in iisdem versari rebus: *plane indicat, quid eum facere, tam aduersis temporibus, oporteat. Nec vero leuis est ex eorum, quos diligimus, probitate ac virtute consolatio. ergo hic laudatur Seruius adolescens, vt afflictum patris animum grata filii mentio recrearet. Haec, et similia in ceteris epistolis obseruanda: quae si colligantur, adhibito ordine, sine quo praeceptorum copia propemodum inanis est; artem inuentionis, alioqui difficillimam, in promptu habebimus. Scripta est post bellum Africanum.*

apparet

apparet enim Caesarem in vrbe commorari, Pompeianarum partium metu liberatum. quod certe non ante bellum in Africa gestum consecutus est. perpetuo enim victoriae cursu Pompeium, Aegyptios, Pharnacem superauit: inde Romam profectus, paullo post in Africam contra Scipionem et M. Catonem contendit: quibus deuictis, ad vrbem rediit, cum tertium consul esset; ibique tam diu permansit, donec in Hispaniam, vbi magnas copias a Pompeii liberis contractas esse audiebat, eundum necessario iudicauit. Videtur autem Sulpicius in Achaia permansisse vsque ad exitum Hispaniensis belli. quod ex eo suspicor, quia, quo tempore ad Ciceronem litteras consolatorias misit, quae infra leguntur, eodem Caesar ex Hispania lenire Ciceronis dolorem, ex interitu filiae susceptum, per litteras conatus est. lib. 13. ad Attic. epist. 20.

EXPLANATIO.

Sollicitum] Ob rempublicam seruitute oppressam. iam enim Caesar, iterum deuictis Pompeii partibus, vnus omnia tenebat.

Praecipuo] Cum enim commune sit exitium, cur tu praecipue doleas? Iterum Plancium admonuit epist. vlt. *Non debes aut propriam fortunam, et praecipuam postulare, aut communem recusare.*

Quodam] Ita loquimur, cum singulare quiddam notamus, vt lib. 2. epist. 4. *Est enim tibi grauis aduersaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio.* Et in orat. de prouinciis c. 18. *Quod magni cuiusdam hominis, et persapientis videtur.* Et lib. 2. de Orat. c. 74. *Crassi responsum excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis.*

Minime miror] Cum plane perierit respublica.

Meum] Dolorem.

Quodam modo] Si dixisset, *meum agnosco*, suum quoque praecipuum esse in communibus miseriis dolorem significasset. ita nullum sibi locum ad leuandam Sulpicii sollicitudinem relinqueret. dixit igitur, *quodam modo*, vt indicet, sibi quoque acerbissimam fuisse perniciem reipublicae, nec tamen in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi.

Agnosco] Me quoque dolere confiteor. epist. seq. *Illam partem excusationis nec agnosco, nec probo.*

Prope singulari] Cur addit, *prope?* ne viro graui, verborum quasi lenocinia respuenti, nimium assentari videatur. Sic lib. 4. Acad. c. 43. *Omitto per ipsum Aristotelem, meo iudicio in philosophia prope singularem.* Valet autem, *singularis*, interdum minus, quam incredibilis, interdum plus: minus, vt lib. 13. epist. 54. *In longa apparitione singularem et prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognoui.* Plus, vt lib. 1. de Orat. c. 38. *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et diuina vis ingenii videtur.*

Tuis bonis] Tua virtute et memoria recte factorum.

Alienis malis] Quibus afflicta respublica concidit. Notat perditos hominum mores, in primisque pernicioſam publicae libertati ambitionem Caesaris et Pompeii.

Laborare]

Laborare] Malis laborare, apte coniunguntur.

Me quidem] Consolamur et ratione, et exemplo. ratione vsus est in proxima superiore sententia: exemplum hic adfert de se ipso.

Nemini concedo, qui maiorem] Nemo est, cui molestiae plus attulerit interitus reipublicae. simile illud lib. 10. epist. 3. *Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo reipublicae statu acquires.* et eodem libro, epist. 29. *Nec his concedo, vt te saluum malint, quam ego.*

Pernicie et peste] Augent superlata nomina: quod etiam rhetores docent. maior autem est in peste, quam in pernicie, significatio.

Consiliorum] Quia de republica semper optime sensi. quod tibi quoque, optimo ac sapientissimo viro, solatio esse debet.

Multo enim ante] Quattuordecim annis ante, cum esset consul. Id clarissime ostendit lib. 10. ad Attic. epist. 4. *Praeclara*, inquit, *conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe numquam, nisi diuine, cogitasse: eaque ipsa tempestate euersam esse rempublicam, quam ego XIV. annis ante prospexerim.*

Tempestatem] Procellam, quae rempublicam afflixit.

Abfui] Cum esset in Cilicia proconsul: quo iuit Sulpicio consule, vt patet ex lib. 3. epist. 3. et lib. 5. ad Attic.

Magnam partem] Menses circiter octo. nam videtur ineunte Maio, aut extremo Aprili mense Roma discessisse. lib. 5. ad Attic. epist. 2.

Monuisti senatum] Consolationem affert anteactae vitae commemoratio. ideo narrationem hanc induxit, vt quemadmodum se levari dixit grauitate doloris ob conscientiam consiliorum suorum, itidem Sulpicius e suis in rempublicam officiis consolationem capiat.

Omnibus bellis ciuilibus] Tribus, quae commemorat his verbis Phil. 8. c. 2. *Ceteris bellis, maximeque ciuilibus, contentionem, reipublicae caussa faciebat. Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per vim latas Sulla dicebat: Cinna cum Octauio de nouorum ciuium suffragiis: rursus cum Mario et Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, et vt clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem.*

Superiores] Sic locutus lib. 5. in Ver. c. 44. *Id agit, vt semper superius suum facinus nouo scelere vincat.* Et lib. 4. Acad. c. 6. *Arcesilas Zenoni, vt putatur obtrectans, nihil noui reperienti, sed emendanti superiores.*

Consilium tuum] Ne Caesari ante concessum lege Trebonia tempus succederetur, et vt absenti consulatum petere liceret. in quo dissentiebat a M. Marcello collega. epitome Liuiana 108. *Contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, vt Caesar ad petitionem consulatus veniret, cum is lege lata in id tempus consulatus prouincias obtinere deberet.* Suetonius in Caesare c. 28. Plutarchus, Dio, alii.

R *Occidisse*]

Occidisse] Consulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii socerum; praetorium, M. Catonem; alios praeterea, qui bellum paci, odio Caesaris, praetulerant.

In tantis tenebris] Non dicit, conscientiam optimorum consiliorum nihil prodesse, sed pro malis reipublicae parum, nam, esse aliquem conscientiae fructum, paullo ante ostendit in se ipso.

Quasi parietinis] Libri veteres quinque, *perpetuis:* duo, *perditivis:* vnus diserte, *parricidiis:* Mediceus, *partetinis:* ex quo *parietinis* legendum, alii ante nos recte censuerunt. Sunt autem *parietinae*, parietum ruinae. Cicero ad rempublicam transtulit, et, *quasi*, praeposuit, veritus, ne paullo durior translatio videretur. quod praecipit Crassus lib. 3. de Orat. c. 41. *Si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo.*

Vix consolabilis] Recte addidit, *vix:* vt consolabilem tamen esse ostendat: quod ei propositum est: cum hanc vnam ob caussam ad Sulpicium scribat, vt eum a moerore abducat.

Ipse] Cuius in potestate sunt omnia.

Lumen] Tribus verbis metaphoram absoluit, *lumen, exstinctis, elucere.* et hac fortasse translatione vsus est, cum illud proxime dictum, *in tantis tenebris*, recordaretur.

Exstinctis ceteris] Luminibus reipublicae. Phil. 5. c. 14. *Pompeio patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, exstincto.*

Sanctitatem] Sanctitatem definiit lib. 1. de Nat. deor. c. 41. *scientiam colendorum deorum.* hic accipitur pro summa probitate, vt in Phil. 3. c. 6. *Quod in iuuentute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis?*

Prudentiam] Non enim satis est optima velle, quod sanctitas est; sed optima etiam videre, in praestanti ciue requiritur.

Haec] Primum optimorum consiliorum recordatio, deinde iudicium Caesaris omniumque ciuium.

Magna esse debent] Dixit iam, debere eum suis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare.

A tuis] Vxore, et filio.

A multis ac magnis molestiis] Saepe Cicero consolatur absentes miseria ciuitatis, quam afflictam et deformatam ciuis bonus libenter nemo videt. vnde illud ad Sextium lib. 5. epist. 17. *Illud vtinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res vlla delectet.* Et ad Torquatum lib. 6. epist. 1. *Oculi augent dolorem.*

Vererer] Vererer, inquit, quia graues atque acerbae audienti etiam essent, non modo videnti.

Meliore] Non igitur dolendum est, quod a tuis absis.

Certior fieres] Quia scire haec ipse per te non posses. significat autem duas maxime res, de quibus certiorem Sulpicium fecit, iudicium Caesaris omniumque ciuium, et miserrimum statum ciuitatis.

Reliqua] Non dubito, quin studia philosophiae significet: cum inferat, *quae ego experiens quotidie, sic probo, vt ea mihi salutem afferre*

ferre videantur. Euersa enim republica philosophiae studia longo interuallo intermissa reuocauit: quod ipse confirmat in prooemio Tusc. 1. et lib. 3. de Offic. et alibi.

Salutem] Eandem sententiam retulit lib. 6. epist. 12. *Est*, inquit, *vnum perfugium, doctrina ac litterae, quibus semper vsi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem.* lib. 9. epist. 2. *Modo nobis*, inquit, *stet illud, vna viuere in studiis nostris; a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam salutem.* lib. 13. epist. 28. *Studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam viuimus.*

Omnium doctrinarum] Ergo et philosophiae: quod paullo post confirmat, cum ait: *ad eas te referas artes, quibus a primis temporibus aetatis studium tuum dedisti.*

Ad bene viuendum] Bene viuendi praecepta philosophorum libris continentur.

Optimis rebus] Florente republica.

In quo acquiescamus] In Lib. 9. epist. 3. *Nulla nunc in re alia acquiescimus.*

Vel scientia, vel natura] Non modo enim a litteris, sed a natura etiam ipsa prudentiam accipimus: quid te, inquit, et scientia et natura prudentem, hortor, vt ad eas te referas artes, quibus, etc.

Illi arti] Eloquentiae.

Neque in curia, neque in foro] Neque in senatu, neque in iudiciis. epist. 6. *Nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram.* Idem queritur in prooemio lib. 3. de Offic. *Exstincto senatu, deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus?*

Tuae scientiae] Iuris ciuilis. *Scientias* quoque, numero multitudinis, Cicero dixit in libro de Senect. c. 21. *Tot artes, tantae scientiae, tot inuenta.* quod singulare tamen exemplum adhuc inueni.

Excellenti ac singulari] Vicit enim hac laude Sulpicius superiores omnes. quod ei tribuit Cicero in libro de clar. orat. c. 41. 42. cum eum dicat ad ius ciuile non modo Dialecticam, verum etiam litterarum scientiam, loquendique elegantiam adiunxisse.

Non multo plus] Plus omnino, sed non multo: quia, sublata causarum actione, pauci de iure consuluntur. quorsum enim? cum iudices, non quid leges iubeant, sed quid is nolit, cuius libido pro legibus est, in sententiis ferendis spectare cogantur.

Non equidem te moneo] Tali vel scientia, vel natura praeditum. facerem enim insolenter.

Mihi ita persuasi] Prorsus ita credo, te quoque in iisdem philosophiae studiis versari.

Rebus] Pro, *artibus*. dixit enim, *vt ad eas te referas artes.*

Si minus prodessent] Cum tamen vehementer prosint, quippe quae salutem afferre videantur. paullo ante.

Animum a sollicitudine abduceret] Quasi enim aberramus a molestiis, dum litteras tractamus. lib. 12. ad Attic. epist. 38. *Ego hic, scribendo dies totos, nihil equidem leuor, sed tamen aberro.* Et ibidem proxime: *Siue hanc aberrationem*

a dolore delegerim. et epist. 45. ibidem: *Ego hic duo magna συντάγματα absolui. nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum.*

Tibi vni concedam, praeterea nemini] Sic in extrema oratione pro Marcello: *Vt vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini.*

Gratia refertur] Quod amantem redamat atque obseruat.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Excusanti Sulpicio, quod saepius vno exemplo litteras misisset, culpamque conferenti tum in eorum, qui eas acciperent, negligentiam aut improbitatem, tum in orationis inopiam, qua ipse laboraret, respondet Cicero, primam sibi excusationis partem probari, alteram omnino falsam videri: se enim ipsum non admodum esse verborum inopem, qui tamen sibi et subtilitate et elegantia scribendi Sulpicium anteponat. Causas probat, quibus Achaiae administrationem Sulpicius recusandam non putauerat. Narrat senatus officium, suppliciter de reditu M. Marcelli Caesarem rogantis: quo impetrato, gratias a se Caesari actas esse demonstrat. De suo philosophiae studio eiusque fructu, de Seruii filii probitate ac doctrina quaedam addit. Concludit, eum esse statum reipublicae, vt ea, quae Romae fiant, audire sit optabilius, quam videre. Negotialis est epistola, tum alias ob causas, tum quia reditum Marcello Caesaris liberalitate concessum significat. Caesare III. M. Aemilio Lepido coss. deuictis in Africa Pompeii partibus.

EXPLANATIO.

Vno exemplo] Vt, si qua periret, aliqua tamen perferretur epistola.

Nec nosco ERN. *agnosco*] Veram esse non confiteor. agnoscimus enim, quae antea nouimus: ignota vero agnoscere non possumus. non agnoscit igitur Cicero caussam excusationis, quam Sulpicius in orationis paupertatem referebat: quia verborum inopem eum non cognouerat. lib. 5. epist. 20. *Id ego agnoui meo iussu esse factum.* et lib. 11. epist. 3. *Neque agnoscimus quidquam eorum.* et in Laelio c. 2. *Tu, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice.*

Εἰρωνεύεσθαι] Dissimulare. quod Socrati vsitatum in disputando fuit, cum iis, quos refellere volebat, plus tribuere videretur.

Εἰρωνευόμενος] Simulans. Est enim ironia modo dissimulatio, vt proxime; modo simulatio, vt hic. dissimulamus enim vera; cum occultamus ea, quae sunt; simulamus falsa; cum ea fingimus esse, quae non sunt. Late igitur patet ironia: et est omnino, vt ait Aquila, cum aliud verbis significamus, aliud re sentimus. Addit Beda: grauitate pronunciationis adiuuandam. alioqui confiteri videbitur, quod negare contendit.

Subtilitati et elegantiae] *Subtilitas*

litas in sententiis, *elegantia* in verbis. *Subtilitas* autem a Dialectica maxime sumitur, quam Sulpicius egregie cognouit: eoque maxime adiumento et Scaeuolae et ceteris omnibus iurisconsultis antecelluit. hoc enim ei testimonium tribuitur in lib. de clar. orat. c. 41. quo in libro subtilitas etiam eius et elegantia nominatur c. 42. his verbis: *Adiunxit et litterarum scientiam, et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. Cumque discendi causſa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo; Galli, hominis acuti et exercitati, promtam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superauit.* Quinctilianus etiam, Sulpicium ex tribus orationibus insignem famam consecutum esse, lib. 10. c. 1. scriptum reliquit. Alibi *subtilitas* non idem valet, sed venustas potius quaedam est orationis, et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento: qualis apud nos est Caesaris sermo, apud Graecos Lysiae. itaque lib. 3. de Orat. c. 7. subtilitatem quidem illi Cicero tribuit, acumen autem Hyperidi. Et in Bruto c. 9. illud: *Lysias egregie subtilis scriptor, atque elegans:* sic accipio, non vt acutum scriptorem Lysiam dici putem, sed vt purum, vt venustum, vt politum, vt plane Atticum. Attica enim subtilitas ipsa per se laudatur, iis carens ornamentis, quae ab arte sumuntur. qua laude Catonem Censorium afficit Cicero in eodem libro infra c. 17. *In nostris*, inquit, *inscitia est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non nouerunt quidem: Hyperidae volunt esse et Lysiae. Laudo. sed cur nolunt Catonis?* Atticum igitur dicendi genus illud, in quo Lysias excelluit, (nam plura genera, vt ait Cicero, fuerunt) non ornatum, copiosum, illustre, vt Demosthenis et Aeschinis; non acutum, vt Hyperidis; sed exsile, ieiunum, siccum, politum tamen et venustum fuit: idque tum indicant eae, quae exstant, illius orationes: tum ipse Cicero, si Lysiae orationes non haberemus, clarissime tamen ostenderet. nam in eodem libro aliquanto post c. 82. *Atticum*, ait, *se Caluus noster dici oratorem volebat. inde erat ista exsilitas, quam ille de industria consequebatur.* Et paullo post: *Sin ieiunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum vrbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem Atticorum.* Et infra c. 84. *Sin acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum genus orationis probant, nec illo grauiore ornatu oratorio vtuntur, et hoc proprium esse Atticorum volunt; recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutae subtilitati locus.* Nam, quod non ita multo post c. 85. dicitur, Lysia pictius esse nihil posse: id affertur ex Attici persona, nimium in Graecos ambitiosi, et a Cicerone dissentientis, qui Catonem Lysiae comparauerat. Cicero autem ipse de Lysia quid sentiat, declarat in Oratore c. 9. his verbis: *Dicat igitur Attice venustissimus*

simus ille scriptor, ac politissimus, Lysias. quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum. Et paucis interiectis, *qui Lysiam*, inquit, *sequuntur, causidicum quendam sequuntur: non illum quidem amplum, atque grandem; subtilem et elegantem tamen.* Eandem subtilitatem, quae ab acumine distat, notauit in Lysia Quinctilianus lib. 10. c. 1. *Lysias*, inquit, *subtilis atque elegans, et quo nihil, si oratori satis sit docere, quaeras perfectius. nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti, quam magno flumini, propior.* Et lib. 12. c. 10. *Quid Periclea? similemne credimus Lysiacae gracilitati?* Item lib. 9. c. 4. *Neque illud in Lysia dicendi textum, tenue atque rarum laetioribus numeris corrumpendum erat.* Hinc *agere causas subtiliter*, pro, simplici quodam et puro, et ad docendum, non ad promouendum, aut delectandum, apto dicendi genere in causis vti, dixit Cicero lib. 9. epist. 21. *Privatas*, inquit, *causas, et eas tenues, agimus subtilius.* Et in Oratore c. 5. *Tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam et pressa oratione limati.* Et infra c. 23. *Orationis subtilitas, imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.* Et pro Balbo c. 22. *A quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 21. *De republica quid ego tibi subtiliter? tota periit.* Et in epist. 15. ad M. Brutum: *Messalam habes. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius vt explicem, quae gerantur, quaeque sint in republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia nouit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest?* Elegantiam autem differre ab ornatu, ostendit Cicero in epistola ad Cornelium Nepotem: *Quis*, ait, *sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?*

Achaicum negotium] Achaiae administrandae curam, a Caesare mandatam. quamquam opinor ei maiorem Graeciae partem esse commissam, licet Achaiae nomine prouincia vocaretur. nam lib. 6. epist. 1. et 4. et lib. 13. epist. 18. 21. 22. video Sulpicium Athenis praeesse: quae non Achaiae vrbs, sed inter Achaiam et Macedoniam fuit. Lib. vero 6. epist. 6. *Brutum*, ait, *Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae.* vide infra epist. 12.

Omnes causae] Quarum vna fuit, vt minus miser esset, cum ea non videret, quae in oppressa patria contra leges moremque maiorum fierent. nam oculi dolorem augent, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.

Auctoritate et prudentia] Decet enim, qui auctoritate et prudentia valeat, cum nihil committere, quod in aliquam reprehensionem possit incurrere.

Aliter cecidisse rem] Putasti te, cum ab vrbe abesses, a molestiis etiam abfuturum. id, vt scribis, te fefellit. lib. 1. epist. 7. *Si cecidisset, vt volumus et optamus.*

Perculsa et prostrata iacent] Dixi iam, superlatis augeri vim sententiae.

tentiae. sequitur autem, vt perculsa prosternantur, prostrata iaceant.

Foedissimo] Ex iis, quae sequuntur. bello enim omnia deformantur. alibi quoque epithetum idem cum bello iunxit.

Is cuique iocus] Vide eandem sententiam lib. 6. epist. 1.

Tui consilii] Quod Achaicum negotium non recusaueris.

Ne id quidem] Non modo libere sentire ac dicere, sed ne scribere quidem tuto possumus sumus enim hic in eorum potestate, qui diligenter, quaecumque agimus, obseruant: quique vel minima re si offendantur, parata nobis grauissima iniuria est.

Moderatius] Sane in victoria se moderatissimum Caesar praebuit: de quo Suetonius c. 75. haec: *Moderationem clementiamque tum in administratione, tum in victoria belli ciuilis, admirabilem exhibuit. — nec vlli periisse, nisi in praelio, reperientur, exceptis duntaxat Afranio, et Fausto, et L. Caesare, iuuene. — Denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire, permisit, magistratusque et imperia capere.* Confirmat ipse Cicero saepe in his epistolis, in hac quidem in extremo: *De reliquis, nihil melius ipso est.* in sexta *liberalem* Caesarem appellat. in septima, non passurum ait, vt iniuria fieret. in decima tertia: *Obtinemus ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem. sed ea plus non potest, quam vis et mutatio omnium rerum atque temporum.*

Insolens] Victores enim insolentes facit: epist. 9. *Miserius nihil, quam ipsa victoria: quae etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit.*

Vno te vicimus] Cum in reliquis tua melior, quam nostra conditio sit.

Marcelli] M. Claudii Marcelli, qui, Pompeio in Pharsalia deuicto, cuius partes secutus erat, exsulabat.

Collegae] In consulatu.

Salute] Restitutione a Caesare impetrata.

Armis disceptari] Iudiciale verbum ad arma transtulit, cum disceptari legibus, non armis, de iure soleat. epist. 14. *Videbam, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis.* Lib. 6. epist. 1. *Dolebam, pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari.* Quid autem proprie sit *disceptare*, locus indicat in Partit. c. 3. *Aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator.* Et in orat. pro Deiotaro c. 2. *Hanc, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret.* Id ad praetorem proprie attinebat. nam lib. 3. de Leg. c. 3. ita scriptum animaduerti: *Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicariue iubeat, praetor esto.* Et pro Caecina c. 2. *Persaepe disceptatore domestico diiudicatur.* sic lib. 13. epist. 26. ad Sulpicium: *Sic praescripsimus iis, quibus ea negotia mandauimus, vt omnibus in rebus, quae in aliquam controuersiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore vterentur.* itidem dixit: *videbam, quanto periculo de iure publico disceptaretur.*

Acerbitate Marcelli] Significatur id, quod Suetonius in Iulio c. 28. expoſuit his verbis: *M. Claudius Marcellus, conſul, edicto praefatus, de ſumma ſe republica acturum, retulit ad ſenatum, vt ei ſuccederetur ante tempus: — et ne abſentis ratio comitiis haberetur. — Nec contentus Marcellus, prouincias Caeſari, et priuilegium eripere, retulit etiam, vt colonis, quos, rogatione Vatinia, Nouumcomum deduxiſſet, ciuitas adimeretur: quod, per ambitionem, et vltra praeſcriptum, data eſſet.* Commemorauit igitur Caeſar offenſiones Marcelli, quo ſcilicet maius faceret beneficium ſuum: deinde ſe reditum eius in patriam ſenatus precibus largiri dixit. in oratione pro ipſo c. 1. *Intellectum eſt enim, cum M. Marcellum ſenatui populoque Romano conceſſiſti, commemoratis praeſertim offenſionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel ſuſpicionibus anteferre*

Aequitate tua] Cum Marcello collegae tuo reſtitiſti. de quo idem Suetonius c. 29. *Summa ope reſtitit, partim per interceſſores tribunos, partim per Seruium Sulpicium, alterum conſulem.* Id ſignificatur etiam in epiſt. 3. in eo loco: *abſens cognoſcebam, quae eſſet tua in hoc peſtifero bello cauendo et praedicendo ſententia.*

Senatui rogapti] Non modo preces, verum etiam lacrumas ſenatus, vt Marcelli reditum impetraret, nominat in extrema oratione, qua Caeſari, ob Marcellum reſtitutum, et ſuo et ſenatus nomine gratias egit.

Ne hominis quidem cauſſa negaturum] Alii legunt, *ne ominis quidem:* quibus aſſentiri nullo modo poſſum. dixit enim Caeſar, ſe non eſſe roganti ſenatui, ne ipſius quidem Marcelli cauſſa, a quo graviter eſſet offenſus, negaturum. quamquam, aiebat, in me fuerit acerbior; tamen, ne hac quidem cauſſa, ſenatui deprecanti eius reditum negabo. non tanti apud me erit Marcelli ipſius iniuria, quanti ſenatus vniuerſi conſenſus et deprecatio. Ad hunc locum pertinet illud ex lib. 6. epiſt. 6. *Marcellum, cui maxime ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit.*

L. Piſone] Patriciae gentis Calpurniae: nam Calpurnii Bibuli plebeii: is Caeſaris ſocer erat. exſtat in eum Ciceronis oratio.

C. Marcellus] Marci frater germanus, qui cum L. Lentulo conſul fuit, biennio poſt Marcum conſulem: nam patruelis fuit alter Caius, qui conſulatum geſſit cum L. Paullo, anno poſt Marcum conſulem proxime ſequenti: vt epiſt. 9. huius libri, et lib. 15. epiſt. 9. et apud Suetonium in Iulio c. 29. de germano fratre infra: epiſt. 7. 9. 11. et in orat. pro Marcello in extremo.

Abieciſſet] Nulla ſuae dignitatis habita ratione: quo magis Caeſarem moueret. dolor enim ſummus in verbo, *abieciſſet*, oſtenditur.

Supplex] Senatus amorem ac deſiderium abſentis Marcelli Seneca in conſolatione ad Albinam c. 9. declarat his verbis: *Illi reditum impetrauit ſenatus publicis precibus, tam ſollicitus ac moeſtus, vt omnes illo die Bruti habere animum viderentur, et non pro Marcello, ſed pro ſe deprecari, ne exſules eſſent, ſi ſine illo fuiſſent.*

Accede-

Accederet] Accedere ad se supplicem senatum, Caesar passus est: eundem accidere supplicem ad pedes suos, passus certe numquam esset. alia enim C. Marcelli, fratris reditum deprecantis, alia senatus ratio fuit: quem supplicare quidem pro M. Marcello decuit, abiicere se ad Caesaris pedes, oblitum suae dignitatis, haudquaquam decuit. nec Caesar ipse, qui omnia quidem suae potestatis esse, speciem tamen adhuc aliquam reipublicae manere vellet, indignitatem illam tulisset. Quare nihil mutandum.

Noli quaerere] Cum res eiusmodi est, vt eam ne longa quidem oratione pro voluntate nostra satis exprimere videamur posse; confugimus ad hoc loquendi genus, et ad illud, *quid quaeris?* et similia quaedam.

Rogati] Sententiam. Hic mirari licet, cur in re minime dubia sententiae rogarentur. consensit enim senatus vniuersus in Marcelli salute deprecanda. quod illud proxime dictum ostendit: *Fecerat hoc senatus, vt cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet.* Quod cum ita sit: cur sententiae, quasi parum certa senatorum voluntas esset, rogabantur? scripsit enim Varro, teste Gellio lib. 14. c. 7. lib. 4. Epistolicarum Quaestionum, *senatus consultum duobus modis fieri solitum, aut per discessionem, si consentiretur; aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas.* Ego Caesarem opinor, licet senatus voluntatem perspexisset, voluisse tamen sententias rogari, quo certius, quid quisque sentiret, intelligere posset: fortasse etiam, vt in dicenda sententia singuli sibi gratias agerent de Marcello reipublicae restituto.

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Aemilio Lepido consul fuerat, triennio ante Ciceronem.

Si eo loco esset] An hoc dicit? si ea, qua Marcellus dignitate esset, negauit se in patriam rediturum: cum lib. 14. epist. 18. similiter dixerit: *Vos videte, quid aliae faciant isto loco feminae.* Hoc mihi non probatur. non enim, quod ad dignitatem attinet, sibi Marcellum Volcatius antepositum esset, quippe qui consul ante eum fuerat annis XIV. An, *si eo loco esset*, si esset in senatu? vt se Caesari, dum in senatu esset, gratias acturum negauerit. Ineptum hoc videtur. vbi enim magis, quam in senatu, ea de re, quae in senatu agebatur, agi Caesari gratias decuit? Puto igitur hoc dici: negauit se in patriam fuisse rediturum, si Marcellus fuisset; id est, si eadem, quae Marcellus consul, contra Caesarem fecisset; et si cum Pompeio postea aduersus eundem Caesarem pugnasset, nec se, post victum Pompeium, victori credidisset: quae cum Marcellus fecisset, inconstantiae videbatur esse, nec satis honorificum, beneficio eiusdem Caesaris, quem vehementer oppugnauerat, in patriam redire. Atque ad hanc sententiam pertinet illud Plauti in Bacch. Act. 4. Sc. 9. v. 116.

Verum, vt ego opinor, si ego in istoc siem loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.

Et Catonis illud apud Rufinianum;

Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?

Magnitudo animi] Quia salutem inimico suo largitus esset.

Egi Caesari gratias] Luculenta exstat oratio: cuius in extremo sunt haec: *Sic tibi gratias ago, vt omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua in me vnum innumerabilia merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.*

Metuo] Metuo, ne, cum in senatu loqui coeperim, idem posthac saepe cogar facere, vt Caesaris voluntati seruiam. Idem in oratione c. 1. *Et mihi, et meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, intercluſam aperuisti.*

Honesto otio] Litterato. dixit enim epist. 3. se, posteaquam nihil esse loci eloquentiae, neque in foro, neque in curia viderit, omnem suam curam atque operam ad philosophiam contulisse. et hic paullo post subiungit, *vt meis studiis seruiam.*

Intra modum] *Modice*, est cum modo: *intra modum*, minus. vt enim *supra* et *infra*, sic *vltra* et *citra*, atque interdum etiam *vltra* et *intra* opponuntur: quod Gellius lib. 12. c. 13. ostendit, modeste refutata Apollinaris sententia, qui *intra* negabat pro *citra* posse accipi. Lib. 9. epist. vlt. *Epulamur vna non modo non contra legem, sed etiam intra legem.*

Studiis] Quod esse vnicum solatium in malis proxime dixit.

Ingraueſcit] Augetur. a ponderibus translatio.

Aetatis maturitate] Sexagenarius iam erat Cicero, cum hanc epistolam scripsit. est enim hic annus vrbis DCCVI. quo Caesar III. cum M. Lepido consul fuit: Cicero autem natus est anno DCXLVI. L. Cassio Longino, C. Mario coss.

His temporum vitiis, vt nulla res alia] Epist. 3. *His vero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus.* et lib. 9. epist. 3. *Nulla nunc in re alia acquiescimus.* Et sane plura breui tempore, euersa, quam multis annis, stante republica, scripsit: quod ipse fatetur in prooemio lib. 3. de Offic.

Aliquid iam noctes te adiuuabunt] Eadem sententia, non iisdem verbis lib. 7. epist. 25. *Equidem aliquantum iam etiam noctis assumo.*

Virtute] *Virtus* hic neque probitatem, neque doctrinam significat, cum probitatis antecedat mentio, doctrinae subsequatur. est igitur praestantia quaedam in omnibus rebus; quae licet cum probitate non idem sit, ab ea tamen, et ab animi magnitudine prudentiaque oritur. qui enim virtutis nomen in eum cadere possit, qui vel probitate careat, vel humili atque imbecillo animo sit, vel denique parentem altricemque virtutum omnium prudentiam desideret? Eodem modo *virtutem* vsurpauit lib. 6. epist. 5. et lib. 13. epist. 27.

Doctrinaque] Dabat in primis operam philosophiae. epist. 3.

Communicat] Seruio patre per litteras mandante, cui molestum iam esset Achaicum negotium. ideo supra dixit, *tui te consilii poenitet.*

Ipso] Quo nihil esse moderatius, iam dixit. lib. 9. epist. 17.

Nostrum

Nostrum consilium] Qui suademus tibi, ne decedas.
Consulimus tibi] Non quid voluntas nostra ferat, sed quid e re tua sit, in consilio dando spectamus.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Est haec Sulpicii epistola si non perfectae, certe admodum diligentis et elaboratae consolationis exemplum. Nam, cum officium consolandi minime deceat eos, qui prorsus dolore vacant; siquidem, qui vere amat, doloris expers in amici casu esse non potest: vt hanc suspicionem tolleret, a molestia sua Sulpicius exordiendum putauit. Rursus, quia consolatio nihil omnino aliud est, quam aegroti animi remedium, a ratione prudentiaque sumptum; quo si caret is, quem consolamur, ratione simul ac prudentia careat necesse est: propterea culpam Sulpicius temeritatis a se voluit auertere, retulitque suae consolationis caussam non ad vllam Ciceronis insciti am, aut imprudentiam, sed ad dolorem, quo impeditus minus ea perspiceret, quae patere sibi possent, paullo moderatius dolenti. Haec quasi prooemii loco praeponuntur. Sequitur narratio, in qua maxime colliguntur exempla calamitatum, ne quis dolori nouo relinqui videatur locus. Prima consolandi ratio ducitur a conditione temporum; quae sunt eiusmodi, vt optanda minime vita videatur: altera ab exitio florentissimarum vrbium, quae perpetuo mansurae videbantur: tertia ab interitu virorum clarissimorum; qui cum et multi, et vno tempore perierint, vna muliercula amissa dolendum multo leuius est. Accedit imperii deminutio, prouinciarum deuastatio: quae ipsa quoque non mediocrem in priuatae rei iactura consolationem afferunt. Quid moriendi necessitas? nonne ad leuandam sollicitudinem plurimum valet? Quid vita, iucunde feliciterque tradu&ta? Quid mortis opportunitas, appropinquantibus malis? Haec omnia commemorat Sulpicius in Tulliae morte: mox ad ipsum Ciceronem orationem conuertit. Non debet, inquit, is, a quo multi consilium petere soliti sunt, committere, vt eguisse consilio, et ea, quae aliis praeceperit, ignorasse videatur. nec vero clarum sapientia ciuem exspectare decet beneficium temporis, quo dolor exstinguitur, sed a ratione ac sapientia contra quaelibet fortunae tela praesidium petere. Adduntur preces. Si hoc a te ratio ipsa non impetrat, certe non negabis patriae roganti, non amicis et familiaribus, non filiae mortuae, quae carissimum sibi patrem moerore angi non vult. Incommodum proponitur. Vide, ne tuo luctu offendantur ii, qui rerum potiuntur, interpretantes doloris tibi caussam esse dominationem suam. Postremo, ne tuam gloriam contemnas, quae ex multis collecta virtutibus, addita fortitudinis et constantiae fama cumulabitur. Scripta est Caesare consule IV. sine collega, deuictis iam in Hispania Pompeii liberis: quod ex duabus ad Atticum epistolis lib. 13. 19. et 20. licet coniicere: quod illa fere

postrema

postrema huius epistolae verba declarant: noli committere, vt quisquam te putet non tam filiam, quam reipublicae tempora et aliorum victoriam lugere. *Id confirmatur lib. 13. ad Attic. epist. 20. cuius initium est:* A Caesare litteras accepi consolatorias, datas prid. Kal. Mai. Hispali. *Nam Hispalim Caesar iuit post interfectum Cn. Pompeium, Magni filium, vt in libro de bello Hispaniensi c. 40. scriptum est.*

EXPLANATIO.

Tulliae] Quam exstinctam morbo, quem ex partu contraxerat, (vt ait Plutarchus) pater ita grauiter doluit, vt nec ab amicorum consiliis, nec a philosophiae praeceptis quidquam solatii capere posset.

Propterea quia] Ciceroni, Terentio, Plauto vsitatius est, *propterea quod.* sic, *ideo quod, ideo quia,* veteres dicebant.

Pari molestia] Simili potius, quam pari. nam, si par esset, afflictus afflictum consolari non posset. et infra, maiorem esse Ciceronis dolorem, quam suum, in eo significat: *non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias.*

Conari] Conamur ea, quae minime licet perficere. vnde illud Ciceronis in Oratore c. 30. *Vides, illum* (Demosthenem) *multa perficere, nos multa conari.*

In praesentia] *In praesenti,* lib. 2. epist. 10. alibi tamen, *in praesentia.*

Breui] Modo rei, modo temporis breuitatem demonstrat: hic rei, et lib. 1. epist. 9. *Tantum dicam breui.* et lib. 2. epist. 3. *Breui tamen sic habeto.* Temporis autem breuitas indicatur lib. 6. epist. 6. *Vt spero, breui gratulabimur.* Et lib. 5. in Ver. c. 54. *Breui postea est mortuus.* Et in epistola Pompeii lib. 8. ad Attic. 12. *Cum ille magnas copias habeat, et maiores breui habiturus sit.* Plautus in Rud. Prol. v. 55.

— *Posse breui fieri eum diuitem.*

Non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias] Hoc addit, ne sibi prudentiae laudem, Ciceroni ademptam, tribuere videatur. sic Cicero lib. 6. epist 5. *Quia fieri potest, vt tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere.*

Erepta] Cum enim ea, quae antea bonis ac fortibus viris respublica deferebat, ad vnius potestatem translata cuncta sint, erepta nobis videntur esse: quandoquidem non iam amplius a nostra virtute et industria exspectantur.

Honestatem] *Honestas* definiri potest, honesti et recti species quaedam, collecta ex iis rebus, quae laudem habent singulae.

Dignitatem] Existimationem, ortam ex honoribus praeclare administratis.

Qui non] *Qui,* pro *quo modo,* vt alibi quoque, hic vsurpari constat.

In illis rebus] In amissione' patriae, honestatis, dignitatis, honorum omnium.

Callere] Quasi callo ex consuetudine facto sic obduruisse, vt novum

vum dolorem iam non sentiat. Proprie Plautus in Pseud. Act. 1. Sc. 2. v. 4.

—— *Plagis costae callent.*

Ad animum hic Cicero transtulit, ad stomachum autem lib. 9. epist. 2. *Consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo.* Dicimus et *occalleo* simpliciter, vt lib. 2. ad Attic. epist. 18. *Angor quidem, sed iam prorsus occallui.*

Minoris] Quam illa, quae sunt erepta.

An illius vicem (credo) doles] An doles id, quod illi contigit? verbum enim, *vicem*, hoc videtur significare, vbi cum verbo, *doleo*, coniungitur. lib. 4. ad Attic. epist. 6. *Ipsius vicem minime dolemus.* Alibi aliter accipitur, vt lib. 1. epist. 9. *Nostram vicem vltus est ipse sese*, pro, vltus est ipse iniurias nobis illatas: quod ipsi facere debuimus.

Credo] Ironia: quasi credendum minime sit, ob ea quae sequuntur. nec abest indignationis quaedam vis, cum haec duo coniunguntur, *an credo*. quod enim per interrogationem pronunciatur, in eo simplex ironia non est: sic Lucretius lib. 5. v. 175.

An, credo, in tenebris vita, ac moerore iacebat?

Legi etiam posset simplici ironia: *at illius vicem, credo, doles.*

Et tu veneris, et nos saepe incidimus] Apparet modestia Sulpicii, qui Ciceroni plus, quam ipse sibi, tribuat. nam in *veneris* ratio; in *incidimus* casus est. necesse, inquit, est, pro tua prudentia, in eam cogitationem saepe veneris, in quam nos quoque saepe incidimus. hoc non pendet ab eo, *necesse est*, sed per se consistit, interpositum, vt se quoque incidere in eam cogitationem Sulpicius ostenderet. Quod quia parum est animaduersum, propterea legendum alii putarunt, *vt*, pro, *et*, contra veteres omnes libros, quos quidem ego inspexerim: multis autem, amicorum studio et benignitate, nunc vtor.

Non pessime cum iis esse actum] Pessime iis non euenisse. In Laelio c. 3. *Cum illo quis neget actum esse praeclare?*

Sine dolore] Exstinctos naturali morte significat. cum dolore enim moriuntur, quibus vita per vim eripitur.

Mortem cum vita commutare] Notandum loquendi genus, Ciceroni, quod sciam, non vsitatum.

Cum aliquo adolescente primario coniuncta] Diuortium cum Tullia fecerat Dolabella, antequam pareret. quod cum ex hoc loco, tum ex lib. 6. epist. 18. in qua sunt haec: *Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus. Sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit: teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Scripsit tamen ad Dolabellam lib. 9. epist. 11. de filiae morte cum amoris in eum significatione non vulgari, ob eam caussam opinor, quod temporis caussa, Caesare dominante, apud quem gratiosus erat Dolabella, simulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam scripsit apud virum suum P. Lentulum ex partu decessisse: cum neque Lentulus inter Ciceronis generos quisquam fuerit; et illa, vt Sulpicii verba ostendunt, et vt ipso teste Cicerone probauimus, post diuortium perierit.

Pareret]

Pareret] Pepererat: sed infans obiit: de quo sic Cicero lib. 10. ad Attic. epist. 18. *Tullia mea peperit XIV. Kal. Iun. puerum* ἑπταμηνιαῖον. *quod* ἠυτόκησεν, *gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est.* Alii legunt, *pararet.* decem octo libri habent, *pareret:* vnus omnino, *pararet.* mihi, *pareret*, esse rectius, et librorum consentientium auctoritas, et sententia ipsa persuasit. Optandum, inquit, videtur, vt filios pareret, quos aliquando cum florentes cerneret, laetaretur.

Per se] Suo studio, suaque industria.

Ordinatim] Honorum hic erat ordo; quaestura, tribunatus plebis, aedilitas, practura, consulatus, censura. inter quaesturam et tribunatum, itemque inter tribunatum et aedilitatem annuum erat interuallum. aedilitatem, interposito biennio, praetura: praeturam, eodem interiecto spatio, consulatus sequebatur. censurae post consulatum definitus annus non erat.

Libertate ERN. *Liberalitate*] Dissentientibus antiquis libris, quorum alii *liberalitatem*, alii *libertatem*, habent, sententiam consului; quae mihi, *liberalitate*, probare magis visa est. quo nomine non largitio tantum, sed officium quodlibet, omnisque benignitas indicatur, vt lib. 1. epist. 9. in extremo: *Illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentissime frui solere, pertinere, te sine vlla mora provinciam successori concedere.* Quamquam ex, *libertate*, aliquid etiam elicio sententiae: vt ostendat Sulpicius, neminem amicis iam nauare operam aut studium posse, cum libertas omnibus adempta sit.

Vterentur] Omnino hic diu me torsit anceps dubitatio: cum in octo scriptis libris, *vti*, viderem, non *vterentur*. nam etsi non est, vnde verbum *vti* commode pendeat; cum ab illo, *possent*, interposita bonorum mentione disiungatur: tamen, quia plurimi apud me solet esse veterum exemplarium testimonium, haerebam, haesique tamdiu, donec in libro perantiquo Caroli Sigonii plane et diserte scriptum vidi, *vterentur*. quod in hoc toto verborum ordine atque ambitu, locum habet aptissimum.

Horum] Quae sunt haec? nimirum, quae proxime nominauit, res a parente tradita, honores, amici.

Ademtum] Vi et iniuria bellorum ciuilium. supra: *Cogita, ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent; patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes.* Quid igitur, inquit, horum, quae adempta prius quam data sunt, ad vivendum illam incitare potuit?

At verò malum est liberos amittere] Artis est, ex aduersarii persona nobis obiicere, quod eius tueri caussam videatur, nec tamen ad tuendum satis valeat. adhibetur hoc genus, vbicumque disputatur, in orationibus quidem frequentissime, in epistolis nonnumquam, vt Ciceronis ad Brutum. quem locum lib. 3. c. 8. recitat Quinctilianus: *Propositis plurimis, quae honeste suaderi Caesari possent, simne bonus vir, si haec suadeam? Minime. Suasoris enim finis est vtilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt: quis negat? sed non est*

est semper rectis in suadendo locus. et ad Gallum lib. 7. epist. 23. *At pulchellae sunt. Noui optime, et saepe vidi. nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem.* In oratione autem pro Coelio c. 4. *At enim postea scimus et vidimus, esse hunc in illius amicis. Quis negat?* Ἀντεισαγωγὴ Graece vocatur haec figura: cum difficile aliquid et contrarium fateri cogimur, sed contra iniicimus non minus firmum; qualia sunt haec de Ptolemaeo rege apud Ciceronem in fragm. *Difficilis ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis.* Aquila de figuris.

Haec] Quae cum patimur, iucunda esse vita non potest.

Ex Asia] Non quae tertia orbis terrarum pars est, sed ea, in qua Attalus regnauerat, quam ab eo legatam possedit postea populus Romanus.

Aegina] Inter Cyclades insula nobilissima, ab Aegina Aeaci matre nominata, cum *Oenopia* vocaretur antea, teste Ouidio lib. 7. Met. v. 472. et Stephano. de hac Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. c. 12. Mela lib. 2. c. 7. alii.

Megaram] Sitam vrbem inter Peloponnesum, Atticam, et Boeotiam.

Piraeeus] Athenarum portus, quadringentarum nauium capax: opidum quoque eiusdem nominis, quod L. Sulla, praefecto Mithridatis regis Archelao defendente, oppugnauit. vide Gellium lib. 15. c. 1.

Corinthus] Achaiae vrbs opulentissima, quam L. Mummius euertit A. V. DCVI. Plutarchus, Velleius lib. 1. c. 13. alii. Belli causa fuit, quod legatos Romanos sordibus Corinthii maculauerant. Strabo lib. 8. Cicero in orat. pro lege Manil. c. 5.

Opida] Vrbes nobilissimas vocat *opida.* Corinthum quidem *totius Graeciae lumen* appellat in orat. pro lege Manilia c. 5. et lib. 1. de Diuin. c. 25. modo *vrbem*, modo *opidum* Pheras nominat. *Quid?* inquit, *singulari vir ingenio Aristoteles, et paene diuino, ipsene erat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat vrbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur opido ita grauiter aegrum Eudemum fuisse, vt omnes medici dissiderent.*

Diruta] Corinthi quidem vix relictum vestigium, ait Cicero in Agraria 2. c. 32. postea restitutam a Caesare, Strabo narrat lib. vlt.

Nos homunculi] Argumentum a maiori. nam si opida intereunt; quis perire homines miretur? Priscianus lib. 3. *Saepe inueniuntur deminutiuorum deminutiua in diuersas desinentia formas, vt homo, homuncio, homunculus, homulus, homullulus.*

Si quis nostrum interiit] Aliis placet, *nostrorum:* vt de propinquis dicatur. Sed mutare non est necesse. eodem enim sententia redit, si *nostrum* legimus cum omnibus antiquis libris. nam etsi de vniuerso hominum genere dictum sit, *si quis nostrum interiit;* pro, cum accidit, vt homo aliquis intereat: ad eos tamen homines referri, qui nobis cari sunt, quis non intelli-

intelligit? cari enim sunt non omnes omnibus, sed omnes suis: et quia nemo fere est, qui carus alicui non sit; ideo generatim recte Cicero dixit, quod deinde in partes diuiditur, *indignamur, si quis nostrum interiit.*

Cadauera] Interitus opidorum est euersio. apte igitur, *cadauera.*

Cohibere] Vel *cohibere*, in timore mortis, nec vitam hanc magis, quam deceat, diligere; cum opida quoque eundem cum hominibus interitum exspectent: vel *cohibere*, pro colligere, quod est accurata cogitatione rationem perpendere: vt lib. I. epist. 9. *Collegi ipse me, et cum ipsa quasi republica collocutus sum.*

Hominem te esse natum] Id est, eum, cui moriendi necessitas impendeat. vnde illud Anaxagorae, nunciata filii morte, *sciebam me genuisse mortalem*, Tusc. 3. c. 24. quo spectasse arbitror poetam illum, cum Telamonem, audita Aiacis filii nece, dicentem induxit:

Ego cum genui, tum moriturum sciui, et ei rei fustuli.

In eadem Tusc. c. 13. Et hic infra: *quoniam homo nata fuerat.*

Modo vno tempore tot viri clarissimi] Emphasim habent singula. Omitto, inquit, vetera. modo interitum vidisti et virorum, et clarissimorum, et multorum, et vno tempore. cur angeris ob amissam vnius mulierculae animulam, cui tamen communi naturae lege moriendum aliquando fuit?

Tanta deminutio] Non quod ab imperio populi Romani gentes defecerint, sed quod ciuili bello, et vectigalium fructus, et maiestas, ac vires etiam populi Romani, caesis tot hominum millibus, imminutae sint.

Omnes prouinciae] Italia, cum Caesar Pompeium eiecit: Hispania, cum Pompeii legatos et exercitum in suam potestatem redegit: Graecia, cum ipsum Pompeium devicit: Aegyptus, vnde victoriam, non sine vitae periculo, reportavit: Asia, propter Pharnacem, Mithridatis regis filium, quem Caesar, Alexandria reuertens, nullo negotio superauit: Africa, in qua Scipionem et Iubam regem vicit: Hispaniam rursus, in qua hoc tempore Caesar consul IV. aduersus Pompeii liberos bellum gerebat. motum in Gallia fuisse nullum puto.

Conquassatae] Impetu belli labefactatae, incommodis et calamitatibus affectae. pro Sextio c. 26. *Etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus.*

Mulierculae animula] Deminutis nominibus iactura leuior ostenditur.

Homo nata] Nata, vt moreretur. morti enim homines debentur. paullo ante: *Hominem te esse natum. Hominem* incerti sexus Donatus dicit esse, cum illud Terentii in Eun. Act. 2. sc. 3. v. 64. interpretatur:

—— *Illumne, obsecro,*
Inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem mulierem?

Et Plautus in Cist. Act. 4. Sc. 2. v. 21. *Hominis miserae miserere.* Alii tamen aliter sentiunt.

Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem ERN. *ad cogitationem tuam auoca*] Nescio quo modo men-

mendum huc irrepserit, quod vulgatos omnes libros occupauit, iis tantum exceptis, quos olim edidit pater meus, quem pro eximia conseruandae antiquitatis cura laudare satis nemo possit. ac mutationem quidem esse factam, eo magis miror, quod omnes libri veteres, quotquot vmquam viderim, habent, *ad cogitationem*, non, *ac cogitationem*, vt impressi. restituamus igitur veritatem, vel negligentia vel opinione corruptam. Fac, inquit Sulpicius, quod ego feci; qui cum opida, quondam Florentissima, prostrata ac diruta vidissem, inde animum ad cogitandum auocaui, reprehendique communem errorem, quod indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vitae exiguos natura terminos circumscripsit; cum vno loco tot opidorum cadauera proiecta iaceant. haec me cogitatio valde confirmavit. Etiam tu, cum tot viri clarissimi vno tempore perierint, imminutum valde sit imperium, provinciae omnes conquassatae, ab hisce rebus, vt ego ab opidorum excidio, ad cogitationem animum auoca; nec vnius mulierculae tantopere commouearis interitu; sed ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt. *Ad cogitationem tuam* dixit, pro, ad eam cogitationem, quae ad te ipsum pertinet; cum illa, de tot virorum clarissimorum interitu, de imperii deminutione, de prouinciarum clade, non de ipso proprie, sed aliena cogitatio fuerit. ab hisce igitur rebus ad cogitandum de te ipso animum conuerte.

Ab hisce rebus] Quae te excruciant; cum in caede tot virorum clarissimorum, in imperio deminuto, prouinciis conquassatis, plus omnino damni, quam in vnius mulierculae animula, factum sit.

Tua persona] Grauem enim personam sustines, cum amplissimos magistratus eximia cum laude gesseris. Videtur in verbo *persona* honorificum quiddam inesse: vt lib. 1. de Fin. c. 1. *Aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras vocent: genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen, et dignitatis esse negent.*

Quamdiu ei opus fuerit] Non enim, cum respublica occideret, opus fuit.

Praetorem, consulem] Magistratuum alii maiores, alii minores vocabantur: maiores, praetor, consul, censor: minores, reliqui. hic maiores duo nominantur, praetura et consulatus. nam censuram Cicero non gessit. Gellius lib. 13. c. 14.

Augurem] Augur creatus est (vt ait Plutarchus) in locum P. Crassi a Parthis cum patre M. Crasso interfecti, cum ab exsulio restitutus esset, antequam iret in prouinciam. nam antea sacerdotium illud non appetiuerat: vt ipse ad Catonem scripsit lib. 15. epist. 4.

Adolescentibus primariis] Tribus. nupsit enim primum C. Calpurnio Pisoni Frugi, vt est lib. 1. ad Attic. epist. 3. deinde Furio Crassipedi, de quo ad Lentulum, lib. 1. epist. 7. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 4. quo mortuo, vel relicto, (nam neque de obitu eius, neque de diuortio constat) P. Cornelio Dolabellae collocata est, vt lib. 8. epist. 13. et lib. 2. epist. 16. et alibi. a Dolabella, vt iam diximus, dimissa, periit ex partu. in quo notauimus olim Plutarchi et Asconii

indiligentiam, qui duos tantum Ciceronis generos nominarunt, Pisonem et Lentulum, in Lentuli etiam nomine peccantes. nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit.

Primariis] Omnibus quidem patricii generis. patriciae enim gentes, et admodum antiquae, Calpurnia, Furia, Cornelia.

Cum respublica occideret, vita excessisse] Eandem sententiam lib. 3. de Orat. c. 2. cum de L. Crassi morte loqueretur, consolationis loco posuit. *Non vidit*, inquit, *flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia senatum, non sceleris nefarii principes ciuitatis reos, non luctum filiae, non exsulium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.* c. 3. *Vt ille, qui haec non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur.* Et in libro de clar. orat. c. 1. opportuno tempore Hortensium obiisse ostendit, appropinquante reipublicae interitu. *Tum occidit*, inquit, *cum lugere facilius rempublicam posset, si viueret, quam iuuare: vixitque tam diu, quam licuit in ciuitate bene beateque viuere.*

Hoc nomine] Hanc ob caussam, quod vita nunc excesserit.

Ciceronem esse] Multis iam clarum virtutibus. vis maior est in ipso nomine, quam si dixisset, *cogita qui sis.* tale illud lib. 3. epist. 7. *Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam.* Et lib. 5. ad Attic. epist. 2. *Cum Hortensius veniret, et infirmus, et tam longe, et Hortensius.* Et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato.* Et illud Caesaris ad gubernatorem tempestati diffidentem: *Caesarem vehis.* Lugere autem in funere, et in reliquis calamitatibus, quo quisque nobilior et praestantior est vir, eo minus licet. itaque praeclare Eunius:

Plebes in hoc regi antestat loco:
licet
Lacrumare plebi, regi honeste
non licet.

Neque imitare ERN. *imitari*] Ita pendet hoc a verbo *noli*, vt ex eo tamen eliciatur affirmatio: hoc modo: *neque velis imitari malos medicos.* nam quaedam ex negatione et affirmatione composita, vt, *nemo* ex *non* et *homo*, *nolo* ex *non* et *volo*, in prima sententiae parte vim habent negandi, vt hic, *noli te obliuisci Ciceronem esse:* in secunda affirmant, vt, *neque imitari:* quod ita regitur, vt diximus, a verbo *noli*, vt subaudiatur non ea pars, quae in eo verbo negat, sed ea tantum, quae affirmat. Sic et Cicero locutus lib. 12. epist. 30. *Noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere.* nam particula *nec*, respicit ad *noli*, sic tamen, vt, *velis*, eliciatur, quod in *noli* inclusum est. Horatius quoque affirmationem ex *nemo*, eduxit in iis versibus lib. 1. Serm. Sat. 1.

Qui fit, Maecenas, vt nemo,
quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat? laudet diuersa
sequentes?

hoc

hoc enim, *laudet diuersa sequentes*, cum referri necesse sit ad *nemo*; tamen affirmatiue sumi, plane constat.

Quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiice] Sic Cicero epist. 9. ad M. Brutum: *Est alienum tanto viro, vt es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse.*

Longinquitas temporis] Eadem sententia aliis verbis lib. 5. epist. 16. et lib. 6. epist. 4. et lib. 7. epist. 28. Tale illud Philippidae:

Ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος.

et Menandri:

Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν χρόνος ἐστίν.

et Diphili:

Λύπης δὲ πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος.

et Philetae:

Ἀλλ' ὅτ' ἐπὶ χρόνος ἐλθῃ, ὃς ἐκ Διὸς ἄλγεα πέσσειν
Ἔλλαχε, καὶ πενθέων φάρμακα μοῦνος ἔχει.

Sapientia occurrere] *Impetret ratio, quod dies impetratura est*, dixit lib. 12. ad Attic. epist. 10.

Quodsi qui etiam inferis sensus est] Dubitat in eo, quod philosophorum alii negauerant, alii credidérant potius, quam probauerant. Cicero in Catone maiore, Platonem secutus, residere in morte sensum putat. lib. 5. epist. 16. ita disputat, quasi ancipiti sententia distrahatur. Isocrates dubitauerat. nam in Euagora, εἴ τις, inquit, ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. Et in Plataeensium supplicatione: Εἴ τις ἄρα τοῖς ἐκεῖ φρόνησις ἐστι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. Et in oratione Aeginetica: Θρασύλοχος, ὁ πατὴρ ταύτης, ἡγοῖτ' ἂν δεινὰ πάσχειν, εἴ τις ἐστιν αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, ὁρῶν τὴν μὲν θυγατέρα ἀποστερουμένην τῶν χρημάτων.

Qui illius in te amor fuit] Notum loquendi genus: quod valet, *pro amore in te suo*. lib. 13. epist. 78. *Quae tua natura est*. et lib. 6. ad Attic. epist. 9. *Quae tua prudentia et temperantia est*. Et lib. 7. ad eundem epist. 7. *Quae tua est humanitas*. et in epist. 4. M. Bruti ad Ciceronem: *Quae tua est humanitas*.

Pietas in omnes suos] Dixi iam, *pietatis* nomen plus omnino, quam *amoris*, significare. vt lib. 1. epist. 9. perspicue cernitur. vsurpatur in deos, parentes, propinquos, optime de nobis meritos.

Reipublicae tempora] Miserrima, ob amissam libertatem.

Aliorum victoriam] Hoc dicit, quia paullo ante Caesar Pompeii liberos in Hispania deuicerat.

Si hoc vnum proposuero] Sic loquimur, cum ita nos aliquid dicturos esse ostendimus, vt aliquid tamen praeponere velimus. lib. 13. epist. 10. *Videor mihi, cum separatim de probitate eius et moribus dicturus fuissem, si prius caussam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa caussa exponenda fatis etiam de probitate dixisse.* Et lib. 2. de Offic. c. 6. *Quoniam nonnumquam hoc subsidium necessarium est: quemadmodum sit vtendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus.* Et in Phil. 14. c. 2. *Ad litteras veniam, quae sunt a consulibus*

sulibus et a propraetore missae, si pauca ante, quae ad ipsas litteras pertineant, dixero. Et in eo commentariolo, qui de optimo genere oratorum inscribitur, c. 7. *Aggrediamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae caussa in iudicium deducta sit.* Lib. 3. in Ver. c. 5. *Haec et dicentur alio loco, et dicta sunt: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante fuerimus a vobis, iudices, deprecati.* Et ibidem infra c. 16. *Omnes eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quaestus caussa constituisse conuincam, si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus vsurum se putat, ex defensione eius deiecero.*

Apisci ERN. *Adipisci*] *Apisci* placet aliis. non contemno antiquitatem, colo etiam et obseruo: sed *adipisci* cur non retineam, cum omnes in eo mei veteres libri, nullo discrepante, consentiant.

Onus] Vt ferre non queas. respexit ad id, quod proxime dixerat, *aeque ferre.*

Haec vna] In aduersis constantia et fortitudo.

Tranquilliorem ERN. *Tranquilliore animo esse*] Sic libri septem antiqui: alii, *tranquilliorem.* vtrumque recte.

Prouincia] Achaia: quae et *Graecia* dicta est. lib. 6. epist. 6. et Ptolemaeus. de tota Sulpicii Achaica iurisdictione, vide quae diximus epist. 12.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Respondet Sulpicio consolanti, dolorem suum lectis illius litteris aliqua ex parte lenitum: sed nemini vmquam in eiusmodi casu aut plures, quam sibi, dolendi caussas, aut grauiores fuisse: leuationem tamen sibi fore maximam, si eius consuetudine sermonibusque frui liceat.

EXPLANATIO.

Ego vero, Serui, vellem] Cum in referibendo amici consilium aut voluntatem comprobamus, vtimur simili principio. ad Curium, lib. 7. epist. 30. *Ego vero iam te nec hortor, nec rogo, vt domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio.* Ad Verronem lib. 9. epist. 5. *Mihi vero ad nonas bene maturum videtur fore.* Ad Tironem, lib. 16. epist. 10. et 23. Lib. 13. ad Attic. epist. 41. 43. et lib. 16. ad eundem epist. 3.

Ea scripsisti] Quod prudentiae et doctrinae fuit.

Dolorem adhibuisti] Quod humanitatis et amoris.

Illi tempori] Illi calamitati: vt lib. 1. epist. 9. *Habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae.* Et ibidem paullo post: *Scripsi versibus tres libros de temporibus meis.*

Tibi gratum] Eadem fere sententia clausit epistolam tertiam.

Iucundiora] Iucunditati locus non est in rebus miseris. nec fere iucundum quidquam, quod non idem gratum: grata vero multa, non eadem iucunda. lib. 13. epist. 18.

Tale

Tale tuum iudicium de homine eo, quem vnice diligo, non potest mihi non summe esse iucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est. lib. 5. epist. 15. *Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his litteris, quas a te proxime accepi; non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus et optatus: dicerem, iucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem.* Similiter lib. 1. ad Attic. epist. 17. *Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua iucunda, et timoris consolatio grata.* et lib. 3. ad eundem epist. 20. *Auunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo: gaudere me tum dicam, si mihi hoc verbo licebit vti.* Ibidem epist. 24. *Ista veritas, etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est.*

Non oratio tua solum, et societas paene agritudinis, sed etiam auctoritas] Tria consolantur: rationes ad minuendum luctum aptae; dolor eius ipsius, qui consolatur; auctoritas demum sapientis et clari viri, quae rationibus vim et pondus addat. rationes et auctoritatem attigit in epist. 9. ad Brutum, hoc modo: *Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua, a nimio moerore deterruit.* Et ibidem proxime: *Iudicium tuum magni aestimans, idque veritus, me ipse collegi: et ea, quae didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi, tua auctoritate addita.*

Aegritudinis] Tusc. 3. c. 10. *Vt aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo, nomen habet non seiunctum a dolore.* et ibidem: *Praeclare nostri, vt alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum aegrorum, aegritudinem nominauerunt.*

Q. Maximus] Quos hic nominat, eosdem et alios praeterea, vt exemplo multorum sedaret luctum suum, in eo libro collegit, quem de consolatione ad se ipsum inscripsit. legimus enim haec in Epitaphio Nepotiani, apud Diuum Hieronymum: *L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans vrbem ingressus est. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaeuolas, Metellos, Marcios, Crassos, Marcellos, atque Ausidios; quorum non minor in luctu, quam in bellis, virtus fuit; et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicauit.* In Tusc. 3. c. 28. Gallum non nominat. *Qualis*, inquit, *fuit Q. Maximus, efferens filium consularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis: qualis M. Cato, praetore designato, mortuo filio: quales reliqui, quos in consolatione collegimus.* Q. Maximus est ille Fabius, qui rem Romanam secundo Punico bello, superiorum ducum temeritate euersam, cunctando restituit: de quo Ennius,

Vnus, qui nobis cunctando restituit rem.

quem versum Virgilius vsurpauit lib. 6. Aen. v. 847. Etsi Maximi cognomen ab auo, Q. Fabio Rulliano, accepit, vt ex Liuio et Valerio constat: tamen cum *Q. Maximus* legitur, non ille Rullianus, sed hic Verrucosus significatur, vt in libro de Sen. c. 4. *Multa in eo viro praeclara cognoui: sed nihil est*

admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri, et consularis.

Magnis rebus gestis] Quarum illa fuit maxima, quod Hannibalem iuueniliter exsultantem patientia sua molliuit. Arpos quoque recepit: quod opidum Hannibalis praesidio tenebatur.

L. Paullus] Aemilius, qui Macedoniam, victo rege Persa, ad imperium adiunxit, intulitque ex praeda in aerarium bis millies centies H-S vt ait Velleius lib. 1. c. 9. id est, sexagies tricies centena millia scutatorum.

Duo septem diebus] Patet historia apud Plutarchum, Liuium lib. 45. c. 40. Velleium lib. 1. c. 10. et alios.

Vester Gallus] Qui Sulpiciae gentis. fortasse, cum hic Cicero consularium virorum exemplis vti videatur, hic est C. Sulpicius Gallus, qui consul deuicit Ligures A. V. DLXXXVII. de quo sic in Laelio c. 2. *Memineram Paullum, videram Gallum: sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro.* Et paullo post c. 6. *Viros bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos.* Et infra ibidem c. 27. *Hac nos adulescentes benevolentia senes illos, L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Graechum, Scipionis nostri socerum, dileximus.*

M. Cato] Ille Censorius, et bellicis rebus et doctrina clarus.

Filium] De quo sic in libro de Senect. c. 23. Cato ipse loquitur: *O praeclarum diem, cum ad illud diuinum animorum concilium, coetumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluuione discedam! proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior: cuius a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quod aequo animo ferrem: sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.* Plutarchus ait a patre virum optimum in eius libris appellari solitum; nec ab eo, sed a Salonino Catone, quem e Saloniі scribae filia, post obitum prioris vxoris, censorius Cato susceperat, originem duxisse Catonem illum, qui se Vticae interfecit. quod Gellius confirmat lib. 3. c. 19.

Adspicere curiam non poteram] Curia, templum, aedes sacra, diversa esse possunt. nam curiae, vt ait Varro, duorum generum; eae, in quibus sacerdotes res diuinas curabant, a Romulo institutae; et eae, vbi senatus humanas, vt curia Hostilia: quae neque templum fuit, nisi postquam per auguria constituta est; neque aedes sacra, quia nulli deo dicata. sed cum senatus consulta non nisi locis per auguria constitutis, quae *templa* vocabant, haberi possent: propterea et curia Hostilia, et Pompeia, et Iulia quoque, cum profanae fuissent, per auguria constitutae sunt, quod a Varrone proditum indicat Gellius lib. 14. c. 7. Eadem ratione *templum* ab aede sacra distat. nam *templum* per se auguratum est, non sanctum: *aedes* vero *sacra* per se sancta,

sancta, non augurata, vt aedes Vestae: sed, si augurio constituitur, vt multae, quod ait Varro; tunc et sancta et augurata est, ideoque et curia, et templum. Rostra in foro saepe *templa* nominantur, quod augurato constituta: quae tamen neque aedem sacram, neque curiam fuisse, satis constat.

Industriae meae fructus] Industriae fructus erat, prodesse amicis in foro, reipublicae in curia.

Fortunae] Quis est hic fortunae locus? fortasse, quia fortuna industriam adiuuat.

Frangerem ipse me] Illata animo vi, vt illa grauissima toleranter tamen ferret.

Consanuisse ERN. *Consenuisse*] Nihil muto, ne dissentiam sine caussa ab omnibus antiquis libris, quos quidem adhuc viderim. nec videtur obscura sententia. Illa, inquit, quae me grauiter affecerant, consenuisse iam videbantur: nam vetustas dolorem sedat: nunc eadem hoc tam graui vulnere recrudescunt. Metaphora est ab iis morbis, qui licet vetustate non omnino tollantur, quotidie tamen ex consuetudine leuiores fieri videntur. non enim sublata ea mala Cicero significat, sed animum suum diuturnitate tamquam occalluisse, vt aliquanto minus ea sentiret: nunc autem veterem sibi acerbitatem nouo esse vulnere renouatam. Accedit eiusdem Ciceronis testimonium. nam lib. 7. epist. 26. *senescentis*, ait, *morbi remissio.* Sic *senescens laus*, alibi dixit.

In eius bonis] Quae nunc nulla sunt.

Et domo absum, et foro] Erat igitur in agris.

Leuatio] *Ratio*, mei veteres libri omnes: quod sententia non caret. Aliorum tamen coniectura non displicet.

Tibi amicissimi] Quia consul Sulpicius M. Marcello collegae, Caesari Gallias ante diem eripere conanti, restiterat, pacisque semper auctor fuerat. epist. 1. et 3. et Suetonius in Caesare c. 29. amicissimus etiam Sulpicio Caesar, quia suis in praefidiis eius filius ciuili bello fuerat. lib. 9. ad Attic. epist. 18. et 19. et lib. 10. ad eundem epist. 3.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Victis in Thessalia Pompeii partibus, diuersum a reliquis Pompeianis M. Marcellus consilium cepit. nam neque ad Caesarem victorem supplex voluit accedere; quod fortis animi fuit: neque se ad eos adiunxit, qui bellum in Africa renouandum putarunt; arbitratus, cum integri pares non fuissent, fractos superiores esse non posse. quod ab eo factum sapienter, belli exitus declarauit. locum igitur bello vacuum Marcellus delegit, vbi, tamquam in exsulio, procul a patria seruiente, in qua nihil iam leges, nihil mos maiorum valeret, procul ab armis, in quibus victoriae spes nulla, exitium esset exploratum, sibi ipse viveret. quod consilium in hac epistola nec probat Cicero, cum ipse, profligatis Pompeii partibus, in Italiam statim red erit; neque reprehendit, ne virum grauem, hominem sibi amicissimum, imprudentiae damnare

mnare videatur. Vtitur igitur via quadam, et ita Marcelli factum laudat, vt modum in eo requirat. ad persuadendum colligit haec: posse Marcellum, si Romam redeat, nullo negotio fortunas suas obtinere: se quoque, cum in eadem esset caussa, ad Caesaris clementiam confugisse, veniamque impetrasse: inimico Caesare, Marcellum nusquam fore tutum; amico, debere illum Rhodo, et Mitylenis Romam anteponere; idem omnes, qui eum diligant, sentire: habendam etiam rei familiaris rationem, quae vt, ipso praesente, facile conseruari, sic, absente, diripi, ac dissipari possit. Commemorat Marcelli fratris lacrumas, et dolorem suum: gratia se non abundare, sed ad omnia, quae possit, paratum esse demonstrat. Tota moralis est epistola. C. Caesare III. M. Lepido coss. post bellum Africanum.

EXPLANATIO.

Et si eo te adhuc consilio vsum intelligo] Monendi partes qui suscipit, vitare debet vitium arrogantiae. ideo capit initium Cicero a laude Marcelli. Porro, quia facilius impetrat amicus, quam alienus; mentionem induxit veteris amicitiae.

Non quin ab eo ipse dissentiam] Non enim eo, quo Marcellus, consilio vsus erat; quippe qui, post Pharsalicam pugnam, desperatis rebus Brundisium se contulit. infra, *de quo*, inquit, *quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim.*

Non anteponam] Captat benevolentiam a modestia sua, et a Marcelli laude.

Non aliena a dignitate] Hoc addit, quia Romae viuere, cum vnius voluntas pro legibus esset, contra dignitatem Marcellus existimabat. potius tamen pro tuenda salute, fortunisque conseruandis, quam pro dignitate, rationes adducuntur. nisi si ad dignitatem illud pertinet: si per Caesarem liceat in alienis etiam locis quiete ac libere viuere, cogitandum tamen esse, Romae ne potius et domi, an Mitylenis et Rhodi viuendum esse videatur.

Ego eum te esse] Aggreditur probare, satis iam officio Marcellum fecisse: vt ostendat, debere eum aliquando cum suis in patria viuere.

Multo ante] Itaque Caesaris potentiam, adempta ei prouincia, minuere conatus est: in quo Sulpicium collegam habuit aduersarium. Suetonius in Caesare c. 29. et lib. 8. ad Attic. epist. 3.

Ita gerendi] Quod vrbem Pompeius primum, deinde Italiam, stulto consilio deseruit. hoc in epistolis ad Attic. saepe accusat Cicero, atque etiam ad Tironem lib. 16. epist. 12. *Vrbem*, inquit, *reliquimus: quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare.*

Copias] Militum numerum: quem cum, ante Caesaris aduentum, maximum promisisset, Caesaris aduentu nunciato, paratum exercitum non habuit: ex quo Fauonii vox illa, *nunc, Pompei, terram pede percute:* quia promiserat, vbi terram pede percussisset, ilico

ilico futurum, vt adesſent ingentes peditum equitumque copiae. quod poſtea non praeſtitit. lib. 7. epiſt. 3. *Neque magnas copias, neque bellicoſas.*

Genus exercitus] Ex tironibus magna ex parte collectum. lib. 7. epiſt. 3. *Signa*, inquit, *tirone et collectitio exercitu, cum legionibus robuſtiſſimis contulit.*

Qua in ſententia me quoque fuiſſe] Confirmat idem in orat. pro Marcello c. 6. *Noſtri*, inquit, *ſenſus, vt in pace ſemper, ſic tum etiam in bello congruebant.*

Ne intereſſem] Cum bellum ſuſciperetur. ideo dixit lib. 6. epiſt. 6. *Suſceptum bellum eſt, quiſcente me: depulſum ex Italia, manente me, quoad potui.* Et lib. 16. epiſt. 11. *Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formiis. Nullum maius negotium ſuſcipere volui.* et lib. 7. ad Attic. epiſt. 11.

Conſilio, auctoritate] Eandem ſententiam aliis verbis enunciauit lib. 6. epiſt. 1.

Cum ſpe vincendi] Idem aliis verbis lib. 7. epiſt. 3. *Nec putaui*, inquit, *cum integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore.*

Sapientem et bonum] *Bonum*, quia bellum ciuile pro ſalute, ad dignitatem patriae ſuſcipiat; *ſapientem*, quia inuitus: cum exitus victoriae maxime ſit incertus.

Extrema libenter non perſequi] Vt ii, qui ſe in Africam contulerunt. Scipionem, Catonem, Labienum, aliosque ſignificat. quos neque Marcellus, neque Cicero ſecuti ſunt. lib. 9. epiſt. 6.

In Africam] Ad Iubam regem, qui, Curione Caeſarianarum partium duce interfecto, equitatum firmiſſimum, et elephantos plurimos habebat. ideo ſtultitiam eorum, qui ad beſtiarum auxilium confugerant, carpit Cicero lib. 9. epiſt. 6.

Medium] Vt neque bellum renouares, neque Romam redires, ſed in opidum liberum, et ab armis remotum, te reciperes.

Vt mihi quidem videtur] Hoc interpoſuit modeſtiae cauſſa, ne Marcelli conſilium plane reprehendere videatur.

Fortunas] Veritus, ne, praeter alias cauſſas, hoc etiam nomine Marcellus exſulare ſtatuiſſet, quod fortunarum ſuarum incolumitatem deſperaret, optime Caeſarem in eum eſſe animatum ſignificat, nec dubitandum, quin ſuas fortunas obtinere poſſit.

Penes quem eſt poteſtas] Qui rempublicam tenet. dixit paullo poſt: *qui locus hoc dominatu vacat?* et, *qui omnia tenet*, in epiſtola ſequenti: *omnia delata ad vnum ſunt*, epiſt. 9. *qui plurimum poteſt*, epiſt. 13. *qui potiuntur rerum*, lib. 1. epiſt. 8.

Beneficium non putares] Latenter ſignificat, ſi Marcellus, vt multi, veniam a Caeſare velit petere, eius fortunas omnes fore ſaluas. quod vt faciat, aperte non hortatur; ne magni animi virum offendat: hortationis autem loco, prudenter ſubiungit illud: *de quo quid ſentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipſe quid fecerim.* Poſt Pharſalicam enim pugnam, Caeſar et Ciceroni et aliis ignouerat.

Cogitandum tibi tamen eſſet] Primum argumentum ſumpſit a fortunarum ſpe, alterum ab exemplo ſui facti, tertium a Caeſaris

potestate, quartum hic subiungit ab honestate. nam vt Mitylenis aut Rhodi viuere aeque ac Romae tutum sit, certe honestius in patria tua. Verbum autem, *cogitandum*, ad honestum spectasse Ciceronem potius, quam ad iucundum, significat: quamquam in epistola sequenti, cum simili vteretur argumento, dixit: *sin qualemcumque locum, quae est domestica sede iucundior?* quamquam ibi statim de dignitate subiunxit.

Cuiusmodi res esset] Quaecumque respublica esset. quod epist. 9. expressit.

Mitylenis] Quo se contulerat a Pharsalica pugna. in Bruto, c. 71. *Vidi enim Mitylenis nuper virum, atque, vt dixi, vidi plane virum.* Et Valerius Max. lib. 9. c. 11. et Seneca in libro de Consolatione ad Albinam c. 9. et hic lib 7. epist. 3.

Veremur] Minus est, quam *timemus*. valet enim: quem ne offendamus, veremur.

Vt terrarum orbem complexa sit] In epistola sequenti, *qui locus hoc dominatu vacat?*

Alienae] Minor enim in externis locis ad facinus verecundia. epist. 9.

Etiamsi oppetenda mors esset] Non modo Romae esse malim, cum in vrbe minus, quam in externis locis, periculi esse videam, sed etiam si oppetenda mors esset.

Futura perpetua] In re tua familiari non perpetuam iniuriam, sed repentinum aliquem, te absente, praedonum impetum extimesco.

Qui essent] Caesarianos quosdam insigni audacia, et fortasse egentes, designat.

C. Marcelli] Qui consul fuerat post M. Marcellum anno proximo.

Fratris optimi] *Patruelis*, vt ait Suetonius in Caesare c. 29.

Te deprecantur] Tuam salutem a Caesare precibus petunt. *Deprecamur*, vel cum expetimus aliquid, vel cum recusamus. prior significatio patet hic, et in orat. pro Marcello c. 5. *Cum*, inquit, *M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicae conseruauit.* Et ad Cornificium lib. 12. epist. 24. *Nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denunciandum bellum miserat, nisi legatorum nuncio paruissent.* Alterius exemplum significationis vnum illud pro Balbo c. 7. cum suppetant multa, recitabimus: *Quiddam de communi conditione omnium nostrum, deprecandae maleuolentiae caussa, breuiter commemorandum videtur.*

Precibus tardiores] Hic locus ostendit, C. Marcellum, etsi Caesaris dignitatem, vt in Suetonio c. 29. legimus, consul oppugnauerat, ciuili tamen bello non interfuisse. alioqui deprecatore ipse quoque eguisset: quod de se ipso Cicero subiungit.

Deprecatione ERN. *Deprecatore*] In primis pro eo deprecatus videtur gener eius Dolabella. lib. 11. ad Attic. epist. 7. in oratione tamen pro Marcello c. 5. vt seruiret praesentis Caesaris auribus, eiusque gratiam humanitatis laude colligeret, ait se, *nullo deprecante*, reipublicae redditum.

A tuis reliquis] A reliquis Marcellis. qui videntur de Marcelli reditu non valde laborasse. nam et in sequenti epistola, *redeo*, inquit, *ad*

ad vnum illud, me tuum esse, fore cum tuis, si modo erunt tui. idque Marcellus ipse in suis litteris significauit, in eo loco: *In summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui vere meae saluti fauerent, te cupidissimum mei, singularemque mihi beneuolentiam praestitisse cognoui.* Quare interdum mihi venit in mentem suspicari, ne de his etiam loquatur, cum scripsit, *hi qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere confiderem.*

Non adhibemur] Ad consilium de tuo reditu capiendum. lib. 10. epist. 25. *Haec eadem locutus sum domi meae, adhibito Q. fratre meo, et Caecina, et Caluisio.* Et lib. 11. epist. 7. *Cum adhibuisset domi meae Lupus me et Libonem, et Seruium.*

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Partes huius epistolae sunt tres. In prima laudat Cicero Marcelli prudentiam et fortitudinem, vt eius vel monendi vel confirmandi officium ideo videatur omittere, quia necessarium non putet: in secunda se paratum ad omnia pollicetur: in tertia studet ei persuadere, vt omnino, quicumque status reipublicae sit, in patria viuat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Hominem, vnumque ERN. *virumque*] Saepe vtrumque coniungitur ad augendam laudem. nam *homo* commune nomen est: *vir*, proprium eorum, qui aliqua laude praestant.

Virtuti] Cuius eximia vis non in secundis, sed in aduersis rebus agnoscitur.

Praebeam praestemque] Multi enim se praebent, nec praestant. et in verbo *praebeo*, species quaedam propensi ad iuuandum animi; in *praesto*, res ipsa et actio declaratur.

Adsim praesto] In vulgatis libris, *sim praesto*. ego, cum in antiquis omnibus, *adsim*, viderem; etsi ad sententiam, vtro modo legatur, parui refert; tamen, antiquitatis conseruandae caussa, *adsim* malui.

Quae possum (abest in ERN.)] Vereor ne commenticium hoc sit: nullo quidem in antiquo libro reperitur, et abesse potest.

Ea quoque] Mei veteres omnes libri, vno tantum excepto, addunt *etiam*. nec displicet. augeri enim quodam modo sententia videtur, si *etiam*, auersa semicircula nota a *quoque* disiungat, vt sequentibus seruiat.

Putem ERN. *Putent*] Et hic aliquot non recenter scripti libri habent, *putem*.

Vel censuisse] Correctione vtitur, quia dixerat iam, *neque monere te audeo, praestanti prudentia virum.*

Reque principem] Qui principem dignitate et auctoritate locum tenebis, necessitate, qua excusantur actiones nostrae, cedes tempori, cum ad vnum Caesarem referri omnia videbis, et feres. in epist. seq.

Ad

Ad exſulandum] Si Romae, vt in republica, id eſt, vt in antiquo legum ac morum optimorum domicilio, eſſe non potes; ſis tamen, vt in exſulio.

Hoc dominatu vacat] Cum eius poteſtas, quem veremur, terrarum orbem complexa ſit. in epiſt. ſuperiore.

Sed mihi crede] Quamquam, inquit, praeter iucunditatem, volo te etiam de tua priſtina dignitate ſperare plurimum.

Fauet ingeniis] Eandem rationem, cum Caecinam ſpe melioris fortunae conſolaretur, vſurpauit lib. 6. epiſt. 6. *Mirifice*, inquit, *ingeniis excellentibus, quale eſt tuum, delectatur.*

Nobilitatem] A maioribus acceptam.

Dignitates ERN. *Dignitatem*] Ipſius Marcelli.

Res] Natura bellorum ciuilium, quae non concedit, vt victor eos, qui contra arma tulerint, vehementer ornet.

Ipſius cauſſa] Rationes eius, id quod ad ipſum proprie pertinet.

Si modo erunt tui] Quis non intelligit, carum ſuis Marcellum non fuiſſe? licet in obſcuro cauſſa ſit. ideo in epiſtola ſuperiore: *a tuis reliquis non adhibemur.*

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Et hic refellere omnia conatur, quae reditum in patriam diſſuadere Marcello videbantur. Non libenter vides ea, quae fiunt: at eadem audis quotidie, quae maiora etiam videri ſolent. Acerbum putas, ſi cogaris vel dicere, quod non ſentias, vel facere, quod non probes. eſto: neceſſitas excuſat. verum nec loqui contra ſententiam ſuam quisquam cogitur: et tacere plane licet. At vnus omnia tenet. idem acciditſſet victore Pompeio; qui etiam crudelior fuiſſet; vt ex praeteritis intelligitur. Laudem ex conſilio tuo conſecutus es. fateor. ſed huius quidem laudis partem ſibi aliquam fortuna vindicat; cuius beneficio factum eſt, vt honeſto otio tenueris et ſtatum et famam dignitatis tuae. quod cum ita ſit, qui tibi ſecundam perpetuo fortunam praeſtare potes? habet igitur iſta ratio modum quendam. Si iucunditatem quaeris; qui locus domeſtica ſede iucundior aut dulcior? Adſpectum patriae fugis, quia deformior eſt. miſerere potius, nec auge miſeriam eius abſentia tua. Magni animi laus te delectat: ideo ſupplex ad Caeſarem ire noluiſti. poteſt adſcribi ſuperbiae, ſi aſpernaris eiusdem liberalitatem. Nec tam ſapientia videtur, carere patria ſeruiente, quam inhumanitas quaedam, non eius deſiderio teneri. Publica, inquis, re non fruar, cum ad vnum delata omnia ſint. an ideo priuatam quoque contemnas? Quae ſi te non mouent, aut ſi tibi vita iſta videtur eſſe commodior, ſuſcipe curam ſalutis tuae, nec eadem, quae commoda, ſimul tuta eſſe exiſtima. Moralis tota, iisdem coſſ.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Quo te animo censerem esse oportere] Cum hortaretur Marcellum, vt omnino suam voluntatem cum amicorum sententia coniungeret, ac viuere in patria mallet, quod Caesar concessurus videbatur, quam in externis atque alienis locis. non enim de Caesaris clementia, quae et in epist. 7. declaratur, sed de Marcelli pertinacia dubitabat.

Quaecumque est] Epist. 7. *Cuiusmodi res esset.*

Cum idem illud auribus percipias] Non est tuum, minus laborare, cum audias, quam cum videas.

Quod etiam maius videri solet] Contra in epist. 13. *Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium exstinximus.* Et ad Torquatum lib. 6. epist. 1. *Oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.* Est enim hoc in oratoris artificio, vt easdem res temporis caussa modo oppugnet, modo defendat. Propterea in illis ad Nigidium ac Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in vrbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur.

Tibi ipsi] Tibi praecipue ob nobilitatem et dignitatem tuam. epist. 8.

Tempori cedere] Lib. 12. ad Attic. epist. 1. *Epistolam ad Caesarem misi, video tibi placere. quid quaeris? mihi quoque hoc idem maxime placuit, et eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimi ciuis; sed ita optimi, vt tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ praecipiunt.*

Vt nunc quidem est] Praesentem rei statum hoc loquendi genere veteres ostendebant: quasi dicerent, quid futurum sit, affirmare non licet: sed, vt nunc quidem est, res ita se habet. lib. 12. ad Attic. epist. 29. *Quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum; et, vt nunc est, mansurae videntur.* lib. 4. Acad. c. 4. *Vt quidem nunc se caussa habet.* Valet idem, *quo modo nunc est:* quod ad Atticum scripsit lib. 13. epist. 2.

Ne suorum quidem] Per quos vicit. quo aequius ferre debemus, si minus nostro vtatur. Hanc sententiam plane comprobant ea, quae sequuntur.

Ceterorum hominum] Scipionem in primis, Pompeii socerum, Domitium Ahenobarbum, L. Lentulum notat. lib. 6. epist. 21. Domitium et Lentulum nominat. eosdem significat epist. 6. eiusdem libri.

Minime prudentium] Cum tu bellum aliter gerendum censeres: vt in epist 7.

Magis communem] Magis vsurum fuisse consiliis nostris.

Incertis rebus] Cum incerta victoria esset: cum bellum gereretur.

Sapientissimum consilium] Cum horum malorum initia et videres, et cauere velles.

Fratre tuo] Qui consul fuit cum Lentulo, anno primo ciuilis belli, biennio post Marcum consulem. placet enim hoc dici de germano potius, quam de patruele fratre:

fratre: quia verisimilius est, germanum, quam patruelem, consulatum gessisse ex Marci auctoritate: et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 1. 2. 4. 5. Lentulum consulem vt inimicum suum nominans, de Marcello collega nihil vmquam tale dicit: contra, iniquum fuisse Caesari fratrem Marci patruelem C. Marcellum, et ab eo traditas Pompeio duas legiones, Caesari ereptas, docet Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 55. et Dio lib. 40.

Ex auctoritate tua] Opinor C. Marcellum, de quo hic sermo est, non admodum in consulatu acerbum Caesari fuisse. nam hic certe, studiosos retinendae pacis duos fratres Marcellos fuisse, ostenditur: quorum consilia Pompeius neglexit.

Vobis auctoribus] Tutam pacem exitioso bello praeferentibus.

Desideraturum] Neglexisset potius, vt antea: id enim verisimilius.

Saepe] Quater, contendentibus Sulla et Sulpicio, Cinna et Octauio, Sulla rursus et Mario, Caesare et Pompeio. Phil. 8. c. 2.

Ipsa victoria] Epist. 4. *Victoria ciuilibus bellis semper est insolens.* Et in orat. pro Marcello c. 6. *Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem?*

Eorum arbitrio, per quos vicit] Eadem sententia lib. 12. epist. 18. *Iis mos gerendus, quibus adiutoribus sit parta victoria.*

Etiam inuito] Caesarem culpa liberat, si quid agat, quod bonis ciuibus non probetur. vide lib. 9. epist. 17.

Illa] Pompeianorum: quorum crudelitatem semper extimuit. infra epist. 14. *Si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram; tamen intelligebam, et iratorum hominum, et cupidorum, et insolentium, quam crudelis esset futura victoria.* confirmat idem lib. 5. epist. 21. et lib. 8. epist. 17. et lib. 9. epist. 6. et lib. 11. ad Attic. epist. 6.

Opes] Dixi iam, *opum* nomine, quidquid valemus, totum significari.

De republica] Quam crudelis Pompeianorum victoria quietam ac tranquillam esse non pateretur.

Qui finis istius consilii est] Epist. 7. *Habet ista ratio quendam modum.*

Vt in tali re] Quae laudari fortuna potest, libertate amissa? sed, vt in tali re, fortuna etiam laudatur; quae simpliciter, hoc statu rerum, laudari non potest. Corrigit sententiam hic loquendi modus: vt lib. 15. epist. 3. *Mihi, vt in huiusmodi re, tantoque bello, maximae curae est, vt, quae copiis et opibus tenere vix possimus, ea consuetudine et continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus.* Simile illud in Bruto c. 7. *Clisthenem multum, vt temporibus illis, valuisse dicendo.* Et in Catone c. 4. *Multae etiam, vt in homine Romano, litterae.*

Laudatur] Optatur, non laudatur fortuna: sed hic Cicero vulgarem loquendi morem secutus est.

Necessario] Non sponte: nam boni ciues bellum ciuile suscipiunt inuiti. Sic epist. 7. *Ostendisti, sapientem et bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum suscipere, extrema libenter non persequi.* Cur autem necessa-

necessario? quia, quibus in castris Pompeius, consules, omnesque fere magistratus essent, in iisdem esse respublica videretur.

Extrema persequi nolueris] Quia se Mitylenas contulit, multis in Africam ad Iubam regem, belli renouandi spe, proficiscentibus.

Honesto otio] Tacite significat, non posse Marcellum eandem sibi fortunam diu praestare; sed, si ideo absit, quia honesto illo otio delectetur, valde timendum, ne casus aliquis eius consilia perturbet.

Statum] Quod in eodem statu permanseris, nullam tibi fortuna varietatem ac mutationem attulerit.

Famam dignitatis] Cum quiete et libere, honesto otio, viueres; quo tuae dignitatis fama conseruabatur. nam et qui profecti in Africam sunt, statum suum non tenuere, vel in acie interfecti, vel incommoda miseriasque perpessi: et eorum, qui se victori crediderunt, dignitas est imminuta.

Nunc vero] Cum iam satis a te factum sit et boni ciuis officio et dignitati tuae.

Dulcior patria] Epist. 8. *Sin qualemcumque locum, quae est domestica sede iucundior?*

Deformior] Amissis ornamentis suis.

Multis claris viris] Consularibus septem, Pompeio, Bibulo, P. et L. Lentulis, Ap. Pulchro, Domitio Ahenobarbo, Scipione.

Non isse supplicem victori] Vereor, ne quis hunc locum ex ingenio mutauerit. nam et vsitatius erat, *isse supplicem ad victorem*, quemadmodum epist. 4. *ad Caesarem supplex accederet*; et in meis omnibus antiquis libris non *isse*, sed *esse*, legitur. in vno tantum, *fuisse*, scriptum video ac mihi quidem vel *esse*, vel *fuisse*, magis placet, quam *isse*.

Aspernari eiusdem liberalitatem] Ex hoc loco fieri coniectura potest de reditu Marcelli iam impetrato. ego tamen, non confectam rem, sed optimam Caesaris voluntatem, et propensam ad lenitatem naturam significari puto. magis enim, ne Marcellus beneficium Caesaris recusaret, atque omnino redire nollet, quam ne Caesar se difficilem ad ignoscendum praeberet, verebatur. quod etiam locus ille confirmat in epist. 7. *Intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares.*

Carere patria] Non omni patria, sed hac, ob amissam libertatem miserrima.

Consulere temporibus] Ea facere, quae temporum ratio, quae incolumitas, et vita, et fortunae tuae postulant.

Incolumitati] Latius patet, quam *vitae* nomen. nam incolumitate status rerum vniuersus indicatur. Subiunxit autem, *et vitae, et fortunis*, vt, quae vnico nomine comprehenderat, duobus exprimeret: quo magis, re ante oculos proposita, Marcellus moueretur.

EPISTO-

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Desiderari aliquot ad Marcellum epistolas, vel vnam certe, quae reditum impetratum significet, facile possum suspicari. gratulatum enim Marcello Ciceronem, quod ei Caesar ignouisset, atque ostendisse, quemadmodum acta res esset, indicat ipsius Marcelli, quae proxime sequitur, epistola. Hic hortatur, vt reditum maturet; cum id ad rem eius familiarem valde pertineat. Caesare IV. consule sine collega.

EXPLANATIO.

Nihil noui] Praeter id, quod scripserat in superioribus litteris, quae non exstant; in quibus Marcello reditum gratulatus erat: vt ipsius Marcelli sequentes litterae demonstrant.

Theophilus] Marcelli libertus, qui et ante ad eum litteras attulerat. epist. 9. ex quo patet, has litteras aliquot post illas mensibus datas esse.

Tarda decessio] Vt qui non admodum libenter in hanc rempublicam venias.

Nisi oculorum] Tale illud in epistola superiore: *non est porro tuum, vno sensu solum oculorum moueri.*

Rei familiaris] Quae, Marcello absente, non diligenter ab eius procuratoribus administrabatur: vel quod timendum esset, ne in eam praedonum impetus fieret: quod scripsit epist. 7.

In omnes partes] Ad omnia. vt lib. 11. ad Attic. epist. 6. *Brundisii iacere, in omnes partes est molestum.* Et in epistola Vatinii, lib. 5. 10. *Me tibi in omnes partes defendendum putes.* Contrarium illud lib. 13. ad Attic. epist 10. *Hoc nullam ad partem valet scilicet.*

Reliqua] Rationes, quae te ad celerem reditum hortentur.

Quod ad tempus] Non quousque, sed quo plane tempore. sic lib. 9. epist. 5. *ad nonas*, pro *nonis.*

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

De suo reditu a Caesare impetrato Marcellus e Ciceronis litteris cognouerat. nunc se commotum Ciceronis auctoritate, ad reditum magnopere cohortantis, exsulandi consilium abiecisse demonstrat: quando tamen se daturus in viam sit, non significat. Videtur haec epistola ante superiorem fuisse collocanda. in hac enim scribit Marcellus, commotum se Ciceronis litteris in patriam esse rediturum: in illa Cicero, certiorem se de hoc Marcelli consilio iam esse factum, ostendit.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Plurimum valuisse apud me] Quantum ex hac epistola licet coniicere, laudatam in libro de clar. orat. c. 71. Marcelli eloquentiam paullo plus, quam veritas concederet, existimo. nam cum ei verborum elegantiam, et copiam, et splendorem vocis, dignitatem motus Cicero tribuisset; adiunxit, nullam oratoris in eo virtutem desiderari: atque etiam sibi similem esse, ostendit Bruti testimonio, quem loquentem inducit. *Plurimum*, lego cum omnibus antiquis libris. alii *plurimam*: et cum inscriptione coniungunt: vt sit, *salutem plurimam*. ad sententiam vtro modo legatur, nihil interest. ego veteres libros libenter sequor.

Vt vterer vestro consilio] Vt in patriam, suadentibus vobis, redeundum putarem.

Res quemadmodum sit acta] Cum a Caesare de reditu meo est impetratum. Hoc ex epist. 4. cognoscitur.

Ab optimo fit animo] *Facere gratulationem*, et Cicero dixit lib. 4. ad Attic. epist. 2.

Propinquorum] Quos Marcellum non valde cupidos fuisse, indicat illud epist. 8. *Si modo erunt tui*.

Necessariorum] Distinguit ab amicis et propinquis necessarios, qui sunt arctiore quadam beneuolentia deuincti.

Reliqua] Praeter vnum te, sine quo neque in aduersa neque in secunda fortuna mihi viuendum statuo.

Virorum et amicorum] Virorum virtute, amicorum beneuolentia carere non possum.

In hoc] Quod in summa amicorum, propinquorum, necessariorum paucitate, vnum te mei cupidum cognoui.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Marcellum a Magio interfectum, suaque erga mortuum officia significat.

EXPLANATIO.

Quoniam casus et natura in nobis ERN. *in bonis dominatur*] Cum non ignoretis, etiam bonis, non modo improbis, casu et natura vitam adimi. Hoc Sulpicius, Marcelli nece commotus, non sine quadam indignatione dixit. nam, re vera non in bonis tantum, sed in omnibus hominibus casus et natura dominatur. Locus postulat, vt *casus* et *natura* distinguantur: quod ita commode fiet, si mortis genera, quando hic de Marcelli agitur morte, persequamur. Mortis causas in duo genera diuido, aut enim intus oriuntur, aut extra: intus, vel natura, vel fato, extra, vel vi, vel casu. Natura moriuntur, quibus in senectute animam e corpore quasi sua manu natura molliter educit: quod accidit, cum vitalis calor paullatim extinguitur. Fato, qui morbo aliquo, ante illam diem, quo p

ipsam naturam peruenire licuisset, vitam amittunt. non enim Peripateticis libenter assentior, qui naturam et fatum idem esse crediderunt: quos Alexander secutus in libro de Fato, nihil inter naturam et fatum, praeter nomen, interesse, accurata disputatione probare conatur. idem sensit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. c. 13. idem Gellius lib. 13. c. 1. qui cum recitasset illud Demosthenis ex oratione περὶ τοῦ στεφάνου· Ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει· ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνήσκειν ἐθελήσει· subiunxit: *Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo ante Demosthenes* τὴν πεπρωμένην, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον *appellavit.* αὐτόματος *enim* θάνατος, *quasi naturalis et fatalis, nulla extrinsecus vi coactus, venit.* Haec Gellius: quam recte, nondum statuo. mihi enim neque Demosthenis verba, neque Ciceronis cogere videntur, fatum et naturam idem esse. quin, si modus loquendi, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον, attendatur; articuli repetitio, diuersas potius esse res, quam vnam et eandem, significat: idque ipse Cicero, nisi fallor, ostendit, cum ait orat. 1. in Antonium c. 4. *Multa impendere videbantur praeter naturam, praeterque fatum.* Quod si quis in dubium reuocat: grauem testem citabo, principem Latinorum poetarum, Virgilium: qui cum de Didone, ipsa sibi mortem consciscente, versum illum protulit: (lib. 4. Aen. 696.)

Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat:

fatum a natura manifeste disiungit. Cuius testimonio subscribere videtur Tacitus: apud quem lib. 2. Annal. c. 71. Germanicus, eripi sibi vitam veneno existimans, haec loquitur: *Si fato concederem, iustus mihi dolor etiam aduersus deos esset; quod me parentibus, liberis, patriae, intra iuuentam, praematuro exitu, raperent: nunc, scelere Pisonis et Plancinae interceptus, vltimas preces pectoribus vestris relinquo; referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumuentus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Fatum* appellat eam mortem, quae praematuro quidem exitu, nulla tamen humana vi, contingit. praematurus autem exitus a natura certe non est, sed ante illum terminum, quem ipsa natura praescripsit, robustis longiorem, breuem imbecillis. nam, si quando robustus ante imbecillum decedit; non ad naturam refero, sed ad fatum, id est, ad eas causas, vnde oriuntur ii morbi, qui naturam vincunt, mortemque ante finem a natura praestitutum arcessunt. quod euenire sibi Germanicus negat. Nec vero Chrysippi sententiam probo, qui pertinere ad omnia fatum dicebat. quod si ita esset: fato omnes, quacumque aetate, quocumque mortis genere, perirent. sed hunc firmissimis argumentis refellit Alexander: quem sequor in hac quidem parte: in altera vero, quod fatum et naturam idem esse putat, cur ei non assentiar, illa superiora demonstrant. Restat mortis alterum genus, quod in duo subiecta genera diuisimus, vim et casum. Vis voluntatem habet, casus non habet. voluntas siue nostra

sit,

sit, siue aliena, vim constituit: nostra, cum aliquis ferro, veneno, aliave re ipse sibi mortem consciscit: aliena, cum ab inimico, vel etiam a feris opprimitur: quarum etsi voluntas ferarum propria non sit; appetitus tamen ille speciem voluntatis habet. Casus voluntatem excludit. si quis enim, vel inopinata ruina, vel naufragio, vel ictu teli temere missi, a vita discedit, est illa quidem inimica naturae vis; sed quia voluntas abest, ad casum refero, non ad vim: si modo conceditur, vt haec subtilius examinentur. sin paullo communius, et, vt ita dicam, rudiore Minerua disputamus; vtrumque, siue adsit, siue absit voluntas, ad casum referri potest: quem fortunam quoque nominemus: non quod ignoremus ea, quae scripsit Aristoteles Physic. lib. 2. cum casum et fortunam distingueret: sed vbi mortis genera discernuntur, concedatur alterum ab altero non differre. itaque cum necem Didonis ad fortunam retulisset Virgilius illo versu: (653.)

Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi:

subiunxit Seruius: *Humana vita tribus continetur, natura, fato, fortuna, id est, casu, qui ad omnia pertinet, quae extrinsecus sunt.* Quibus verbis primum illud ostendit, fortunam et casum idem esse: deinde, quidquid extrinsecus accidat, vel cum voluntate, vel sine voluntate, ad casum pertinere: quod Alexandro quoque placuit: qui fortunam et casum ita simul nominat, vt alterum ab altero non distinguat. Ex quibus efficitur, vt mortis tria tantum sint genera, natura, fato, casu siue fortuna: sin casum a voluntate disiungimus, quattuor, natura, fato, casu, vi. Reliquum est, vt ostendamus, quam sententiam probauerit Sulpicius, cum in bonis casum et naturam dominari dixit. Primum illud pono: dissentire illum a Chrysippo, qui ad fatum omnia retulit: dissentire etiam a Cicerone et Virgilio, qui tria mortis genera fecerunt. deinde illud subiungo: cum Peripateticis, naturam et fatum idem esse, placuerit; satisque constet, non omnes homines natura et fato, id est, vt idem vtrumque esse Peripateticis hic largiamur, naturali morte non omnes interire; necesse videri, iisdem placuisse, alteram esse, praeter naturam et fatum, interitus humani caussam. ea vero nihil aliud, quam casus, id est, externa vis, siue humana, cum voluntate, siue non humana, sine voluntate, videtur esse posse. Et Demosthenes, Cicero, Virgilius, Tacitus, aliquam caussam mortis, praeter naturam, praeterque fatum, agnouere. Secutus igitur Peripateticos Sulpicius, (dederat enim operam philosophiae, vt epist. 3. et in Bruto c. 41.) duo tantum genera mortis fecit, casum, et naturam: siue dicas, fortunam et fatum: quoniam quidem nec differre fortunam a casu, auctoribus Virgilio, Seruio, Alexandro etiam, Peripateticorum interpretum principe, satis ostendimus: et inter naturam et fatum nihil interesse, praeter nomen, idem Alexander ex Aristotelis mente prodidit. itaque duobus nominibus caussas mortis omnes, cum periisse Marcellum casu, non natura, significare vellet, Sulpicius comprehendit.

Vos certiores facere] Pendet ab eo, *visum est faciendum:* quam apte, alii iudicent. vsitatius enim erat, *vos certiores vt facerem:* aut, *visum est vos certiores facere.* quod alii quoque viderunt.

Collegam] In consulatu.

Vt ab Athenis in Boeotiam irem, reliquamque iurisdictionem absoluerem] Prouincia Sulpicii, vocatur *Achaia* non modo epist. 4. huius libri, verum etiam lib. 13. epist. 26. 27. 28. sed mirari aliquis possit, cur lib. 6. epist. 6. Sulpicius praeesse Graeciae dicatur. Primum, quaestionis persoluendae gratia, illud pono: licet prouincia Sulpicii, in qua praeter Achaiam Peloponnesus tota cum adiacentibus insulis, praeterea Epirus Boeotiaque fuit, *Achaia* vocaretur, vere tamen ac proprie regionem illam *Achaiam* dici solitam, quae tota extra Peloponnesum fuit, *bimaris* dicta, quod duo maria, Aegaeum et Ionium, nauigatione diuersa, fere coniungeret: de qua L. Mummius, euersa Corintho, triumphauit. Haec modo Achaia, modo Graecia et Hellas vocabatur. Plinius lib. 4. c. 4. *angusta*, inquit, *ceruice Peloponnesum contingit Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Saronius appellatur sinus.* Et paullo post: *Sinum Corinthiacum* LXXXV. *millia passuum in longitudinem vsque ad Isthmum transmittunt.* c. 5. *Achaiae nomen prouinciae ab Isthmo incipit.* Idem c. 7. *Ab Isthmi angustiis Hellas incipit, nostris Graecia appellata. in ea prima Attica, antiquitus Acte vocata, attingit Isthmum parte sui, etc.* Quibus ex locis, etiam ex Ptolemaei testimonio, constat, regionem illam, quae tenui ceruice Peloponnesum contingit, Helladem vocari, et eandem Graeciam; in ea vero esse, et ab Isthmo incipere, tum Achaiam, quae et Graecia et Hellas dicta sit, quia commune regionis nomen assumpserit, tum etiam Atticam, quae ipsa quoque eodem, quo Achaia, iure commune vel Graeciae vel Helladis nomen vsurpare potuit: cum praesertim Thessalia quoque et Graecia et Hellas dicta sit, generali vocabulo, vt Plinius c. 7. prodidit. Duplex igitur *Achaia*, vetus illa bimaris, et haec recentior Sulpicii prouincia, veterem complexa: quam Cicero cum Graeciam appellauit, respexit ad Graeciam vniuersam, a Sulpicio administratam: quae, post captam Corinthum, in prouinciae formam, simul cum ipsa Achaia, redacta est: vt in Achaia Pausanias docet. *Achaiam* vero idem Cicero Sulpicii prouinciam vocat; quia reliquae eius prouinciae partes, a nobiliori nomen acceperunt; et quia, occasione deuictae Achaiae, totus ille terrarum tractus, vt diximus, in prouinciae formam est redactus. Sic et Cilicia, a Cicerone administrata, prouinciae nomen dedit: licet Asiaticas aliquot dioeceses complecteretur. Quattuor hic dubitationes, non inutiles fortasse, subiungam. Prima est, vtrum Athenae ad Sulpicii iurisdictionem pertinuerint, an suis legibus, vt aliae quaedam vrbes, vsae sint. Partem prouinciae dixerit fuisse, qui morantem in ea vrbe Sulpicium animaduerterit: quod epistolae duae, prima et quarta lib. 6. declarant. Mihi tamen vrbs omnino libera videtur; non modo quia Plinius, Strabo, Dio, et alii satis id constanter asseuerant; verum etiam, quia tutum in ea Romanis exsulibus

sulibus domicilium fuit. de Torquato plane constat ex lib. 6. epist. 1. 3. 4. de Memmio ex lib. 13. epist. 1. iam Dolabella, cum Ciceronem, exorto ciuili bello, hortatur lib. 9. epist. 9. vt Athenas se conferat, argumento, nisi fallor, esse potest, prouinciae partem Athenas non esse. Nec tamen prouinciae finibus excedebat Sulpicius, cum Athenas iret: sed ad liberam vrbem, positam in prouincia, nec tamen prouinciae partem, vel animi causla proficiscebatur, tum vt vrbis adspectu, tum etiam vt philosophorum sermonibus et consuetudine frueretur; vel quia conuentum Athenis agere, commodum esset. Secundo loco, venit in mentem ambigere de Thespiis. nam Plinius c. 7. vbi Athenas, ibidem ait, opidum liberum Thespias fuisse. At Cicero lib. 13. epist. 22. commendat Sulpicio Manlium, qui negotiabatur Thespiis. quo videtur ostendere, intra prouinciae terminos fuisse. Sit ita, verumtamen hoc non obstat, quin sui iuris opidum, quodque Graeci vocant αὐτόνομον, fuerit: vt in eo Sulpicium, tamquam illius prouinciae proconsulem, auctoritate quidem valuisse concedamus, iuris autem dicendi et imperandi potestatem habuisse nullam putemus. Occurrit tertia, non exigui sane momenti, dubitatio. Sulpicii prouincia Graecia fuit: is tamen in Asiam se profectum esse epist. 5. significat. quod mirum videri potest: nisi si vel Sulpicium Caesar, cum omnia suo moderaretur arbitratu, soluit legibus, vt iret, quocumque publici commodi ratio postularet: vel eius imperio partem Asiae extra ordinem attribuit, item vt Cilicienſi prouinciae tres διοικήσεις Asiaticas a senatu attributas videmus. quamquam id quidem vix crediderim, imminutam esse hoc tempore Asiaticam iurisdictionem, quae ad P. Seruilium, Caesaris collegam, pertinebat: vt ex lib. 13. epist. 67. constat. Postrema quaestio de Achaia. quae si, Caesare viuo, prouincia fuit: cur eam, interiectis fere centum annis, a Vespasiano in prouinciae formam vna cum Cilicia esse redactam, Suetonius in Vespasiano c. 8. ait? Achaiam in prouinciam retulit Mummius: vt ex Pausania et Strabone cognoscitur. libertatem ei Nero imperator dedit: vt scripsit Plinius lib. 4. c. 6. eandem in prouinciae formam Vespasianus redegit.

Supra Maleas] Veteres libri omnes, *Maias*, non *Maleas*. quod omnino mendosum est, nec tamen contemnendum. quid enim obest, notam esse omnibus ac testatam antiquitatem? cum saepe ex ipso mendo, mutatione aliqua litterarum, elici veritatem constet. *Malcam* autem Virgilius, Liuius, omnes denique nominant: *Maleas* vero vnus, quod sciam, Plinius iunior in epist. ad Traianum lib. 10. 26. Graecis verbis, ὑπὲρ Μαλέας. quod si legatur hic *supra Maleas*, interpretaremur, superato Malearum promontorio, Laconicae prouinciae, nauigantibus valde periculoso.

In Italiam versus] Antique: vt Coelius quoque lib. 8. epist. 15. *Ad Alpes versus*. et Hirtius de bell. Afric. c. 8. *Ad Cercinam insulam versus*. Et Liuius lib. 1. c. 18. *Ad meridiem versus*.

Postridie eius diei] VIII.Kal. Iun. Sic *postridie eius absolutionis* dixit Coelius lib. 8. epist. 2. *postridie eius diei*, Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 23.

Hora decima noctis] Ne quis miretur, cum hic dies VIII. Kal. Iun. significetur, decimam noctis horam significari. nam, etsi mensis Maii extremi noctes non modo ad decem, sed nec ad nouem horas in Italia producuntur, tamen apud veteres in more fuit, vt aestiuae noctes pariter et hibernae, itemque dies semper in duodenas horas distribuerentur, hoc modo, vt aestiuarum noctium contractiores horae essent, dierum vero longiores; hibernarum noctium longiores, dierum breuiores. ita fit, vt extremo mense Maio, cum longissimi dies, breuissimae autem essent noctes, in duodenas tamen horas tam nox quam dies diuideretur, sed nox in breuiores, dies autem in longiores. qua ratione hora noctis decima, erit, vt hodie noctem diuidimus, hora noctis septima cum octauae fortasse dimidio. Vide, quae diximus lib. 7. epist. 30.

Cilone] Cognomen est non modo Magiorum, sed etiam Flaminiorum, vt veteres nummi declarant. *Cilones* dicti, vt ait Festus, ab eminentiore fronte; vel, vt Carisius, a capite oblongo et compresso.

Pugione] Breuior est quam gladius, auctore Nonio. Suetonius in Caligula c. 49. *In secretis eius reperti sunt duo libelli, diuerso titulo: alteri* GLADIVS, *alteri* PVGIO *index erat.*

Secundum aurem] Post aurem. exemplis abundamus.

Se ipsum interfecisse] Quod eum commissi facinoris poeniteret. caussam necis Cicero ignorat lib. 13. ad Attic. epist. 10. Valerius hanc ponit lib. 9. c. 11. quod, cum esset Marcello Magius vetere coniunctus amicitia, eique in Pompeiana militia comes fuisset, indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo praeferri.

Medicos cogerem] In aliquot antiquis libris non est, *cogerem*: ego, cum in quinque esse videam, approbante sententia, retinendum putaui.

Puer] Seruus. sic enim loquebantur, vt exempla declarant.

Acidini] Manliorum cognomen fuit *Acidinus*. constat ex lib. 2. de Orat. c. 64. ex Velleio lib. 2. c. 8. ex lapidibus Capitolinis, in quibus consul est *L. Manlius Acidinus* anno DLXXIV.

Cum codicillis] *Codicilli*, tabellae ceratae erant, in quibus stilo pungebatur, a *codice*, id est, arboris libro, nominati. *pugillaria* quoque dicebantur, a pungendo, quod stilus in iis pungendo scriberet. codicillorum vsum ante Troiana bella fuisse, Homerus ostendit ιλ. ζ. v. 169.

Γεάψας ἐν πίνακι πυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

quo versu de codicillis locutum esse, ostendit Plinius his verbis lib. 13. c. 13. *Cur et Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epistolas, prodidit?* et lib. 33. c. 1. Modo autem ipsi codicilli mittebantur, vt haec ostendit epistola, et ad Leptam lib. 6. epist. 18. *Statim quaesiui e Balbo per codicillos.* Et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 11. *Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui.* Modo non mittebantur, sed ex

ex iis litterae descriptae: vnde in lib. 9. epist. vlt. *Cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Codicillorum vsum, post inventam etiam chartam, festinatio retinuit, cum in omnibus locis, vt in conuiuio, in itinere, in naui, in senatu, charta, atramentum, calamus non semper in promptu essent, moram autem res non ferret.

Deterrimo ERN. *Taeterrimo*] *Taeter* et *clarus* opponuntur.

Pepercerant] Caesar enim ei reditum in patriam concesserat.

Dominus eorum] Seruis enim capitale erat, qui dominum non defendissent, vt ex Vlpiani verbis, Silanianum senatus consultum interpretantibus, L. 1. D. de SC. Silan. cognoscitur. Confirmat hoc historia. nam Tacitus lib. 14. Annal. c. 42. *Praefectum vrbis*, inquit, *Pedanium Secundum seruus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, siue amore exoleti infensus, et dominum aemulum non tolerans* ceterum, cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, vsque ad seditionem ventum est. Idem Tacitus paullo post c. 43. eam poenam in seruos vetere senatus consulto decretam, ostendit his verbis: *Consulari viro domi suae interfecto per insidias seruiles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamuis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familiae minitabatur.*

Lecticariis] Lecticarii fuere serui, vel qui lecticam gestabant: vnde ἐκτοφόριος *Anicianus* lib. 2. ad Q. Fr. epist. 10. vel qui fabricarentur, vt pro Amerino c. 46. *Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios.* Imperatorum tamen aetate, lecticarii non serui, sed liberti fuere: quod hic lapis Romae trans Tiberim, ad D. Caeciliae, declarat. DIS. M. TI. CLAVDIO. AVG. LIB. TIGRANO. EX. CORPORE. LECTICARIORVM. CAESARIS. VIX. ANNIS. LXXXV. M. LICINIVS. ATIMETVS. ET. SEXTIA. FELIX. BENEMERENTI. POSVERVNT. Hunc vt fabrum potius, quam qui lecticas ferret, fuisse putem, facit illud, EX CORPORE; quod videtur ad artifices pertinere. Vnde alibi:

CORPVS. LENVNCVLARIORVM. AVXILIARIORVM. OSTIENSIVM.
CORPVS. CVSTODIARIOR.
CORPVS. DENDROPHORORVM.
CORPVS. TIGNVARIORVM.

Intra vrbem] Quod Solonis lege vetitum Romani postea transtulerunt in duodecim tabulas. Cicero lib. 2. de Leg. c. 23. *Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neue vrito.* Pausanias quoque sepulcra multa extra vrbem posita, vrbanum nullum commemorat.

In quo vellemus gymnasio] Cum tria essent, vt ait Suidas, Λύκειον, Κυνόσαργες, Ἀκαδημία.

Gymnasio Academiae] In quo docuerat Plato. nomen accepit, Laertio teste, ab Academo heroe, vel, si Hesychio credimus, a lauacro prope posito. *Gymnasia* vero dicta, quod in iis luctarentur nudi: quam exercitationem *palaestram* vocarunt. multis enim annis inuenta esse gymnasia, ante quam

philosophi in iis garrire coeperunt, auctor est Cicero lib. 2. de Orat. c. 5. postea placuerunt ea loca philosophis, in quibus de quo vellent scientiae genere disputarent. Sed Academiam Plato, Lyceum nobilitauit Aristoteles. Vitruuius lib. 5. c. 11. exhedras etiam constitutas ait cum sedibus, vbi philosophi et rhetores disputare possent.

Collegio] Collegii caussa: quia consules vna fuerant.

Propinquitate] *Propinquitas* modo generale nomen est, id est, cognationis et affinitatis commune: modo cognationem proprie significat. Commune nomen est, vt lib. de Amicitia c. 5. *Ciues potiores quam peregrini; et propinqui, quam alieni.* Lib. 3. de Fin. c. 17. *Velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.* Pro Quintio c. 6. Si pietate propinquitas colitur: qui affinem prodit, impius sit, necesse est. Cognationem designat, vt lib. 2. epist. 13. *Liberis, propinquis, affinibus.* Et in orat. pro Plancio c. 11. *Cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus.* Et Caesar lib. 2. de bell. Gall. c. 4. *Propinquitatibus affinitatibusque coniuncti.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Primum caussas exponit, cur antea non scripserit: secundo loco finem ei pollicetur exsulii sui, ducta coniectura e Caesaris animo, ex eorum sermone et sensu, qui apud ipsum plurimum valent, ex vulgi voluntate, ex ipsa republica, vehementer ad eius salutem propensa: tum ad eam officii partem, quam vetus amicitia mutuaeque beneuolentiae iura postulant, conuersus, voluntatem suam duplici promisso ostendit, in reditu primum ei conficiendo, deinde in re sua familiari communicanda. Postremo, vt secundam fortunam speret, aduersam aequo animo ferat, et hortatur et obsecrat. Tota moralis epistola, scripta C. Caesare III. et M. Aemilio Lepido coss. anno DCCVII. De Nigidio ipso, quae legendo animaduertimus, haec sunt. Scripsit libros de Animalibus, vt ostendit Macrobius lib. 2. Saturn. c. 12. et Plinius bis lib. 29. c. 4. et 6. eius vtitur testimonio: librum de Extis, vt in Gellio lib. 16. c. 6. legimus: commentarios Grammaticos, vt idem Gellius lib. 19. c. 14. et Nonius prodidere. interpretatus est comoedias Terentii, teste Donato. videtur etiam scripsisse de Deis, quantum ex Arnobio licet coniicere: qui eius testimonio in mentione Matris deum, Neptuni, Apollinis, et Iouis vtitur lib. 3. Haec de scriptis: de doctrina subiungam. Gellius Varronem et Nigidium doctrinarum culmina *lib. 19. c. 14. appellat; et idem lib. 13. c. 24.* in disciplinis doctrinarum omnium praecellentem *nominat; et lib. 4. c. 9.* hominem iuxta M. Varronem doctissimum: *Macrobius autem* maximum rerum naturalium indagatorem *lib. 2. c. 12. idem lib. 6. c. 8.* hominem omnium bonarum artium disciplinis egregium. *Seruius quoque Honoratus haec de eo tradidit:* Nigidius Figulus

lus solus post Varronem: licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus litteris: nam vterque vtrumque scripserunt. *Nonius quoque*, Nigidius, *inquit*, studiis bonarum artium praeclarissimus. *Nemo tamen illum melioribus extulit laudibus, quam Cicero ipse, idem eius amicissimus. nam in prooemio libri de Vniuersitate*, fuit, *inquit*, vir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer inuestigator, et diligens earum rerum, quae a natura inuolutae videntur. Denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, cum aliquot saecula in Italia, Siciliaque viguisset; hunc exstitisse, qui illam renouaret. *Suetonius in Aug. c. 94. ait illum, cognita hora, qua natus erat Augustus*, affirmasse, dominum terrarum orbi natum.

EXPLANATIO.

Non modo certa res nulla ERN. *vlla*] Aliis *nulla*, mihi *vlla* placet. sequor enim et meos veteres nouem libros, et sententiam ipsam, atque etiam consuetudinem Latinae linguae. *Non modo certa res vlla*, dixit pro, *nedum certa res vlla:* vt ad Lentulum lib. 1. epist. 9. *Non modo praemiis, sed ne periculis quidem compulsus vllis, ad eorum causam me adiungerem.* Quo loco plura huius generis exempla collegimus. Tantum, inquit, abest, vt mihi certa res vlla, vt ne genus litterarum vsitatum venerit in mentem.

Vnam partem] Genus litterarum familiare et iocosum, lib. 2. epist. 4.

Aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui] Eandem sententiam repetiuit lib. 6. epist. 10. et 13.

Pari fortuna] Vterque enim, Pompeii partes secutus, Caesarem offenderat. Atque hoc ipso quaedam videtur esse consolatio: leuat enim dolorem fortunae societas.

Casus meos sustentabam] Exciderat statu illo, in quo cum industria sua perpetuaque in rempublicam merita collocarant: nunc sustentari se dicit aliorum opibus, id est, eorum auctoritate et gratia, quos, veteri sibi necessitudine coniunctos, plurimum ob victoriae societatem posse apud Caesarem intelligebat. hi porro erant potissimum, Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius. lib. 6. epist. 12. Eadem translatio est, *sustentare casus*, et *sustentare cadentem.*

Queri, quod ita viuerem] Eadem sententia lib. 6. epist. 3. *Ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est.* Et lib. 7. epist. 3. *Vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere.*

Priuatim] Publica enim Cicero concidit calamitate.

Eis conficior curis] Quas significauit in eo, *queri, quod ita viuerem*, ob exitium reipublicae.

Vt ipsum] Non modo in aliis rebus, sed in hoc ipso, quod maneam in vita: in quo peccare tamen mihi videor. cur enim, cum occideret respublica, ipse viuam? Quaerit diuus Augustinus in libro,

sane non contemnendo, quem tamen pauci legunt, de Grammatica, cur, cum *istud* et *illud* in genere neutro dicimus, non item dicamus *ipsud*, sed *ipsum*. Quaestionem soluit hoc modo: *antiqui enim magis* ipsus *dicebant in nominatiuo singulari, generis masculini, quam* ipse. *hanc antiquitatis rationem attendentes artis scriptores pronomen hoc ad formam nominis transtulerunt: vt, quo modo in nomine,* iustus, iusta, iustum, *dicimus, et* perfectus, perfecta, perfectum; *sic et hoc pronunciaretur pronomen,* ipsus, ipsa, ipsum, *non* ipsud, *quo modo* istud *et* illud.

Peccare me existimem] Lib. 16. epist. 1. *Peccasse mihi videor, qui a te discesserim.*

Mors] Perierant Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, alii praeterea multi, Ciceronis familiarissimi.

Fuga] Fugerant, post Africanum bellum, in Hispaniam ad Pompeii liberos multi. Potest et de M. Marcello accipi, qui se, victo in Pharsalia Pompeio, Mitylenas contulerat: atque etiam de ipso Nigidio, deque aliis, qui desperata victoria exsulare maluerant, quam belli ciuilis extrema persequi: ad quos extant in his libris consolatoriae Ciceronis epistolae.

Amicis] Licet non familiarissimis.

Quondam] Ipso consule, cum patefacta et oppressa Catilinae coniuratio est.

Te socio] Tribus caussis Nigidium diligit, ob studium in rempublicam, ob doctrinam, ob eius in se merita, quae memorat in epistolae clausula: idque Plutarchus in Ciceronis vita comprobat his verbis: Ὁμοίως Πόπλιος Νιγίδιος, ᾧ τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις. Idemque in opusculo, Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, sic ait: Κικέρων δὲ αὐτὸς ὁμολογεῖ, τὰ κάλλιστα, καὶ μέγιστα τῶν συμβουλευμάτων, οἷς ὀρθῶς ἐυυπατεύων τὴν πατρίδα διέσωσε, μετὰ Ποπλίου Νιγιδίου τοῦ φιλοσόφου συνθεῖναι.

Respublica] Quae ciues omnes, sui studiosos, beneuolentia coniungit, licet non omnes familiaritate.

Naufragiis] Fortunarum. subiunxit enim, *eorum fortunas dissipari.* sic ad Lentulum lib. 1. epist. 9. *rei familiaris naufragia.* pro Rabirio perd. reo c. 9. *naufragium fortunarum.*

Quo nihil est acerbius] Sic ad Torquatum lib. 6. epist. 1. *Oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.* Et ad eundem epist. 4. *In malis omnibus acerbius est videre, quam audire.*

Eorum fortunas dissipari] *Naufragia,* dixit proxime.

Illud incendium] Catilinae coniurationem: qua, tamquam aliquo incendio, nisi nos opem tulissemus, respublica deflagrasset.

Vis] Cum, in summa Caesaris humanitate, frui tamen vetere gratia, auctoritate, gloria non liceat. Notanda Ciceronis prudentia, qui, cum euersam rempublicam queratur, Caesarem culpa liberat. quo etiam vtitur artificio epist. 4. *Nec id,* inquit, *victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae ciuilibus bellis semper est insolens.* Et epist. 9. *Multa victoris eorum arbitrio, per quos vicit, etiam*

iam inuito, facienda sunt. Et lib. 6. epist. 10. *iniuriam temporum*, non Caesaris appellat.

In rebus omnibus] Quas agere, cum florerem gratia, auctoritate, gloria, consueueram.

Vt quidem videor] Ideo ceteris videor displicere, quia careo rebus iis omnibus, quibus, etc.

Sontibus] Nam et nocentibus opem interdum tulit eius eloquentia.

Quid sit forti et sapienti homine dignum] In laude latet admonitio.

In iis autem] In communibus: quod quidem consolationis genus quoddam est: nam propriae magis angunt. propria vero Nigidii miseria erat, carere patria suorumque conspectu: de quo dixit Cicero, *in quibus es hoc tempore.*

Fortasse semper fore] Vere vaticinatur. numquam enim postea libertatem respublica recuperauit.

Qui plurimum potest] Caesar, quem significauit iisdem verbis lib. 6. epist. 10. aliter autem epist. 7. huius libri, *penes quem est potestas:* et aliter quoque epist. 8. 9.

Non scribo hoc temere] Sic lib. 2. epist. 7.

Quibus est iratior] Propter bellum in Africa renouatum. lib. 6. epist. 13. *Africanae causae iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos.*

Respondere tristius] Veniam precantibus negare.

Possit necesse est] Non enim iacere perpetuo potest: et omnino vires aliquas recuperabit. lib. 6. epist. 10.

Qui me admodum diligunt] Idem scripsit ad Caecinam lib. 6. epist. 6. ad Balbum epist. 12. eiusdem libri, ad Ligarium epist. 14. ibid. ad Gallum lib. 7. epist. 24. ad Paetum lib. 9. epist. 20.

Meus pudor] Et hic superbiae culpam remouet a Caesare.

Insinuabo] Pro *insinuabor:* arte quadam aditum mihi aperiam ad intimam eius familiaritatem. Lib. 3. in Ver. c. 68. *Videtis, vt moneat Apronium? quibus rebus ac muneribus insinuet in familiaritatem Metelli?* quem locum esse depravatum nonnulli, fortasse hoc loquendi genere offensi, existimarunt. Lib. 1. de Orat. c. 20. *Quod ita nati essemus, vt et blandiri, et supplicitur insinuare iis, a quibus esset petendum, et aduersarios minaciter terrere possemus.* Et Liuius lib. 40. c. 37. *Fraudis humanae insinuauerat suspicio animis.* Quae si quis omnia mendosa putat, Virgilium ita canentem audiat lib. 2. Aen. v. 228.

Tum vero tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor. —

Quo loco, *insinuat*, pro *insinuatur*, ait Seruius.

Peruenire posse] *Me* subauditur.

Tuis] Fortunis.

Vt te orem ERN. *horter et obsecrem*] Nihil muto. sic enim in octo vetustissimis exemplaribus inveni. aliorum tamen lectionem non improbo: etsi eam in libris scriptis ipse quidem nondum inueni.

Accepisti] Cum eorum scripta legeres.

Tristissimo meo tempore] Cum eiectus a Clodio exsularem.

EPISTO-

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Victo in Pharsalia Pompeio, Cicero, desperata reipublicae caussa, in Italiam reuertit; veniaque a Caesare impetrata, non illa quidem pristinam dignitatem ac libertatem loquendi recuperauit, sed humanissime tamen ac liberalissime cum ab ipso Caesare, tum vero ab eius maxime amicis ac familiaribus tractatus est. eo tempore, dimissa Terentia, Publiliam virginem vxorem duxit. vtrumque igitur binis litteris gratulatus erat Plancius, de dignitate recuperata, deque nouis nuptiis. iis litteris Cicero respondens, nullam sibi pristinae dignitatis relictam esse partem ostendit, eoque redactam esse rempublicam, vt vel seruitus impendeat, si Caesar in Africa Pompeianos vincat, vel caedes, si vincatur. De nuptiis autem, quod absente se rem domesticam Terentia male curasset, sibique a suis insidiae tenderentur, ideo se cogitasse ait, vt nouae necessitudinis fidelitatem quasi praesidium haberet contra veterum perfidiam. Tertio loco, vt exsulantem consoletur, nihil ei praeter communem fortunam timendum confirmat: se quidem opera, consilio, studio, eius rei, famae, saluti praesto futurum. Postulat in extremo, vt de suo statu suisque consiliis diligentissime significet. Moralis epistola, scripta Caesare III. M. Lepido coss. cum in Africa bellum gereretur.

EXPLANATIO.

Obtinere] Cum in vrbem post Pharsalicam pugnam reuertisset.

Euenire] De Publiliae matrimonio, quam sexagenarius virginem duxit, dimissa Terentia, quia rem domesticam, ipso absente, negligenter administrauerat; praeter alias caussas, quae commemorantur a Plutarcho. Quinctilianus lib. 6. c. 3. cum Cicero obiurgaretur, quod virginem iam senex duxisset, respondisse ait, *eras mulier erit.* Hoc et Q. Fufius Calenus ei, vt Dio lib. 46. narrat, in oratione sua obiecit. Sed et hanc, quia Tulliae morte laetari videretur, ab eo dimissam, iidem Plutarchus et Dio prodiderunt. Publiliae nomen fuisse, ex epistolis ad Attic. accepimus.

Regere] Ne tantis oppressi malis concidamus. apta translatio, ob ea quae sequuntur.

Adsunt] Quae nunc sustinemus.

Impendent] Quae vitari non videntur posse. sic ad Varronem lib. 9. epist. 1. *Et ea, quae premant, et ea, quae impendeant.*

Bello] Africano: quod Scipio Pompeii socer, et M. Cato, freti Iubae regis auxiliis, renouauerant.

Caedem] Caedem a Pompeianis timet, a Caesare seruitutem. epist. 9. *An tu non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset futura victoria?* lib. 8. epist. 17. *Quodsi timor vestrae crudelitatis non esset, eiecti iampridem hinc essemus.* lib. 9. epist. 6. *Si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent.*

Lib. II. ad Attic. epist. 6. et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 3.

Secundas etiam res nostras] Lib. 5. epist. 21. *Est res iam in eum locum adducta, vt quamquam multum interfit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem.* lib. 9. epist. 6. *Extremum malorum omnium esse ciuilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus.*

De iure publico] Vter regnaret, Caesar an Pompeius.

Disceptaretur armis] Sic locutus epist. 4.

Pacis spe] Vt agerem de reconciliatione Caesaris et Pompeii.

Cupidorum] Epist. 1. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias.* lib. 9. epist. 6. *Vidi nostros amicos cupere bellum.* lib. 16. epist. 11. *Incidi in ipsam flammam ciuilis discordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, et, vt arbitror, possem; cupiditates certorum hominum impedimento mihi fuerunt omnino.* et lib. 8. ad Attic. epist. 11. ad Pompeium: *Ego me in hac omni causa facile intelligegam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere.* Et in eadem in extremo: *ego conditionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt.*

Insolentium] Notam insolentiae Pompeianis inurit et in orat. pro Marcello c. 6. *Quoties*, inquit, *ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem?*

Crudelis] Dictum est proxime de crudelitate Pompeianorum.

Amplissimorum] Hoc refertur ad honores et dignitatem: nam et consules, et consulares, et magistratus fere omnes Pompeii in castris fuere.

Malebant] Significat maxime L. Domitium, Scipionem, Metellum, L. Lentulum consulem, et alios pugnandi cupidos. lib. 9. epist. 6. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 4.

De eo, quod egerim] De Publiliae nuptiis.

Tam misero tempore] Cum, victis in Pharsalia Pompeii partibus, in vrbem rediit.

Res domesticas] Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipso absente, male tractasset, aerisque plurimum alieni contraxisset: quod vt dissolueret, virginem Publiliam, admodum diuitem, in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis, vxorem sibi duxit.

Mea salus et meae fortunae] In fortunis vxorem accusat; in salute Quintum fratrem, fratrisque filium: qui vehementer illum, pot. Pharsalicam pugnam, apud Caesarem oppugnarunt, cum se dicerent auctore Marco aduersus illum arma cepisse. lib. 11. ad Attic. epist. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21.

Scelus] Et hoc in fratrem potius fratrisque filium, quam in vxorem, confertur. Scelus Quinti fratris nominat etiam lib. 11. ad Attic. epist. 21.

Nouarum] Ob nouas nuptias.

Veterum] Notat vxorem, fratrem, fratris filium.

Praecipue timendum] In epist. sequenti, *ne quo periculo te proprio existimares esse.*

Alteros]

Alteros] Caesarianos, quos oppugnasti.

Studio quidem certe] Si opera et consilio minus valebo, studio quidem certe non deero.

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Hortatur, vt communem fortunam fortiter ferat: petit, vt veterem beneuolentiam conseruet: et, quod petit, idem de se ipso pollicetur. Moralis. eodem anno.

EXPLANATIO.

Communes miserias] Ex interitu reipublicae.

Tamen etsi] Pro *tametsi*. illud enim productum, hoc vero contractum. sic locutus lib. 5. ad Attic. epist. 17. *Nos, tamen etsi hoc te ex aliis audire malo, sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, vt nullus teruncius insumatur in quemquam.* Q. Cicero de petitione consulatus c. 14. *Quae tamen etsi ita scripta sunt.* lib. 3. de Orat. c. 42. ex vetere poeta:

At Romanus homo, tamen etsi
res bene gesta est,
Corde suo trepidat.

Catullus carm. 67. v. 135.

Quae tamen etsi vno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus herae.

Terentius quoque in Andr. Act. 5. Sc. 2. v. 23. *Tamen etsi hoc verum est.* et apud Vlpianum L. 5. D. quod falso tutore auctore gestum esse dicatur: *Interdum tamen etsi scientia noceat, tamen restitutio facienda erit.* Carisius quoque, diligens Latini sermonis obseruator, *tamen etsi*, inquit, *nulla possit esse regula certior.*

Ne quo periculo te proprio existimares esse] In proxima dixit, *ne quid tibi praecipue timendum putes.*

Omnes] Qui Pompeium secuti sumus.

In communi] Communia vero mala feruntur leuius, quam propria.

Eo animo simus inter nos] Sic amemus inter nos, vt antea.

Praestare] Re ipsa efficere.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM V.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Queritur Metellus Celer, qui praetor anno superiore fuerat Cicerone consule, et in Galliam ex praetura proconsul iuerat, Metellum Nepotem, fratrem suum, a Cicerone in senatu oppugnatum. Moralis est epistola, D. Iunio Silano M. Licinio Murena coss.

EXPLANATIO.

Q *Metellus*] Qui biennio post cum L. Afranio consulatum egregie gessit, vt ex epistolis ad Attic. liquet. in oratione etiam pro Coelio c. 14. *Simulac pedem limine extulerat, omnes prope ciues virtute, gloria, dignitate superabat.* Exstinctum veneno uxoris Clodiae scelere, quae P. Clodii soror erat, infra c. 24. eadem oratio significat. de hoc in Bruto c. 70. sic: *Duo Metelli, Celer et Nepos, nihil in causis versati, nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assecuti.*

Celer] Cognomen hoc gens Metellorum accepit, vt Plutarchus in Coriolano docet, ab eo, qui gladiatorium munus patri mortuo celerrime dedit.

Procos.] Proconsul Metellus post praeturam citeriori Galliae praefuit, Silano et Murena coss. cum praetor ob Catilinae motus, a Cicerone consule in Picenum, agrumque Gallicum, qui a Piceno ad Rubiconem pertinebat, missus esset. erat autem hic ager Gallicus non Galliae citerioris, quam postea Metellus rexit, sed Italiae pars, disiunctus a Gallia Rubicone flumine; Gallicus autem appellatus, quia Senones eum possederant. Nec vero mirum videatur, proconsulis nomine prouinciam rexisse, qui consulatum non gesserat. id enim vsitatum fuisse, supra docuimus. Plinius quoque

quoque lib. 2. c. 67. *proconsulem* appellat. *Nepos*, inquit, *tradit, Q. Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Sueuorum dono datos.*

Reconciliata] Ostendit, simultatem inter se et Ciceronem aliquando fuisse: Cicero negat, vel vere, vel dissimulanter.

Metellum] Nepotem.

Fratrem] Germanum: vt pater vtrique fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici nepos. nam hunc Nepotem, Ciceronis inimicum, filium eius Nepotis fuisse, qui cum T. Didio consul fuit anno DCLV. Pedianus ostendit in commentario Cornelianae. Hic oritur quaestio: si fratres germani, cur vtrique praenomen idem? Respondetur; quia Celer, cui etsi fortasse Lucio praenomen esset, tamen adoptatus a Q. Metello Celere, eo qui nominatur in lib. de clar. orat. c. 89. omisso vetere praenomine, Quintus appellatus est, et cum praenomine Celeris etiam cognomen accepit, ex adoptionum consuetudine. opinor autem, post hanc adoptionem natum esse fratrem eius, qui nominatur in hac epistola, quem pater suo praenomine appellari voluit. id ex eo possum suspicari, quia Celer consulatum prior gessit: ex quo patet, natu maiorem fuisse. Rursus obiiciat aliquis, credibile non esse, vt pater vnicum filium adoptandum concesserit. sed licet opinari, cum hic Metellus a Q. Metello Celere est adoptatus, alterum ei fuisse maiorem natu fratrem, qui appellaretur Quintus: quod verisimile est: quia filius primo loco natus praenomen patris assumebat. quo, post adoptionem minoris fratris, mortuo, tertius postea natus patris praenomine Quintus dictus sit. Fratres autem germani potius, quam patrueles videntur fuisse: quia, si patrueles, vnde vtrique praenomen Quinto? an a patribus? at ita credi necesse esset, duos Metelli Balearici filios, quem huius Nepotis auum fuisse ostendimus, eodem praenomine vsos esse: quod verisimile parum videtur. germani igitur potius. idque etiam Cicero significat epist. 2. in eo loco: *meus me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet.* Quae verba maiorem, quam inter patrueles, amorem videntur ostendere.

Ob dictum] Vide, quae Cicero respondeat.

Familiae nostrae dignitas] Cum intra duodecim ferme annos, vt ait Velleius lib. 2. c. 11. consules Metelli fuissent, aut censores, aut triumpharint amplius duodecim, vnde illud Naeuii apud Pedianum: *Fato Metelli Romae fiunt consules.* Originem ducebant Celer et Nepos ab eo L. Metello, qui primo Punico bello triumphauit, hoc modo: Celeris et Nepotis pater is fuit Q. Metellus Nepos, qui cum T. Didio consul fuit, A. 655 auus Q. Metellus Balearicus, consul A. 630. proauus Q. Metellus Macedonicus, consul A. 610. abauus Q. Metellus, consul A. 547. atauus L. Metellus, qui de Poenis triumphauit, consul A. 502. Haec ex historiae obseruatione. in qua Plinii ἀνισοφημίαν deprehendimus, qui Macedonici patrem putat L. Metellum, Punico triumpho clarum: cum auum fuisse, non patrem, satis constet. Metellus autem Caluus, Macedonici frater,

ter, qui cum Fabio Seruiliano consul fuit A. 611. genuit Metellum Caluum, qui consulatum gessit cum L. Cotta, A. 634. hic Q. Metellum Numidicum: Numidicus Q. Metellum Pium: Pius adoptauit P. Scipionem, qui Pompeii Magni socer fuit.

Prouinciae] Citeriori Galliae.

Bellum gero] Cum Salassis, et inalpinis gentibus, quae nondum populo Romano parebant, et cum iisdem pugnasse D. Brutum, cognoscitur ex lib. 11. epist. 4.

Poenitebit] Nimis arroganter. itaque respondit Cicero: *tibi, paene minitanti nobis per litteras, hoc rescribo atque respondeo.*

Te tam] Suspicor esse coniecturam: nam in omnibus antiquis libris video plane scriptum esse, *etiam.*

Non sperabam] In rebus, quas minime volumus, vsurpatur non numquam hoc verbum, vt Virgilius lib. 4. Aen. v. 420.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Respondet ad Metelli querelam de Nepote fratre eius oppugnato, ac primum sua in eum officia commemorat, vt se amicitiae satisfeciss ostendat: deinde his officiis non mutuo Metellum respondisse significat: nec vero a se fratrem eius Nepotem oppugnatum, sed oppugnanti se restitisse. Postremo excusat, atque etiam laudat eius dolorem, suamque in tuenda amicitia constantiam pollicetur.

EXPLANATIO.

Conseruatam] In consulatu, anno superiore, oppressa coniuratione Catilinae.

Propinquos tuos] In primis Metellum Nepotem, Celeris fratrem, Ciceronis inimicum, vt infra patet.

Domesticis] Quas maxime Lentulus et Cethegus, egresso iam Catilina, in vrbe comparabant.

Armatis hostibus] Catilina et Manlio. Sallustius, Ciceronis orationes, alii.

Occulta] Ne qua per Italiam, cum aliquo reipublicae damno, erumperet coniuratio.

Tanti et tam praeclari muneris] Modus amplificandi. coniungitur enim cum magnitudine laus: cum interdum possit esse alterum sine altero. sic pro lege Manilia c. 15. *De quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia fecistis?* Pro Milone c. 31. *In hoc tanto naturae tam praeclaro motu.* In Antonium orat. 5. c. 13. *Habeat huius tanti facti, tamque praeclari decreto vestro testimonium sempiternum.* In eundem 6. c. 1 *Hoc vestro iudicio tanto, tamque praeclaro, excitatus.* In eundem 7. c. 8. *Hunc tantum tuum apparatum, tamque praeclarum.* Et lib. 3. de Leg. c. 19. *Quis non studiose reipublicae subuenerit, hac tam praeclara legis voce laudatus?* Eiusdem generis illud lib. 4. in Ver. c. 21. *Incredibile est, quam multa, et quam praeclara fuerint.* Et pro Milone c. 14. *Quem si interficere*

voluisset, quantae, quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Iam non vereor, cum haec tam multa ex ipso Cicerone loca recitauerim, ne mihi posthac petulans et insulsa Grammaticorum turba litem intendat, quod aliquando scripserim, *tanti ac tam praeclari muneris initium vnde sumi aptius potuit* abundare enim *tam* arbitrabantur, quoniam *prae*, in compositione augeret: ignari, quam libera interdum, soluta artis Grammaticae vinculis, excurreret Latina lingua: quod et nos per otium nonnumquam conferentes intelleximus; et intelliget, quicumque conferendi curam susceperit. Nec vero deerant alia eiusdem Ciceronis exempla, vt in Verrem bis praeterea in eodem libro, in Rullum, in Catilinam, pro Flacco, orat. 5. in Antonium, et in lib. de clar. orat.

A tuis propinquis] Iterum *propinquos* nominat: quod est, iterum Metello inconstantiam obiicere, quem a grati animi significatione propinquorum iniquitas abduxerit.

Honorificentissimis] Quid enim honorificentius, quam Italiam tibi ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defendendam tradere?

Aperte confitebar] Cum ambitionis confessio risum moueret.

Par voluntas] Aculeus in Metellum: quasi rebus amplissimis atque honorificentissimis a Cicerone ornatus, parem voluntatem non reddiderit.

Prouinciam] Cum ex consulatu in Galliam ire posset, maluit in vrbe remanere. quod ipsum lib. 15. epist. 4. scripsit ad Catonem his verbis: *Prouinciam ornatam, et spem non dubiam triumphi neglexi.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 1. ait se, cum prouinciam in concione deposuit, orationem habuisse. In oratione autem in Pisonem c. 2. *Ego prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio commutaui, quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano.* Et Phil. 11. c. 10. *Imitare me, quem tu semper laudasti: qui instructam ornatamque a senatu prouinciam deposui, vt incendium patriae, omissa omni cogitatione, restinguerem.* Atque hanc ipsam Galliam a Metello administratam, Plinii iam testimonio probauimus, et Sallustius etiam bell. Cat. c. 42. ac Dio lib. 37. ostendit.

Sortitione] Vel sortiebantur prouincias inter se, vel comparabant, id est, pactione, quam quisque vellet, capiebant. lib. 1. epist. 9.

Vestra] Inter te et collegas tuos facta.

Collegam meum] C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu. Opinor, cum Galliam Antonio Cicero tradidisset, id quod ex oratione in Pisonem demonstrauimus, et Sallustius bell. Cat. c. 26. narrat, eum dedisse operam, vt omnino Metellus Galliam sortiretur, arte fortasse aliqua ad curandum sortis euentum adhibita: cum ipsi gratior esset Macedoniae administratio, quam hoc anno suscepit: vt ex lib. 1. ad Attic. epist. 12. intelligitur.

Facta sortitione] In qua tibi obuenerat Gallia.

Collegas tuos] Praetores. nam in magistratu prouincias sortiebantur.

Ea

Ea praescriptione est] Quid hac praescriptione significetur, communis intelligentia fortasse non assequitur: quod exponere conabimur. Duplex erat in senatus consulto praescriptio, necessitatis vna, honoris altera: necessitatis, quod infirmum erat senatus consultum, cum in decernendo certus ac lege definitus senatorum numerus non affuisset: itaque singulis senatus consultis, vt valerent, praescribebatur, quot senatores affuissent. de quo Festi verba recitabo: *Numera senatum, ait quinis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat senatus consultum, postulatque, vt aut res, quae afferuntur, diuidantur, aut singuli consulantur; aut, si tot non sint senatores, quo numero liceat praescribi senatus consultum.* Tulit etiam legem C. Cornelius tribunus plebis, quem Cicero defendit, non ille quidem de omnibus senatus consultis, sed de iis, quibus aliquem solui legibus placeret, vt ita rata essent, si ducenti senatores affuissent. Quod Festi locus, etsi non plane, tamen quodam modo confirmat. Altera, quae auctoritatem senatus consulto adderet, praescriptio erat, cum nobilissimi senatores scribendo aderant. qui certus numerus non erat, sed pro eius dignitate et gratia, cuius de honore in senatus consulto ageretur. quo de genere praescriptionis hic puto significari: et illud infra, *obscurum esse non possit*, sic interpretor, ob eorum claritatem, qui scribendo affuerunt. Et in eo senatus consulto, quod Coelius Ciceroni misit, lib. 8. epist. 8. legendum opinor, *senatus consultum, quod tibi misi, factum est, auctoritatesque praescriptae*: non *perscriptae*. nam senatorum nomina qui affuissent scribendo, *senatus consulti auctoritates* dicebantur, et ante senatus consultum scribebantur. de quo etiam more loquitur lib. 15. epist. 6. cum inquit: *Haec senatus consulta, non ignoro, ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere.* non quod ii scriberent, se quod scribendo adessent, et fortasse etiam dictarent. Sic in Agraria 2. c. 9. *Collegas suos, adscriptores legis agrariae non repudiabit, a quibus ei locus primus inuidiae in praescriptione concessus est.* Et lib. 3. de Orat. c. 2. legitur in antiquo Borromei libro, *in auctoritatibus praescriptis exstat*, vbi est in peruulgatis, *perscriptis*.

Profectus es] Post sortitionem profectus est Metellus praetor non in Galliam, quam post praeturam administrandam sortitus erat, sed in Picenum, in quo permansisse vsque ad illud tempus, cum Catilina victus est, e Sallustio bell. Cat. c. 30. cognoscitur. Catilina superato, Galliam prouinciam accepit.

Proxime] Post necem Catilinae videtur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam reuertisse.

Parare] Nam extremo anno consulatus Ciceronis, id est, IV. idus Decembris, vt mos erat, magistratum initurus erat Metellus Nepos, tribunus plebis designatus.

Claudia] Impudica mulicre, P. Clodii sorore, de qua in orat. pro Coelio c. 25. et lib. 2. ad Attic. epist. 1. Plutarchus in Cicerone *Quadrantiam* vocatam scribit, a quadrantibus in eius loculos ab amatore coniectis.

Vxore tua] Quomodo vxor fuerit Celeris, cum eius fratrem P. Clodium, fratrem patruelem Celeris nominet Cicero in oratione pro Coelio? an eadem et soror et coniux? sic opinor: vt Clodius et Clodia filii fuerint Caeciliae, sororis eius Metelli, qui Celerem et Nepotem genuit.

Vestra sorore Mucia] Vxore Cn. Pompeii, vt ex Pediano, Plutarcho, Dione, lib. 1. ad Attic. epist. 12. planum fit. soror autem fuit auorum Metellorum, Celeris et Nepotis, vel quod eius mater, patris soror esset; vel quod Celeris et Metelli mater, Muciae gentis, id est, soror esset patris huius Muciae. Sic enim feminae sorores dicuntur, licet germanae non sint, vt mares saepe fratres appellantur, cum sint patrueles, aut consobrini. Potuit etiam soror esse vterina Celeris et Nepotis, hoc modo, vt eorum mater, viro mortuo, Q. Metello Nepote, nupserit Q. Scaeuolae, ex quo postea Muciam hanc peperit. eam et Dio lib. 87. sororem vocat Metelli Celeris. cum hac postea, stupratam a C. Caesare suspicatus, post duos susceptos filios, diuortium Pompeius fecit. lib. 1. ad Attic. epist. 12. Pedianus, Suetonius in Iulio c. 50. Plutarchus, Dio.

Deterrerent] Remouerent, non minis aut iniecto metu, sed rationibus et precibus. interdum enim *deterrere* et *cohortari*, vt contraria opponuntur. lib. 1. de Orat. c. 61. *Illud fuit horribile, quod mehercule vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum.* Exempla non desunt.

Quod te audisse certo scio ERN. *credo*] Patet sententia: nec discrepant mei veteres libri, quibus in omnibus plane legitur, *credo*. At in vno Mediceo libro est *certo*, non *credo*. ex quo aliis orta de mendo coniectura. mihi verisimile non fit, reliquos omnes libros ab vno illo esse descriptos: cum et ab illo et saepe inter se dissentiant. nec vero librum vllum tam antiquum esse arbitror, qui omni prorsus vacet mendo: quippe cum ne illa quidem interdum, quae a nobis cogitata ipsi nostra manu scribimus, emendata satis esse videamus.

In aliquo magistratu] Ne minimo quidem. sic in meis antiquis libris. nec sane video, cur quidquam mutetur. aut si mutandum, placeret, *minimo magistratu:* vt legebat Vbaldinus Bandinellus: cum sit in Mediceo libro, *in animo magistratu.* sic opponerentur *consul* et *minimo magistratu.*

Pridie Kal. Ian.] Vltimo consulatus die.

Concionis habendae] De rebus in consulatu actis: vt more comparatum erat.

Priuauit] Pro potestate tribunicia.

Vt iurarem] Consules, commemoratis rebus in consulatu gestis, iurare soliti sunt, omnia se consilia atque facta ad reipublicae dignitatem commodumque retulisse, quod Ciceroni Metellus permisit: reliqua commemorare vetuit.

Verissimum pulcherrimumque iusiurandum] Hoc, rempublicam a se vno conseruatam. de quo sic in orat. pro domo c. 35. *Ego reipublicae semper interesse putaui, me illius pulcherrimi facti, quod ex*

ex auctoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriae, gessissem, splendorem verbis dignitatemque retinere: praesertim cum mihi vni in hac republica, audiente populo Romano, opera mea hanc vrbem et hanc rempublicam esse saluam, iurato dicere fas fuisset. Et in Pisonem c. 3. *Ego cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram: cumque is mihi tantummodo, vt iurarem, permitteret: sine vlla dubitatione iurauī, rempublicam atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam.* Idem confirmat Dio lib. 37. Plutarchus autem, prohibitum Ciceronem a duobus tribunis, Metello, et Bestia, prodidit falso: nam Bestia non eodem anno cum Metello tribunatum gessit: Bestia Cicerone consule, quod Sallustius bell. Cat. c. 43. ostendit, Metellus anno sequenti. quod vel hic locus declarat. nam tribuni plebis magistratum inibant IV. idus Decembris. itaque non eum concione priuare potuit Bestia extremo consulatus die, id est, Kalendis Ianuarii, cum III. idus Dec. tribunatu abiisset: sed id a Metello factum, qui tribunatum, antequam Cicero consulatum absolvisset, inierat.

Populus] Confirmatum a populo Ciceronis iusiurandum, et oratio in Pisonem loco proxime recitato, et Plutarchus in Ciceronis vita demonstrat.

Indicta caussa] Significabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium, conscios et participes coniurationis Catilinae, indicta caussa, contra leges moremque maiorum, esse condemnatos. animaduertisse autem in eos Ciceronem dicit, quod eo iubente in carcere strangulati sunt: vt Sallustius, Plutarchus, Dio scriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conspectu suo iussisse, quod falsum est.

Hominem grauem] Cum ironia, vt Tusc. 2. c. 17. *Hominem exercitatum! vbi tantum luctus continuatur?* Phil. 13. c. 11. *Turpem vero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam!* Lib. 3. ad Q. Fr. epist. 4. *Lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse, aut infamiam sempiternam.*

Agere] In senatu.

Non iudicio, neque disceptatione] Eadem coniunxit lib. 4. de repub. *Iudiciis, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus.*

Impressione] *Impressionem facere*, quo loquendi genere Varro, Hirtius, Liuius vsi sunt, est cum impetu irruere.

Restitissem] Acerrime disputando. scripsit etiam contra Metelli concionem: vt est lib. 1. ad Attic. epist. 13. et in Gellio lib. 18. c. 7.

Casu] Sic lib. 1. ad Attic. epist. 20. *Reliqua sic a me aguntur et agentur, vt non committamus, vt ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur.* Et Phil. 6. c. 4. *Quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse?* Laus enim a consilio pendet, non a casu. itaque Cicero, cum ea commemorat, quae pro salute reipublicae in opprimenda Catilinae coniuratione gesserat, casum

a se reiicit, consilium assumit. *Ego committam*, inquit in orat. pro Sulla c. 30. *vt ea, quae pro salute omnium gessi, casu magis et felicitate a me, quam virtute et consilio gesta esse videantur?* Et orat. 3. in Catilin. c. 12. *Ita me in republica tractabo, vt meminerim semper quae gesserim, curemque, vt ea virtute, non casu, gesta esse videantur.* Ad Curium quoque lib. 7. epist. 28. consilio casum quasi opponit, et ex casu felicitatem deducit. *Sapienter haec*, ait, *reliquisti. si consilio: felicitet, si casu.* Propterea dixit etiam in orat. pro Sulla: *casu magis et felicitate:* quia possit ex casu felicitas nasci, nullo nostro merito.

Celatum] Vel peccauit Nepos, si te celauit: vel tu, si celatus non es, inique facis, qui me accuses, quem oppugnatum non ignoras.

Dissolutio] *Dissolutus* est, qui fert ea, quae non debet; aut indulget plus, quam oporteat. in epist. 7. ad M. Brutum a Germ. rep. et ed. *Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, neque crudele.* Et lib. 1. de Offic. c. 28. *Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.*

Sedens] Assensio enim paucis verbis absoluitur. stantes autem sententiam pluribus verbis dicebant.

Leniſſime] Cum alii grauissime sentirent: quibus non assensi.

Sentire] Cum ageretur in senatu de Nepote tribuno plebis puniendo, quia leges iniquissimas aduersus collegarum intercessionem ferret: cui Caesar praetor cum opem ferret, vtrumque decreto patrum administratione reipublicae summotum, Suetonius in Iulio c. 16. narrat. propterea scripserat Metellus Celer, *Metellum fratrem, ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri.*

Curare non debui] Quis enim curat, vt subleuetur inimicus?

Subleuaretur] Opinor alterum significari decretum, quo Metello et Caesari senatus ignouit, inducto priore decreto. Suetonius.

Desertus ab officiis tuis] Supra dixit: *Tu ipse velim iudices, satisne videatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proxime Romam veniſti, mutue respondisse.*

Aequum te iudicem dolori meo praebeas] Quod impulsus dolore ita cum fratre tuo de republica disputaui, vt sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum. sic locutus lib. 2. epist. 1.

Exercitus] Tres eum legiones habuisse, cum in Piceno praesideret, ait Sallustius bell. Cat. c. 57. nec fuisse pauciores, cum Galliam proconsul regeret, consentaneum est.

Vtendum] Placet. pro mea tamen consuetudine lectorem admoneo, in antiquis duodecim libris esse, *tuendum*, non, *vtendum*.

Quoad voles tu] Humanitatem ostendit, habita ratione grauitatis. nam inuitum amare dementiae est.

EPISTO-

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Libri veteres hanc epistolam Nepotis nomine inscribunt: quod si credimus; ex Hispania missam, cui post consulatum Nepos praefuit, simul credere necesse est. Scribit haec: a se fratrem suum, assidue Ciceroni obtrectantem, despici; Ciceronem autem, qui suam in eum beneuolentiam officiis declararet, fratris loco diligi: de prouinciae rationibus ad Lollium se litteras dedisse. Amoris conseruationem petit in extremo. Moralis epistola: quibus consulibus, incertum: cum Nepos Hispaniae triennium praefuerit; vt ex Pediano in commentario orationis pro Scauro colligitur.

EXPLANATIO.

Hominis importunissimi] P. Clodii, qui Nepotis frater appellatur et lib. 4. ad Attic epist. 3. fratres autem fuere, vel consobrini, vel quod Clodii mater, patris Nepotis soror fuerit.

Contumeliae] In Ciceronem.

Concionibus] Ita longis, itaque acerbis litteris, vt concionari videatur.

Onerat] Mihi molestus est.

Leniuntur] Earum acerbitate non moueor, quae minuitur ac tollitur officiis tuis.

Ab eiusmodi homine ERN. *Eiusmodi homines*] Sic mei veteres libri. vnus, *homin's*. vt sit, eiusmodi hominis quia leues contumeliae sunt, a me despiciuntur. ita opponentur, *onerat*, et, *leues*. sin *homines* legatur, potest esse eadem sententia, hoc modo: quia sunt leues eiusmodi homines, a me despiciuntur eorum contumeliae. potest etiam sic: despiciuntur a me, tamquam leues, eiusmodi homines. Mediceus liber. *ab eiusmodi homine*: sententia eadem, quae elicitur ex *eiusmodi hominis*.

Commutata persona] Translatio ab histrionibus, qui, commutata persona, diuersas agunt partes.

Inuitum] Nemo seruatur inuitus. sed qui palam peccat, nec poenae metu flagitiis abstinet, is cum impunitatem adipiscitur, seruari videtur inuitus. Clodii autem cunctis paene sceleribus inquinatam vitam quis ignorat.

Prouinciae] Dixi iam praefuisse Nepotem Hispaniae, dixi autem auctoribus Appiano lib. 2. de bell. ciu. Plutarcho in Caesare, Dione lib. 39.

Si poteris] Nolim te fratris iniuriae ita commoueant, vt propter ea de tua in me voluntate quidquam detrahatur.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Exsul opem implorat consulis Nepotis: seque non immemorem beneficii futurum confirmat. P. Lentulo Spinthere Q. Metello Nepote coss.

EXPLANATIO.

Collega] P. Lentulo consule, Ciceronis reditum enixe curante: vt ex epistolis et orationibus constat.

Mitissimam] Quae mihi, antea diffidenti, spem attulit auxilii tui. fortasse oratio illa significatur, quam habuit primo consulatus die, referente de reditu Ciceronis collega eius P. Lentulo. vide pro Sextio c. 33.

Sum conatus ERN. *Sum coactus*] Malo, *sum conatus*, vt est in quatuor antiquis libris: nam *coactus*, cum proxime dictum sit *inductus*, sententia non desiderat. *Conatus* autem significat, non inuitum Ciceronem scripsisse, inductum eius oratione mitissima.

Tuorum] Clodiorum, cum esset frater P. Clodii.

Tuas inimicitias] Fortasse quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphauit, acerbissimas gesserat. vide Pedianum in commentario Cornelianae.

Magistratum] Consulem P. Lentulum, qui cum primo consulatus die de reuocando Cicerone retulisset, confecta res non est, noctem sibi ad deliberandum postulante Sext. Atilio Serrano tribuno plebis, quem *Gauanium* appellat in oratione pro Sextio c. 34.

Reseruandorum ERN. *Conseruandorum*] Sic in vno tantum vetere libro: cui potius assentior, quam reliquis omnibus, in quibus est, *re seruandorum*. aut, *reseruandorum*, dixit, habita ratione temporis omissi: quasi iterum seruandorum, quos antea non seruaueris, cum posses.

Non erit] Exitium a P. Clodio impendere vniuersae reipublicae, dicit: siquidem plus possit vnus, quam consul, senatus, populus.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Omnia beneuoli animi signa in C. Antonium a se esse profecta, nullam ab illo relatam gratiam, ostendit: quod si gratum cognouerit se non esse ei defuturum. Commendat in extremo Atticum. Est autem hic Antonius, qui collega Ciceronis fuerat in consulatu, filius M. Antonii, summi oratoris, patruus M. Antonii, qui postea rempublicam oppressit. Macedoniam hoc tempore proconsul administrabat, Silano et Murena coss.

EXPLANATIO.

Imperatori] Fortasse rem militarem feliciter gesserat, cum haec epistola scripta est: postea vero male pugnauit. nam triennio post, Caesare et Bibulo coss. idem damnatus est, quod in Thracia et Mysia parum prospere rem gessisset. epitome Liuiana 103. Dio, Obsequens.

Nisi commendatitias] Non igitur hae sunt commendatitiae, licet Atticus commendetur. argumentum enim hoc videtur, vt ei Cicero,

Attico

Attico rogante, suum studium in accusationis, quae parabatur, periculo deferret: quam partem non ante aggressus est, quam ei, commemoratis officiis suis, ingrati animi vitium exprobrauit.

Ipsi Pomponio] Qui Ciceronis animum, nonnihil ab Antonio abalienatum, reconciliari cupiebat.

Officia desiderem] Infra subiunxit, *nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis.* Et in epistola sequenti: *eius in me officia omnes desiderant.*

A me in te profecta] Defenderat iam eum Cicero in senatu, cum de reuocando ex Macedonia ageretur: quod ex epistola sequenti cognoscitur.

Falso in me solere conferri] Cum dicas, comperisse te, me tibi amicum non fuisse: quod falso a te dicitur.

Delata] De querelis tuis. Libentius enim ad querelas Antonii refero, quam ad id, quod legitur lib. 1. ad Attic. epist. 12. de parte pecuniarum, quae contra leges ab Antonio in prouincia cogerentur, Ciceroni danda.

Constantia] Etsi non deberem, cum te non esse in me gratum audirem; feci tamen, ne inconstans in amicitia viderer. epist. 8. *Quae a me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuae: in ea iam ego, non solum amicitiae nostrae, sed etiam constantiae meae caussa, permanebo.*

Reliqua] Fore putabat, vt de repetundis accusaretur. quod ex lib. 1. ad Attic. epist. 12. satis constat. fit enim in ea mentio et de coactis ab Antonio pecuniis, et de praetore ad populum acturo. quamquam non nisi triennio post, Caesare et Bibulo coss. accusatus est, vt Suetonius et oratio pro domo c. 16. demonstrat. quo tempore, Cicerone defendente, damnatum esse, ex oratione pro Coelio c. 31. et ex Dione cognoscitur. damnatum autem de maiestate, accusante Coelio, et Dio et proxime nominata oratio videtur significare: de repetundis etiam ostendit locus ille lib. 1. ad Attic. epist. 12. *Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quaeri.* Quod altero confirmatur argumento, quia damnatum accusante Q. Maximo plane demonstrat oratio in Vatinium c. 11. vt de maiestate a Coelio, de repetundis a Maximo accusatus, ex vtroque crimine damnatus sit. nam et duos quaesitores, Q. Claudium et Cn. Lentulum, apud quos reus factus est, in eadem oratione video nominari.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Exponit suam diligentiam, in eo adhibitam, ne Sextio, qui cum C. Antonio proconsule quaestor in Macedoniam iuerat, succederetur. addit de domo a se empta, non sine ioco: de Sextii, quae aedificabantur, aedibus: de C. Antonio a se in senatu defenso. M. Messalla M. Piso e coss.

EXPLANATIO.

P. Sextio] Quaestor Antonio fuit et consuli Romae, et proconsuli in Macedonia. quod ex oratione pro ipso c. 3. patet.

Proquaestori ERN. *Procos.*] Sic omnes antiqui libri, eadem ratione, qua *proconsul* Sallustius in lib. 2. epist. 17. inscriptione nominatur.

Frugi] Ad quod genus hominum prudentia spectare videtur. itaque subiunxit, *non satis credidi homini prudenti.*

Q. Fufium, tribunum plebis] Hic locus epistolam Messalla et Pisone coss. scriptam esse significat. nam hoc anno tribunatum a Fufio gestum ait Dio lib. 38. idque confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, huius Fufii opera factum tradit, ne a senatu asperius decerneretur. de incestu autem Clodii actum Pisone et Messalla coss. ex epist. ad Attic. lib. 1. in quibus etiam Fufius tribunus plebis nominatur, facile intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit adversarius: et a Cicerone notatur in orat. pro Milone c. 6. cum ait: *Diuisa sententia est, postulante nescio quo. nihil enim necesse est, omnium me flagitia proferre.* Biennio post, aedilitate omissa, praeturam gessit Caesare et Bibulo coss. legemque de suffragiis tulit. testis Dio. consul fuit cum P. Vatinio, anno DCCV. vt fasti docent Capitolini. Socer fuit Pansae consulis, qui Mutinensi proelio, partium reipublicae contra M. Antonium defensor, interfectus est. Defendit Antonium in senatu, a Cicerone oppugnatum: vt ex Philippicis et epistolis ad Brutum constat. Caleno cognomen fuit.

Scripseras] Cupere te, vt tibi succederetur.

De Crasso] A Crasso. Notum loquendi genus. Hoc et in ea declamatione, quae Sallustii nomine inscribitur, in Ciceronem confertur c. 2. his verbis: *Domum ipsam tuam vi, et rapinis, funestam tibi, ac tuis, comparasti: videlicet, vt nos commonefacias, quam conuersa res sit publica, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Crassi, viri clarissimi, fuit.*

XXXV] Tricies quinquies: vt subaudiatur, *centenis millibus nummum:* id est, centum quinque scutatorum millibus. accepit autem mutua a P. Sulla, qui tum reus erat, H-S. vicies, id est, sexaginta scutatorum millia, vt ait Gellius lib. 12. c. 12. Haec domus primum fuerat M. Liuii Drusi, eius qui tribunus plebis initio belli Italici a nescio quo est interfectus. deinde possedit eam Crassus hic, a Cicerone nominatus; post Crassum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sisenna. quod Velleius lib. 2. c. 14. memoriae tradidit.

Vt cupiam coniurare] Iocatur: quia Catilina eiusque socii, cum aes alienum feneratoribus soluere non possent, in patriam coniurarunt. Sallustius bell. Cat. c. 21. 22.

Excludunt] Coniurationis participes.

Ex obsidione] Maxime enim contra feneratores et locupletes facta coniuratio est. quo spectat illud lib. 1.

lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Publicani, quod ita negotiantur, vt locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur.* Et lib. 2. de Offic. c. 24. *Numquam vehementius actum est, quam me consule, ne solueretur. armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine.*

Exemerit] Oppressa enim coniuratione, feneratores impendenti periculo liberati.

Omnino semissibus magna copia est] Et Mediceus liber et reliqui habent, *omni*, non *omnino*, vno excepto, qui Thomae Leonici fuit, doctissimi hominis, in quo est, *omnino*. *Omni*, pro *cuilibet*, duriuscule positum videtur. nam illud lib. 7. ad Attic. epist. 3. *Hic omnia facere omnis, ne armis decernatur:* potest esse quarto casu, numero multitudinis. quare *omnino*, malui, consensu tamen antiquorum exemplarium indicato. Deesse, inquit, nummi non possunt, si quis vsuras semisses velit pendere, id est, senos annuos pro centenis. haec autem ciuilis et moderata fuit vsura: grauissima vero omnium, quae legibus concedebatur, ea fuit, cum duodeni annui pro centenis: quae *centesima* vocabatur. in quo dissentire cogor a doctis hominibus, qui affirmant, vnciarium fenus leuissimum fuisse: quod, vt arbitror, grauissimum fuit, idemque cum centesima. vsurarum enim quaedam nomina menstruam solutionem, quaedam annuam significant, menstruam, vt centesima, vnciaria, semunciaria: annuam, vt semis, triens, bes. nam, si centesima vel vnciaria, vel semiunciaria, semel in anno soluerentur: quis tantulo quaestu pecuniam suam collocasset? rursus, si bes, vel semis, vel etiam triens, vsura menstrua esset: quis, tanta rei familiaris iactura, fenebrem pecuniam accipere voluisset? Opinor igitur vnciarium fenus et centesimam idem esse: vt ratio habeatur menstruae solutionis, non annuae: semunciarium autem idem cum semissibus: vt in semissibus annua solutio spectetur, in semunciario fenore, menstrua. propterea Tacitus lib. 6. Annal. c. 16. ait, XII. tabulis sanctum esse, ne quis vnciario fenore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletum agitaretur: deinde rogatione tribunicia vsuram ad semuncias redactam. Nam, si duodecim tabulae annuum fenus vnciarium significassent; et si tribuni plebis postea de semunciario item annuo rogationem tulissent: graues admodum postea semisses vsurae visae essent, quas tamen ciuiles ac modicas fuisse, tum Plinius lib. 14. c. 4. tum alii satis ostendunt, grauissima vero centesima, quae tamen legibus concedebatur: supra vero non licebat: ideoque cum trientem, semis, bessem, nominari videmus, non de menstrua, sicut in vnciario fenore, sed de annua dictum vsura existimare debemus: alioqui non fuisset grauissima omnium centesima.

Ego autem meis rebus gestis] Mea, inquit, praecipua causa est: cum ob res a me gestas, id est, ob feneratores, quibus exitium Catilina moliebatur, *bonum nomen*, id est, bonae fidei debitor existimer. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. inde factum, vt *nomen* acciperetur et pro debita pecunia, vnde *nomina exigere*,

lib. 1.

lib. 1. in Ver. c. 10. et pro debitore, vt hic, et quod ab Alphio feneratore dici solitum refert Columella lib. 1. c. 7. *vel optima nomina non appellando fieri mala.*

Antonium] C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat.

Omnes] Omnes, qui testes sunt meorum in te meritorum. Dixit enim in epistola superiore: *Meus in te animus quam singulari officio fuerit, et senatus, et populus Romanus testis est.*

Desiderant] Sic in proxima superiore: *Si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat.* Et ibidem, post: *Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis.* Notatur ingrati animi vitium hoc verbo: quia desiderantur ea, quae non habeamus.

In senatu] Cum ageretur de Antonio ex prouincia ob rapinas reuocando: vt ex lib. 1. ad Attic. epist. 12. intelligo: in qua scriptum est hoc: *mihi Pompeiani prodromi nunciant, aperte Pompeium acturum, Antonio succedi oportere.* Et ibidem paullo post, pecuniae nominantur a C. Antonio iniuste coactae. ea porro epistola iisdem, quibus haec, id est, Pisone et Messalla coss. scripta est. Reuocatus tamen Antonius hoc anno non est, sed in prouincia mansit vsque ad consulatum Caesaris et Bibuli; quibus consulibus damnatus est, atque etiam videtur aliquot eius anni menses in Macedonia fuisse, si epitomae Liuianae 103. verba considerentur.

Grauissime] Vt, *grauiter accusare*, ita *grauiter defendere*, dicitur: quae summi studii significatio est.

Defendi] Quamquam, nec licere sibi eum defendere, nec libere, iam ad Atticum scripserat, lib. 1. epist. 12.

Commoui] Ita commouit, vt manserit postea C. Antonius in prouincia vsque ad Caesarem et Bibulum coss.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Pompeio de Mithridate victo: deinde carpit eum, vt gratiae referendae parum studiosum, quia sibi de Catilinae coniuratione exstincta frigide gratulatus erat: se tamen ei tum in republica, tum in amicitia coniunctum fore significat. scripta Silano et Murena coss. ante ceteras omnes, quae hoc volumine continentur.

EXPLANATIO.

CN F.] Cn. Pompeii Strabonis, qui de Asculanis et Picentibus consul triumphauit, anno DCLXIV.

Magno] Hoc ei cognomen dedit Sullae salutatio; cum adhuc eques Romanus, adolescens annos natus XXIV. Siciliam, electo Perperna, caeso Carbone consule, Marianarum partium ducibus, recuperasset, Africam vero XL. diebus, interfecto Cn. Domitio, Hiarba, Numidiae rege, capto subegisset.

epitome

epitome Liuiana 89. Velleius lib. 2. c. 30. Plinius lib. 7. c. 26. Plutarchus in Pompeio, alii.

Missi] Ex castris, confecto bello Mithridatico: ex quo triumphauit anno sequenti, pridie Kal. Oct. die natalis sui, vt scripsit Plinius lib. 37. c. 2.

Spem otii] Ab externis bellis. vnus enim, reliquis deuictis aut pacatis, formidandus hostis Mithridates videbatur: cum quo per annos triginta continenter bellum gessit populus Romanus.

Pollicebar] Id maxime pollicitus est in oratione pro lege Manilia.

Veteres hostes] M. Crassum et L. Lucullum puto significari; quibus potentia et gloria Pompeii molesta semper fuit. *Conradus Pe[illegible] intelligi.*

Nouos amicos] Pompeio quidem ita reconciliatos, vt apertas non gererent inimicitias, eius tamen secunda fortuna valde moerentes.

Perculsos] Perculsi deturbantur, et deturbati iacent. ideo dixit, *vehementer litteris perculsos atque ex magna spe deturbatos, iacere.* sic lib. 4. epist. 4. *perculsa et prostrata foedissimo bello iacent omnia.*

Ex magna spe deturbatos] Non dubito, quin hoc loquendi genus, vt alia multa, a Graecis fontibus deduxerit. dixit enim Plato in Euthyphrone: Ἀπ' ἐλπίδος με κατα-βαλὼν μεγάλης ἀπέρχῃ.

Meorum officiorum] Quorum te non satis esse memorem, litterae tuae significant. Officia vero Ciceronis in Pompeium erant multa: cum eius dignitatis ab adolescentia fautor, in praetura autem et in consulatu adiutor etiam exstitisset. quod scripsit ad Lentulum lib. 1. epist. 9. praetor enim suasit Manilium rogationem, vt ei bellum Mithridaticum demandaretur: consul ad senatum retulit, quia maritimis terrestribusque bellis virtute sua Pompeius finem attulisset, vt ei duplicaretur supplicatio consularis, id est, dierum decem decerneretur: quod antea nemini concessum erat. in orat. de prouinc. c. 11.

Non mutue ERN. *mutuo respondetur*] Et hic mordet Pompeium, qui suis officiis non mutuo respondere videatur.

Facillime patior] Hoc loquendi genere neque laetitia, neque molestia significatur: perinde ac si dicas, non laboro. probatur exemplis. lib. 1. epist. 9. *Facile patior, ea me de republica sentire ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reipublicae rationibus putem conducere:* pro, non inuitus ea sentio ac dico. et lib. 6. epist. 11. *Vestorius, noster familiaris, ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Haec praedicatio tua mihi valde grata est, eaque te vti facile patior.* Et lib. 12. ad Attic. epist. 44. *Et Hirtium aliquid ad te σπαδῶς de me scripsisse facile patior.*

Mea summa erga te studia] Quae non tanti Pompeius aestimare videbatur, vt eum diligeret: idque significauerat gratulatione praetermissa.

Res eas gessi] Quarum caussa senatus ei togato supplicationem decreuit; Q. Catulus parentem patriae nominauit; L. Gellius ciuicam coronam deberi a republica dixit. lib. 15. epist. 4. et in Pisonem c. 3. Gellius lib. 5. c. 6.

Ne

Ne cuius animum offenderes] Vt C. Caesaris, aut M. Crassi, quos occulte fauere coniuratis multi suspicati sunt. Crassum etiam, vt conscium et participem coniurationis, in senatu a L. Tarquinio nominatum, scripsit Sallustius, bell. Cat. c. 48. confirmauerunt Plutarchus et Dio. Caesar quidem, ne coniurati vita priuarentur, accurata oratione disseruit. idem Sallustius c. 51. Plutarchus, Appianus, alii.

Tanto consilio, tantaque animi magnitudine] Quod vtrumque requiritur in custode ciuitatis: et in vtroque Ciceronem excelluisse, cum illa indicia communis exitii indagauit, patefecit, exsinxit, historiae demonstrant.

Africanus] Minor, qui Carthaginem et Numantiam euertit. hunc enim Cicero significat, cum simpliciter eum nominat.

Laelium] Vt duo Africani, sic Laelii duo memorantur: quorum vtrorumque pariter amicitia celebratur. nec in re manifesta exemplis opus est.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

M. Licinius Crassus, eius P. Crassi filius, qui se ipsum, ne in manus incideret inimicorum, occidit, vt est in orationibus pro Scauro, et pro Sextio c. 21. Romanorum opulentissimus, postremis diebus secundi consulatus sui, contra diras et obnunciationes Ateii tribuni plebis, de quibus Appianus, Plutarchus, Dio, in Syriam prouinciam profectus est; cum apud Ciceronem in eius generi Crassipedis hortis cenasset; vt legimus lib. 1. epist. 9. Ad eum Cicero in prouinciam scribit, quam studiose dignitatem eius in senatu defenderit: excusat superiorum temporum simultatem; constantiam et fidem, post gratiae reconciliationem, pollicetur, affirmans eius honestati et gloriae nullo vmquam se loco defuturum: quiddam etiam de suo in filium eius P. Crassum amore, eiusque in se obseruantia, interponit. Negotialis et moralis epistola: nam et actam in senatu rem narrat; et de reliquo tempore omnia studia sine vlla exceptione promittit. Scripta L. Domitio Ahenobarbo Ap. Claudio Pulchro coss. qui Pompeio et Crasso proxime successerunt.

EXPLANATIO.

Cum consulibus] Cum Domitio et Appio, fortasse contendentibus, vt reuocaretur Crassus; quandoquidem, dirarum obnunciatione neglecta, in prouinciam iuisset: quod pernicioſum reipublicae fore videbatur, sicuti fuit, ipso cum exercitu a Parthis interfecto.

Interruptum] Ob eam simultatem, quam inter eos Catilinae temporibus exortam, quia Crassus coniurationis conscius et particeps putaretur, Plutarchus in Crassi vita prodidit.

Pestes hominum] Vt et Crassum et se ipsum culpa liberaret, artificiis hominum hic, proxime autem varietate temporum factum esse dicit, ne, quemadmodum instituerant, perpetuo amarent inter se.

Pestes

Pestes hominum, pro, pestiferi homines, vitandi tamquam pestis.

Laude] Laus enim sita est in mutua benevolentia: cum vtriusque dignitas vtriusque augeri possit officiis. confirmatur infra, cum dixit: *Is enim tu vir es, et cum me esse cupio, vt, quoniam in eadem reipublicae tempora incidimus, coniunctionem amicitiamque nostram vtrique nostrum laudi sperem fore.*

Immutarunt] Minus est, quam *alienarunt:* vt, quo nunc erga Crassum animo sit, vel hoc probet argumento, quod, eo a se alienato, ipse tamen adduci non potuerit, vt amare prorsus desineret.

Optatum mihi magis, quam speratum] Hoc refertur ad id, quod sequitur, *florentissimis tuis rebus:* quia rebus afflictis, non florentissimis, amor vere perspicitur. Mihi autem, inquit, contigit, quod optabam potius, quam sperabam, vt optimo rerum tuarum statu, mea tamen et memoria veteris nostrae necessitudinis, et post reconciliatam gratiam fides perspici posset. Confirmat hanc sententiam lib. 9. epist. 16. ad Paetum: *Non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit; cetera sunt signa communia.* Eodem loquendi genere vsus est lib. 2. ad Q. Fr. epist. 12. *Quantum coniectura consequebar, id erat huiusmodi, vt magis optandum, quam sperandum putarem.* Et lib. 1. de Orat. c. 21. *Hoc loco Sulpicius, insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti vtrique nostrum, cecidit, vt in istum sermonem, Crasse, delaberemini.* et Balbus lib. 8. ad Attic. epist. 15. *Velim, idem Pompeius faciat: qui vt adduci tali tempore ad vllam conditionem possit, magis opto, quam spero.*

Fides] Quae maxime requiritur in iis, qui post simultatem amicitia iuncti sunt. ad Appium lib. 3. epist. 8. *Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse: non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam.* Et ad eundem, epist. 10. *Quodsi essem ea perfidia, qua sunt ii, qui in nos haec conferunt.*

Vxor tua] Tertullae nomen fuisse, et a Caesare stupratam, Suetonius in Caesare c. 50. auctor est.

Tui Crassi] Filii, Marcus et Publius; quos hoc tempore constat fuisse Romae: quamquam Publius paullo post patrem subsecutus est, cum quo perjit in Parthis. Marcum autem et ante hoc tempus, et post in Gallia, Caesaris quaestorem fuisse, patet ex lib. 1. 2. 3. 5. 6. quos ipse Caesar de rebus a se in Gallia gestis composuit.

Nituntur] Plus est, quam *vtuntur.* est enim *niti*, fulciri, sustentari, quasi roboris in eo, qui nititur, pro rerum gravitate parum sit.

Non me repentina aliqua voluntate] Ne videatur simulata et ad artem composita benevolentiae significatio, quia tam prolixe, cum paullo ante simultas inter eos fuisset, officia sua polliceatur ac deferat; non est haec, inquit, augendae tuae dignitatis repentina voluntas, sed quaedam pristini studii renovatio, a prima adolescentia susceptii.

Vt primum forum attigerim] Toga virili sumpta, absoluto anno aetatis

aetatis XVI. Vel ad eos, qui ius ciuile profitebantur, vel in forum, vt oratores audirent, adolescentes ire soliti sunt. Cicero statim ad Scaevolam iurisconsultum accessit, deductus a patre, vt ipse scribit in Laelio c. 1. primam vero priuatam caussam pro P. Quintio egit annos natus XXVI. publicam XXVII. pro Sex. Roscio Amerino: quod vtrumque Gellius lib. 15. c. 28. animadvertit.

Obseruantiam] Vel aetatis, vel honorum gratia. Sex enim annis natu maior, quam Cicero, erat Crassus, totidemque prior consulatum gessit. iure igitur plus Crasso tribuit, quam sibi: vt infra quoque: *Is enim tu vir es, et eum me esse cupio.*

Non tam re] Iniuriarum memoria coire animos et coniungi amore mutuo vix patitur: ideo praeteritae offensae suspicione vtrumque liberat.

Violata] Sic lib. 1. ad Attic. epist. 17. *Illa, quae violata, expiabuntur. Violari* enim dicitur, quasi sacrosancta amicitia sit.

Inania] Indigna quae cogitemus: leuia, minimi ponderis.

Eum me esse cupio] Laudis cupiditatem profiteri, arrogantiae non est: et modestia beneuolentiam conciliat.

Statues ipse] Nihil petit; quid tamen expetat, eo, quod sequitur, ostendit. est enim haec epistola vt omnium officiosissima, sic eadem omnium prudentissime ac modestissime conscripta.

Quod ad honestatem et gloriam tuam spectet] Quod tibi vel honori vel gloriae possit esse. Non omnino idem, sed simile lib. 10. epist. 1. *Tuae dignitati ita fauemus, vt omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus.*

Publio] Quo intercedente, Cicero et Crassus reconciliati sunt. amabat is Ciceronem vnice propter eloquentiam. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 8. *Totum ei* (Crasso) *negotium permisi, meque in eius potestate dixi fore. Interfuit huic sermoni P. Crassus adolescens, nostri, vt scis, studiosissimus.* Et in Bruto c. 81. *Quae quidem etiam cum P. Crasso, M. F. cum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror, cum eum vehementer hortarer, vt eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. Erat enim cum institutus optime, tum etiam perfecte, planeque eruditus: ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia: praetereaque sine arrogantia grauis esse videbatur, et sine segnitia verecundus.* Interfectus est a Parthis, vt Plutarchus, Appianus, Dio multis verbis exponunt.

Constantiae] Ne famam inconstantiae subeam. epist. 5.

Mea sponte] Similiter lib. 6. epist. 8.

Quoad eius fieri possit] Quam maxime possit, quantum liceat.

Desiderium] Quo tenentur amici tui, hospites, clientes, qui, te praesente, opera, consilio, auctoritate, et gratia tua nitebantur.

Meo labore] Quem eorum caussa, non modo tua, suscipiam.

Minuatur] Tolli enim prorsus non potest, propterea dixit, *quoad eius fieri possit.*

EPISTO-

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

P. Vatinius, qui tribunatum plebis gesserat Caesare consule, omniaque ex eius libidine administrauerat, post consulatum in Illyricum a Caesare dictatore missus, vt Appianus et Dio significant, commendat suam dignitatem Ciceroni contra maleuolorum atque inuidorum obtrectationes. rebus enim prospere gestis, supplicationes, missis ad senatum litteris, petebat. Caesare IV. consule sine collega.

EXPLANATIO.

Vatinius] *Struma* dictus, quia tumidam struma ceruicem haberet. ex quo eum, vt in Plutarcho legimus, *inflatum oratorem* Cicero per iocum appellauit. Eodemque spectat illud in oratione contra eum habita in senatu c. 2. *Repente enim te, tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intulisti.* Et in ea pro Sextio c. 65. *Hi medentur reipublicae, qui exsecant pestem aliquam, tamquam strumam ciuitatis.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 9. *Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. Vatinios* autem, *Vatios, Varos* a cruribus dictos ait Plinius lib. 11. c. 45.

Imp.] Ab exercitu, nondum a senatu appellatus: cum nondum decretae essent supplicationes.

Cliens] Defenderat eum, rogatu Caesaris Cicero, a Caluo de ambitu accusatum: quo iudicio absolutus est. defendit et alio crimine, iudicio publico, vt Valerius Max. lib. 4. c. 2. scriptum reliquit.

In honore] In supplicationibus a senatu impetrandis.

Adoptem] Eligam patronum: vel, *adoptem*, exoptem: vt Ciceronis filius lib. 16. epist. 21. *aduentus adoptatissimus*, dixit, pro *exoptatissimus.*

Fato] *Fatum* ait Alexander caussam esse, et caussam agentem: caussarum enim quattuor genera esse; quae agit, vt statuarius; quae materia est, vt aes, aut lapis, ex quo fit statua; quae forma, quam statuarius ex ea materia facere cogitauit; quae finis, vt cum artifex non id solum spectat, vt statuam faciat, sed vt, statua facta, vel pecuniam, vel honorem consequatur. Porro, non eiusdem generis agentes caussae sunt. quaedam enim aguntur alicuius rei gratia, quaedam vero nihil eo, qui agit, cogitante. quae aguntur aliqua caussa, vel a natura vel a ratione aguntur. quae ratione aguntur, et agi possunt, et non agi: agendi enim facultas in nobis est. itaque eiusmodi rerum caussa fatum non est, verum electio nostra. est igitur fatum in iis, quae natura fiunt: nec inter fatum et naturam, praeter nomen, quidquam interest. aeque enim et natura, et fato, equus ex equo, homo ex homine generatur. nam, vt naturalis rerum omnium generationis caussae primae diuina sunt, certo ordine et perpetuo motu circumducta: ita fati non aliae caussae sunt, quam quae a diuinis pendent. Nec tamen fatum est caussa, propter quam semper aut

hoc aut illud necessario fiat, sed plerumque: vt in iis quoque, quae natura fiunt, locum habent ea, quae interdum praeter naturam fiunt. Atque hanc esse Peripateticorum de fato opinionem, ex Alexandro cognoscitur. Alii vero fato omnia fieri voluere: quos refellit idem Alexander: cum ab iis fortunam, et casum, et omnes humanae vitae actiones, et consultationem auferri dicat. Vide lib. 4. epist. 12.

Liberalitatem] *Liberalis* est, non modo qui pecuniam largitur, sed etiam, qui quocumque officii genere subuenit, aut commodat. lib. 1. epist. 9. in extremo. lib. 10. epist. 3.

Ad senatum] Vt supplicationes ei decernerentur.

De rebus nostris gestis] In Dalmatia: vt in epistola, quae sequitur.

Tuus seruus] Dionysius. in epistola sequenti, et lib 13. epist. 77. ad Sulpicium.

Cum Vardaeis] Dalmatiae populis; a quibus olim vastatam Italiam, auctor est Plinius lib. 3. c. 22. Antea *Vardacis:* nos olim, *Vardaeis*, restituimus.

In Dalmatiam] In quam eum aufugisse iam audierat: dixit enim, *dicitur mihi tuus seruus anagnostes fugitiuis cum Vardaeis esse.* Dalmatiae nomen ab vrbe Daimnio deductum, significat Strabo lib. 7.

A. d. V. idus Quintiles] Scripta igitur est epistola ante reditum Caesaris ex Hispania, in qua Pompeii liberos iam deuicerat. nam Velleius lib. 2. c. 56. cum Romam Octobri mense reuertisse, auctor est.

Narona] Et fluuius et castellum fuit. Plinius, Ptolemaeus.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Scribit de Dionysio seruo, de Catilio pirata, de rebus a se in Dalmatia gestis, pro quibus supplicationes sibi decerni postulat. Eodem anno, cum in vrbem rediisset Caesar.

EXPLANATIO.

Omnia mihi dura] Cum neque seruum inuenire, neque de Catilio, quod petis, facile possim concedere.

Imperas] Iam igitur ei per litteras Cicero de Dionysio seruo mandauerat. nam in superiore epistola nihil sibi mandatum Vatinius dixit.

De Catilio] Pirata.

Apage te] Hac voce reiicimus a nobis eos, qui molesti sunt. vtuntur ea frequenter comici.

Matres familias] Feminas honoratas. Hoc nomen pluribus modis accipitur: primum quae peperit ex marito patre familias: deinde, quae tantummodo maritum patrem familias habet, licet non pepererit: tertio, quae conuenerit in manum, id est, per coemptionem nupserit; quae sola in heredis locum veniebat: quarto, quae maritum amiserit, viduaque honeste vivat. Primum probatur ex Festo, cum ait: *Nec vidua hoc nomine, nec, quae sine filiis est, appellari potest.* Quod negat Vlpianus. Secundum ex Cicerone in Topicis

c. 3.

c. 3. *Genus*, inquit, *est, vxor: eius duae formae; vna matrum familias earum, quae in manum conuenerunt; altera, earum, quae tantummodo vxores habentur.* Quod Gellius auctoritate veterum videtur confutare, solam affirmans appellatam esse matrem familias, quae in mariti manu mancipioque esset. Tertium haec ipsa ex Topicis proxime recitata verba demonstrant. Accedit Quinctilianus lib. 5. c. 10. *Si quis*, inquit, *cum legatum sit ei, quae viro mater familias esset, neget deberi ei, quae in manum non conuenerit.* Et Gellius lib. 18. c. 6. matrem familias ab idoneis vocum antiquarum explanatoribus eam solam appellatam dicit, *quae in mariti manu mancipioque, aut in eius, in cuius maritus, manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui heredis locum veniisset.* Eodem spectat illud Seruii in lib. 7. Aen. *Per coemptionem facto matrimonio, sibi inuicem succedebant: testari tamen arbitratu suo poterant. nam a tutoris potestate liberabatur, quae mater familias fiebat.* Quartum et vltimum de vidua matre familias, ostendit Vlpianus L. 47. D. de verb. sign. *Matrem familias accipere debemus eam, quae non inhoneste vixit. matrem enim familias a ceteris feminis mores discernunt, atque separant. proinde nihil intererit, nupta sit, an vidua, ingenua, an libertina.* et Cicero in orat. pro Coelio c. 13. *matrem familias* Clodiam viduam vocat. De his opinor locutum Vatinium, neque cogitasse, an maritum haberent, vel peperissent, aut per coemptionem nupsissent, aut viduae ingenuaeue essent; sed tantummodo rationem habuisse honestatis earum et auctoritatis. Sic orat. 2. in Antonium c. 41. *Ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.* et 3. in eundem c. 12. *Matres familias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus tradantur.* In Verrem quoque lib. 4. c. 52. *Mitto adhibitam vim ingenuis, matres familias violatas.* Nam, quod ait Gellius appellatam esse *matrem familias* eam solam, quae in maritī manu mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu mancipioque esset: verius fortasse, quam *eam solam*, dixisset, *eam proprie:* vt eī cum Cicerone conueniret, qui duo genera matrum familiarum constituit in Topicis. Nisi si iuris hereditarii Gellium, vel eos potius, quos Gellius secutus est, rationem habuisse dicamus: quod ea sola, quae in manum conueniisset, marito mortuo heres esset: quae vero aliter nupsissent, iure hereditatis excluderentur. *Matres familias*, et *matres familiae*, dicebant veteres. *familias* autem, generandi casu: quia nomina, vt Plinius dubii sermonis lib. 6. admonuit, in *a* finita singulari nominatiuo, *as* syllaba declinabant, vt *Maia Maias.* Ideo Sallustius, amator priscae linguae, dixit hist. lib 4. *Castella custodias thesaurorum in deditionem acciperentur.* Quod ne celebraretur, Sisenna effecit. ait enim, cum, quī diceret *pater familiae*, etiam pluraliter dicere debere, *patres familiarum*, et *matres familiarum.* quod quoniam erat durum, et longe iniucundius, *patrum familias*, sonabat, etiam *patri familias* vt diceretur, consuetudo probauit, et

tamen ratio Sisennae non est valida. nec enim necesse est, pluralem numerum rei vnitati adhibere. et Varro de scenicis originibus lib. 1. et 3. dixit: *matres familiae:* et Gracchus, *patres familiae*, non *familiarum.*

Simius] Deductum a simia, per contemptum. lib. 7. epist. 2. *Hic simiolus, animi caussa, me, in quem inueheretur, delegerat.* Horatius lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 18. *Neque simius iste. Simia* quoque de homine dicebant. lib. 8. epist. 13. *Illius simiae vultum subire.* Afranius in Temerario: *Quis hic est simia, qui me hodie ludificatus est.*

Non semissis] *Semis*, assis dimidium fuit: *as* autem, nummus aereus, quadrantes quattuor continens. *homo* igitur *non semissis*, minimi pretii, nihili aestimandus. similiter Persius Sat. 5. v. 76.

— *Hic Dama est non tressis agaso:*

pro, tribus assibus non aestimatus.

Actione] Actione legis: vt actio furti, et similia. Libri veteres, *actiones*; vnus Sigonii, *actores.* mihi vel *actione* (vt imprimi volui, vna littera *s* abiecta) vel *actores*, placet. nam, *actiones*, vacare mendo non arbitror.

Si Appii os haberem] Si essem ea, qua Appius, impudentia. Lib. 9. epist. 8. *Nosti os adolescentioris Academiae.* Lib. 2. in Ver. c. 20. *Nostis os hominis, nostis audaciam.* Lib. 1. de Orat. c. 38. *Quod tandem os est illius patroni, qui ad eas caussas sine vlla scientia iuris audet accedere?* Interdum additur, *durum*, vt apud Terentium in Eun. Act. 4. Sc. 7. v. 36. vbi Donatus: *Os durum, os impudens: vt contra, mollis frontis dicuntur, qui sunt reverentes.* Et quia ferro nihil est durius, propterea *ferreum Pisonis os*, vt insignem quandam notaret impudentiam, Cicero vocauit in oratione contra ipsum habita c. 26. Appius hic, cui se successisse Vatinius dicit, non est is, ad quem sunt epistolae lib. 3. qui bello ciuili, Pompeium secutus, iam perierat: vt auctor est Valerius lib. 1. c. 6.

Tuo discipulo] Declamabant nobiles adolescentes praesente Cicerone, vt eius praeceptis erudirentur. Lib. 7. epist. vlt. *Et Cassius tuus et Dolabella noster, vel potius vterque noster, studiis iisdem tenentur, et meis aequissimis vtuntur auribus.* Et lib. 9. epist. 18. suos discipulos vocat Caesaris familiares: et in sexta eiusdem libri.

Caesar] Consul, idemque dictator.

Iustissimi] Ob numerum caesorum hostium. Sic lib. 2. epist. 10. *Victoria iusta imperator appellatus apud Ilsum.* et Phil. 14. c. 5. *Is demum est, mea quidem sententia, iustus triumphus ac verus, cum bene de republica meritis testimonium a consensu ciuitatis datur.* et Suetonius in Calig. c. 48 *Querens inter cetera, fraudatum se iusto triumpho.*

Triumphi] Qui supplicationem fere sequebatur. lib. 2 epist. 15.

Ipsa ERN. *Ipsi*] Dalmatae.

Post supplicationes] Scripta, necdum missa, superiore epistola, certior factus de supplicationibus sibi decretis, in Dalmatiam, vt bellum conficeret, statim profectus est, opida sex cepit. quo facto, eandem misit epistolam, quam per dies plures in manibus habuerat, vt aliquid de rebus

rebus a se post supplicationes gestis appingeret.

Vnum hoc] Quod a me proxime relictum est.

Meam causſam] Non iam vt supplicationes, quae decretae fuerant, sed vt triumphum, quasi confecto bello, consequeretur. trium, phasse autem illum triennio post fasti Capitolini ostendunt.

In omnis partes] Sic ad Marcellum, *valere in omnes partes*, lib. 4. epist. 10

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Respondens Vatinii litteris, quae non exstant, ornat eum grati animi laude: sua studia pollicetur: vxori praesto futurum in omni re, significat. In extrema epistola rogat de Dionysio seruo: Dalmatis imprecatur. Eodem anno, aut qui proxime secutus est.

EXPLANATIO.

Grata tibi mea esse officia, non miror] Lib. 10. epist. 20. *Studia mea erga te, quibus certe nulla esse maiora potuerunt, tibi tam grata esse, quam ego putaui fore, minime miror, vehementerque laetor.*

Sura] Cognomen videtur aut liberti, aut etiam ciuis ingenui. nam et Lentulus ille *Sura* vocatus est, qui praetor in coniuratione Catilinae in carcere necatus est. et *Lentuli Cruris* mentio fit lib. 8. epist. 4.

Et non laboriosa mihi, et honesta videbuntur] Proxime dixit in eadem sententia, *quae mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur.* Similiter lib. 5. epist. 9. *Hoc eo pertinet, vt nihil existiment esse tam difficile, quod non pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum.*

Fidem dederis] Redire nolebat, poenae metu, Dionysius ad Ciceronem, a quo, surreptis multis libris, aufugerat. lib. 13. epist. 77.

Improbus] Vt redire nolit. Ergo non erat Dionysius in potestate Vatinii. quod etiam confirmatur superioribus verbis: *quamcumque ei fidem dederis, praestabo.* Allici enim eum conditionibus, vt ad se rediret, omnino Cicero volebat. conditionibus autem cum seruo cur ageretur, si esset in potestate Vatinii?

In triumpho] Cum de triumpho, tamquam certa de re, loquatur; apparet, scriptam epistolam esse post supplicationes decretas. Triumphauit autem Vatinius post interitum Caesaris, oppressa rursus ab Octauiano republica. quod lapides Capitolini docent.

Dii male faciant] Sic lib. 11. epist. 21. *Dii isti Segulio male faciant.*

Molesti] Quia nimium acriter resistunt.

Vt scribis] Dixi iam, has Vatinii litteras, in quibus etiam vxorem suam Ciceroni commendauerat, periisse: vt alias quoque aliorum multas, quibus Cicero respondet, periisse constat.

Bellicosi] Vardaeos quidem Italiae populatores, vt iam dixi, Plinius appellat. *Bellaces* et *bellicosi* non iidem sunt: cum possint bellaces esse populi, id est, bellorum gerendorum studio delectari, nec tamen bellicosi, id est, in bellis excellere. quorum vero fortitudo eminet, ii *bellicosi* vocantur.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Petit a Lucceio, historiarum scriptore, vt res a se in consulatu gestas litteris mandet, vt separato volumine, vt statim, vt maiore cum laude, quam historiae leges, aut veritas ipsa patiatur. Argumentum proponit, a principio coniurationis Catilinae ad reditum suum ab exsilio: in qua temporum varietate summam inesse delectationem, tum rationibus ad probandum aptis, tum etiam Epaminondae ac Themistoclis docet exemplo. Et, vt impetret facilius, aucupatur eius gratiam laudationis artificio. Denique, si non impetret, ipsum de se, licet inuitum, scripturum esse significat. Est autem, si nimiam laudis cupiditatem excipias, quo vitio nonnihil Cicero noster laborauit, egregie scripta epistola, vt sacpissime lecta satietatem tamen numquam afferat. ideoque cum ad Atticum scriberet lib. 4. epist. 6. epistolam, *inquit*, Lucceio nunc quam misi, qua, meas res vt scribat, rogo, fac vt ab eo sumas: valde bella est. *Lucceii responsio desideratur: respondisse tamen, ac pollicitum, velle se roganti morem gerere, ex eadem ad Atticum epistola constat. ex qua etiam intelligitur, hanc esse scriptam Marcellino et Philippo coss.*

EXPLANATIO.

L. Lucceio] Fortasse is est, de quo sic in orat. pro Coelio c. 22. *Habeo, iudices, quem vos socium vestrae religionis, iurisque iurandi facile esse patiamini, L. Lucceium, sanctissimum hominem, et grauissimum testem.* Et subiungit: *An ille vir, illa humanitate praeditus, illis studiis, artibus atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter haec ipsa studia diligebat, negligere potuisset?*

Coram me tecum] Petitionis impudentiam excusat, initio a modestia sumpto.

Conantem] Ad res difficiles, quaeque ad exitum non perducantur, hoc verbum adiungitur.

Paene subrusticus] Est enim, quatenus pudor deceat. nullus improbitatem aut stultitiam, nimius agreste quiddam indicat.

Tuis] Animaduertenda numeri suauitas ex iambo post spondeum sententiam claudente, vt paullo post, *commendari tuis.*

Vicit opinionem meam] Hoc induxit callide, ad beneuolentiam colligendam.

Aucto-

Auctoritate] Quod esset Luceeius in reipublicae maximis grauissimisque caussis cognitus, atque in primis probatus. infra.

Viui] In extrema epistola: *Vt nosmet ipsi viui gloriola nostra perfruamur.*

Italici] Marsici, vel socialis. Tribus enim modis appellatur illud bellum, quod cum sociis Italicis, indignantibus ciuitate se, lege Licinia et Mucia, esse extrusos, varia diu fortuna et periculoso euentu gestum est. quamquam Cicero lib. 2. de Offic. c. 8. metu iudiciorum excitatum ostendit. sed fortasse vtrumque fuit. primi quidem Marsi, vnde Marsici belli nomen fluxit, Iulio et Rutilio coss. arma sumpserunt. solus, confecto bello, triumphauit de Asculanis et Picentibus consul Cn. Pompeius Strabo, Magni pater.

Ciuilis] Quo respublica, victis Marii partibus, ad vnius arbitrium L. Sullae translata est.

Callisthenes] Olynthi natus, Aristotelis discipulus, comes Alexandri Magni bello Persico, cuius etiam res gestas litteris mandauit. interfectus ab eo, vel quia, more Persico, diuino cultu venerandum non censuerit, vel quod in eum cum aliis coniurasse putaretur.

Timaeus] Duo Timaei memorantur, hic quidem Siculus historicus, quem valde Cicero laudat lib. 2. de Orat. c. 14. Plutarchus in Nicia reprehendit: alter philosophus Pythagoreus, Locris natus, cuius nomine Plato librum de natura inscripsit.

Pyrrhi] Epirotarum regis, qui cum Romanis in Italia bellum gessit. Plutarchus, Trogus lib. 17. Eius bella Timaeus propria complexus est historia. Τιμαῖος, inquit Dionysius lib. 1. Antiquit. τὸ Σικελιώτης τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱστορίαις ἀφηγησαμένης, τὰς δὲ πρὸς Πύρρον τὸν Ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν.

Polybius] Praeceptor et comes Africani minoris, cuius historiae pars aliqua ad nostram aetatem peruenit.

Numantinum] Numantiam Scipio Aemilianus, annis 14. post Carthaginem, excidit. Velleius lib. 2. c. 4. Appianus, alii.

Coniurationem] Factam ipso consule a duobus maxime patriciis, L. Sergio Catilina, praetorio, P. Cornelio Lentulo, consulari, et praetore iterum.

Causssam illam totam] Quidquid ad eam coniurationem pertinet, et cum ea coniunctum est.

Vno in argumento] Scire non inutile est, quid in problemate scripserit Aristoteles, cuius initium est, διὰ τί ποτε τῶν ἱστοριῶν ἥδιον ἀκούομεν τῶν περὶ ἓν συνεστηκυιῶν; ἢ τῶν περὶ πολλὰ πραγματευομένων.

Vna in persona] In ipso tantum Cicerone, coniurationis vindice.

Vberiora atque ornatiora] Quod ad scriptoris quoque laudem pertinet. commendat enim historiam vehementer copia rerum, et verborum ornatus.

Semel] In eo, quod tibi occupatissimo tantum oneris imponam.

Bene] Valde: vt, *bene mane*, *bene doctus.*

Nauiter] Strenue. in eo scilicet, quia postulet, vt ornetur.

Leges historiae] Tres historiae leges Cicero ipse commemorat lib. 2. de Orat. c. 15. primam, ne quid

falsi dicere audeamus; alteram, ne quid veri non audeamus; tertiam, ne qua suspicio gratiae sit, ne qua simultatis. ex his legibus tertia hic significatur, vt sequentia declarant.

Quodam in prooemio] Varie prooemiis veteres historici vsi sunt, teste Luciano in libro de historia conscribenda: apud Latinos quidem Liuius et paucis et breuibus, Sallustius pluribus et longioribus: apud Graecos autem, vt auctor est Diodorus Siculus lib. 16. Ephorus singulis libris singula prooemia praeposuit.

Affici] Commoueri: afficit autem gratia, cum nos ad eam, quam ratio non probat, voluntatem perducit. quamquam interdum bona de re vsurpatur hoc verbum, et absolute, nullo casu, vt lib. 16. epist. 4. *Varie sum affectus tuis litteris: valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus.* Legunt alii, *flecti*; alii, *allici*. Suum cuique arbitrium relinquo. ego non video, cur quattuordecim veterum librorum, in quibus est, *allici*, consensum aspernari debeam: cum praesertim nec in sententia, nec in loquendi genere vitii quidquam esse videatur.

Herculem Xenophontium] De quo scribit Xenophon lib. 2. Memorab. c. 1. et Cicero lib. 1. de Offic. c. 32. his verbis: *Herculem Prodicium dicunt (vt est apud Xenophontem) cum primum pubesceret (quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem, atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cernevet vias, vnam Voluptatis, alteram Virtutis, vtram ingredi melius esset.* Idem de Prodico Suidas.

A principio coniurationis vsque ad reditum nostrum] A consulatu Ciceronis, quo patefacta coniuratio est, ad consulatum Lentuli et Nepotis, quo rediit ab exsulio: quod integri quinquennii spatium fuit.

Scientia] Quam tenes, et quam tua cum laude ostendes vel in explicandis caussis rerum nouarum, vel in remediis incommodorum.

Caussis rerum nouarum] Sumptibus nimiis, imperii immoderati ac licentiae cupiditate: quae Sallustius persequitur.

Remediis] Quae ciuilibus malis adhiberi possunt, quaeque Cicero ipse consul adhibuit.

Perfidiam] Saepe fidem hominum accusat in epistolis ad Attic. ad Q. Fr. ad Lentulum: nominatim vero se destitutum et inductum queritur a Pompeio, qui se numquam ei defuturum iurauerat, et ab Hortensio, Catone, Arrio.

Casus nostri] Calamitates, quas ob patriam e coniuratorum insidiis ereptam pertulit.

Varietatem] Quia varia fortuna sum vsus: cum a summa dignitate ad vltimas miserias inimicorum me detruserit iniuria: rursusque in patriam eximio cum honore, expetitus ab omnibus, redierim.

Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem] Quod in prouerbium abiit. vnde lib. 2. de Fin. c. 32. contra Epicureos, *quid*, inquit, *si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? vt prouerbia nonnulla veriora sint, quam vestra dogmata. vulgo enim dicitur, iucundi acti labores.* vnde Virgilius lib. 1. Aen. v. 203.

Forsan

— *Forsan et haec olim meminisse iuuabit.*

Nec male Euripides:

Suauis laborum est praeteritorum memoria.

Graecus autem versus hic est:

Ἀλλ' ἡδὺ, τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Casus alienos sine vllo dolore intuentibus] Lucretius lib. 2. v. 1.

Suaue, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.

Mantineam] Vrbem Arcadiae, nobilitatam clade Lacedaemoniorum, et victoria Epaminondae, Thebanorum ducis. Aemilius Probus in Epaminonda c. 9. Iustinus lib. 6. c. 7. Strabo lib. 8.

Epaminondas] Quem summum ducem exterarum gentium videtur Cicero iudicare lib. 1. de Orat. c. 48. cum ait: *Vterer exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hannibalem, atque eius generis homines nominarem.* et lib. 3. c. 34. *Pythagoreus ille Lysias Thebanum Epaminondam, haud scio an summum virum vnum omnis Graeciae?*

Non cum quadam miseratione delectat] Cum ex illius interitu miseratio, ex animi autem magnitudine constantia oriatur. Tusc. 1. c. 40. *Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur.* Nepos.

Clypeum esse saluum] Aliter Probus in eius vita c. 9. cuius verba recitabo. *Epaminondas*, inquit, *cum animaduerteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum, vsque eo retinuit, quoad renunciatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audiuit, satis, inquit, vixi: inuictus enim morior.* Cicero lib. 2. de Fin. c. 30. et de clypeo, et de victoria percunctatum Epaminondam ostendit. *Non ego*, inquit, *iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono: quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, simulque ipse graui vulnere exanimari se videret; vt primum dispexit, quaesiuit, saluusne esset clypeus? cum saluum esse flentes sui respondissent: rogauit, essentne fusi hostes? cumque id quoque, vt cupiebat, audiuisset, euelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. ita multo sanguine profuso, in laetitia, et in victoria est mortuus. Clypeum* ἀπὸ τῦ κλέπτειν, quia corpus celet, appellatum Seruius ait: Plinius lib. 35. c. 3. ἀπὸ τῦ γλύφειν, id est a sculpendo: et irridet Grammaticos, qui deducerent a cluendo. Trebellius Pollio in Claudii vita c. 3. videtur existimasse, ex Grammaticorum sententia dicendum, *clypeum*, non *clypeus*: vt ait: *Illi clypeus aureus, vel, vt Grammatici loquuntur, clypeum aureum senatus totius iudicio in Romana curia collocatum est.* Verum omnes poetae semper *clypeus*, numquam *clypeum*, dixere. quod si de soluta oratione Grammatici illi loquebantur, ne id quidem concedi potest, vt recitata proxime Ciceronis verba declarant.

Themistoclis] Huius vitam Aemilius Probus et Plutarchus exponunt.

Fuga] Fugit ad Artaxerxem, Persarum regem, veritus iram Athenienſium, quibus in ſuſpicionem venerat initae cum Perſarum rege contra Graeciam ſocietatis.

Reditu] Reditum Themiſtoclis poſt fugam non inuenio. forte ſecutus eſt Cicero annales, quos neque Plutarchus neque Probus viderint, aut quibus habendam fidem non putarint: quando et de interitu eius aliter alios exiſtimaſſe, in Bruto c. 11. legimus. Memini, cum homo ingenioſus, induſtriaque excellens, familiaris meus, Hieronymus Ferrarius, cui mortuo bene ſit, legendum opinabatur, *interitu*, pro *reditu*. quae coniectura, etſi diſſentit ab antiquis libris, tamen, quia cum ſententia congruit, praetermittenda non fuit.

Ordo ipſe annalium] Quo quaſi filo perpetua texitur hiſtoria.

Mediocriter] Non multum. viri autem excellentis ancipites variique caſus non mediocriter, id eſt multum, retinent. ſe ipſum alienis deſignat exemplis.

Retinet] Delectat. *retineri* enim videtur, qui libenter legit. Eodem modo verbum *capior* ad delectationem transfertur.

Quaſi enumeratione faſtorum] Vt faſti delectant, enumerandis rebus, quae ſingulis diebus agantur. vnde Ouidius *Faſtos* inſcripſit libros ſuos.

Exitu notabili] Vt notabilis fuit eius in patriam reditus poſt exſulii calamitatem.

Quo mihi acciderit optatius] Modus loquendi, pro, *quam ob cauſſam mihi acciderit optatius*. tale illud lib. 1. de Orat. c. 27. *Stultitia excuſationem non habet: quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, ſtultus fuiſſe. Quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus.*

Quaſi fabulam] *Fabulam* vocat, non quia fictae ſint res, ſed quia, tamquam fabula, varios actus habeat.

Et conſiliorum et temporum] Quaedam enim actiones conſiliis hominum proprie tribuuntur, quaedam temporibus potius quam conſiliis.

Non vereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar] Hoc dicit: certe me non putas aucupari gratiam tuam aſſentatiuncula quadam: cum ipſe te optime noueris.

Neque autem ego ſum ita demens] Eſſem autem demens, ſi laudari vellem ab eo, qui non ipſe propriam in me laudando ingenii gloriam conſequeretur. laudari enim ab eo velle, qui careat ingenio, dementis eſt. itaque me tibi aſſentari, non eſt cur exiſtimes: neque id ſane tibi in mentem venire arbitror.

Ille] De celeberrimis viris, et apud omnes fama cognitis, hoc pronomen vſurpamus, vt de Ageſilao infra. Alexandro autem quis maiorem nominis celebritatem conſecutus? qui paucis annis et Darium, vltimum Perſarum regem, et oceano tenus omnia ſuperauit, prolatis ab angulo Thraciae ad extremum orientem imperii terminis.

Apelle] Pingendi laude omnium clariſſimo.

Lyſippo] Vnde Horatius lib. 2. epiſt. 1. v. 239.

Edicto vetuit, ne quis ſe, praeter
Apellem,

Pinge-

Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera,
Fortis Alexandri vultum simulantia. —

Addit Plinius lib. 37. c. 1. eundem Alexandrum vetuisse edicto, in gemma se ab alio scalpi, quam a Pyrgotele, eius artis clarissimo. Tres vero hos artifices, et edictum Alexandri simul nominat lib. 7. c. 37. Apuleius autem lib. 1. Florid. Polycletum, non Lysippum, ait fuisse, qui Alexandrum aere duxit.

Corporis simulacra] *Simulacrum* et *imago* sunt idem, ab *effigie* quiddam differunt. idem esse, indicat id quod sequitur infra: *qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse.* nam simulacra iam vocauerat Cicero, pictam ab Apelle, fictam a Lysippo imaginem Alexandri. sunt igitur *simulacra* et *imagines*, quae pinguntur, et quae finguntur: *effigies* autem, contra Vallae sententiam, est, quae fingitur, non quae pingitur: quod ipsum nomen arguit. et Cicero Tusc. 3. c. 2. cum dixit, *eminentem effigiem virtutis*, ad ficta opera spectauit: cum vero subiunxit, *adumbratam imaginem gloriae*, ad picturam: non quod *imago* tantum picturae sit, sed quod, cum vocabulum generale sit omnium similitudinum, picturam quoque complectitur. *effigies* autem vel solida est, vt signum et statua; vel expressa, vt caelatum opus, et quae in cera, anulo impresso, effingitur imago. latiorem igitur significationem habet *simulacrum* aut *imago*, quam *effigies*: nec necesse est, vt *simulacrum* qui dicit aut *imago*, addat *effigies*; cum et *simulacrum* et *imago* similitudines omnes comprehendant: itaque statuam Ennii, quam Liuius lib. 38. c. 56. nominat, Valerius Max. lib. 8. c. 15. vocat *effigiem*: qui vero *effigies* dicit, interdum addit *simulacrum* aut *imago*, quasi explanandi gratia, non quod re vera idem sint: vt Cicero lib. 2. in Ver. c. 65. *Eius effigiem simulacrumque seruare.* et lib. 1. de Nat. deor. c. 37. *Verum sit sane, vt vultis, deus, effigies hominis, et imago.* A parte enim transimus ad totum, non a toto ad partem.

Ignotis nota faciebant] *Ignotis*, posuit, non pro iis, qui ignorarentur, sed qui ignorarent illa simulacra: vt id quod patitur, accipiatur pro eo, quod agit: antique. nam et Plautus in Pseud Act. 4. sc. 2. v. 39.

—— *Noui, notis praedicas,*

pro, iis qui nouerunt. Et noster in orat. pro Coelio c. 2. *De dignitate, Coelius notis ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus, facile ipse respondet.* Et lib. 4. in Ver. Liuius lib. 3. c. 44. *Notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat.* Et Curtius: lib. 5. c. 12. *Ignoti iumenta agebant.*

Nihilo sint tamen obscuriores clari viri] Hoc tum ad aliorum, virtute praestantium, tum suam etiam ad laudem scripsit. claritatem, inquit, et splendorem a mutis imaginibus virtus non accipit, sed ingenii monumentis celebrata immortalem famam consequitur. hoc Agesilao contigit, quem Xenophon laudibus extulit. hoc et de me ipso futurum confido, si in tua scripta peruenero. *Obscuriores, clari viri:* nota contraria. sic lib. 2. epist. 5. *obscuro sermoni, clarissimam vocem* opposuit.

Spartia-

Spartiates] Spartanus: a Graeco Σπαρτιάτης. nomina ita desinentia patriam significant. et *Spartiata*, idem erat: nam vtroque modo dicitur: vt *Tegeates, Tegeata; Eleates, Eleata; Crotoniates, Crotoniata.*

Agesilaus ille] Eorum, qui Spartae regnarunt, tum aliis virtutibus, tum bellicae rei scientia praestantissimus.

Perhibendus] *Perhiberi* dicitur id, de quo omnes consentiunt. *Non minus perhibendus est Agesilaus*, valet, non minore hominum consensu celebrandus. Tusc. 1. c. 12. *Hinc Liber deus, Semele natus, eademque famae celebritate Tyndaridae fratres: qui non modo adiutores in proeliis victoriae populi Romani, sed etiam nuncii fuisse perhibentur.*

Neque pictam neque fictam] Vt Alexandri pinxerat imaginem Apelles, finxerat Lysippus. Agesilaus ita sensit, non quod esset claudus, et breui corpore, vt apud Aemilium Probum in Agesilao c. 8. Athenaeum lib. 14. Dionem Chrysostomum in oratione Corinthiaca scriptum est; sed quod memoriae perpetuitatem a virtute potius, quam ab imagine corporis, exspectandam duceret. qua de re Xenophontis Ages. c. 11. praeclara verba recitabo: Τὸ μὲν σώματος εἰκόνα σήσασθαι ἀπέσχετο, πολλῶν αὐτῷ τοῦτο ἐωρεῖσθαι θελόντων, τῆς δὲ ψυχῆς ἐδέποτε ἐπαύετο μνημεῖα διαπονούμενος. ἡγούμενος τὸ μὲν, ἀνδριαντοποιῶν, τὸ δὲ, αὐτοῦ ἔργον εἶναι, καὶ τὸ μὲν, πλησίων, τὸ δὲ, τῶν ἀγαθῶν.

Vnus enim Xenophontis libellus] Qui exstat, de Agesilai laudibus ita scriptus, vt imaginem animi atque ingenii, omni praestantiorem imagine corporis mirabiliter exprimat. Quem vero *libellum* appellat Cicero, tempori seruiens, eundem Themistius in oratione, qua Caesari gratias agit, *longum librum* vocat, et ab eo scriptum ait, vt Agesilao gratiam referret, quod eius opera a Spartanis agro donatus esset. Videndus Xenophon lib. 5. ἀναβάσεως. Pausanias in Eliacis lib. 1.

Omnes omnium] Cum lepore. vt lib. 7. epist. 32. *Omnia omnium dicta in me conferri.* Et pro Milone c. 12. *Omnia omnibus minabatur.* Catullus de Lesbia carm. 85. v. 6.

Omnibus vna omnes surripuit Veneres.

Imagines omnium statuasque superauit] Cum de statuis etiam *imago* dicatur; sine caussa, *statuas* videtur addidisse. verum addidit, quia proxime non de omni, sed de picta tantum et ficta imagine locutus erat: nec eo genere statuae omnes comprehenduntur: sunt enim non modo fictae, id est aeneae, vt Alexandri statua a Lysippo facta, et Sp. Cassii, quam Plinius lib. 34. c. 6. nominat: verum etiam marmoreae, quae scalpuntur. vt igitur Xenophontis librum omnibus omnium simulacris Cicero praeferret; marmorea etiam opera, quae antea non nominauerat, pictis et fictis adiunxit.

Timoleonti] Corinthio, cuius res gestas Timaeus exposuit. vitam eius ab Aemilio Probo et Plutarcho scriptam habemus. Timaei scripta perierunt.

Herodoto] Qui nouem libros Musarum nominibus inscripsit; et in eorum septimo et octauo, quorum

rum alteri Polymniae, alteri Vraniae nomen est, Themistoclis virtutem et prudentiam singularem ostendit. *Patrem historiae* lib. 1. de Leg. c. 1. Cicero vocat, quia princeps historiam ornauerat, vt idem Cicero lib. 2. de Orat. c. 13.

Sigaeum] Troiae promontorium.

Dixit] His verbis: *O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inueneris.* In orat. pro Archia c. 10. et Plutarchus in vita.

Naeuianus] Apud Naeuium poetam.

A laudato viro] Abs te, pater, laudato viro. alloquebatur enim patrem Hector apud Naeuium, vt ex lib. 15. epist. 6 cognoscitur.

Quod nonnulli saepe reprehenderunt] Itaque prouerbio reprehenditur: *Te ipsum laudas, tamquam Astydamas.*

Multorum exemplo] L. Sulla Commentariorum libros 22. vt auctor est Plutarchus, composuit de rebus suis M. Scaurus, ille princeps senatus, tres libros de vita ipsius acta perscripsit, quos memorat Cicero in Bruto c. 29. et Tacitus in Agricolae, soceri sui, vita. c. 1. eiusdem Scauri aequalis et inimicus, P. Rutilius vitam suam litteris mandauit, forsitan aemulatione permotus. Hos maxime, et alios quoque Cicero significat.

Verecundius ipsi de sese scribant] *Impeditum, se ipsum laudare*, dixit Caecina in epistola ad Ciceronem lib. 6. 7.

Praecones ludorum gymnicorum] Praecones in ludis gymnicis erant poetae Melici, qualis fuit Pindarus, et alii, qui lyra et cantu certatim Olympionicarum laudes et praeclara facta celebrabant. ex magno autem poetarum numero, qui ceteris ingenio praestitisse putabatur, is et Olympionici coronam imponebat; cum tamen eius patriam, non eum, coronari pronunciaret; et ipse, tamquam poetico certamine victor, ab alio poeta, eum laudante, coronabatur. Plinius lib. 16. c. 4. *Ludi* autem *gymnici* erant, in quibus nudi exercebantur, apud vrbes Graeciae, Elidem, et Pisas. eadem *Olympica certamina* vocabantur. nam, quae Pisae, *Olympia* postea appellata. Nudi autem certabant, vt apud Pollucem scriptum est, lucta, cursu, pugillatione, disco, saltu. Vide Plutarchum περὶ τῦ ἑαυτὸν ἀνεπιφθόνως ἐπαινεῖν. Horum ludorum inuentorem Arcadem Lycaonem Plinius nominat lib. 7. c. 56.

Ceteris victoribus] Olympionicis, qui non a quouis poeta, sed a victore coronabantur. *Ceteris*, igitur dixit, quia ipsi quoque praecones, quos fuisse poetas diximus, victores erant, itaque post ludorum missionem corona donabantur.

Coronas] Oleastri. Plinius lib. 15. c. 4. et lib. 16. c. 44. et Plutarchus in Catone.

Se victores esse] Praeconum quoque certamen fuisse, tum ex hoc admonemur loco, tum ex Pausania, cuius haec sunt verba Eliac. α. Σαλπιγκταῖς δὲ ἐφεσηκόσιν αὐτῷ, καὶ τοῖς κήρυξιν ἀγωνίζεσθαι καθέσηκε.

Alacres animo sumus] Plus omnino significauit, quam si *cupimus* aut aliquid simile dixisset; nam in alacritate index laetitiae motus inest.

Suscipis

Suscipis causſam] Saepe iam dixi, *causſam* pro eo, quod agitur, vsurpari.

Commentarios] Perpetuam ac diligentem, nullis ingenii luminibus distinctam, rerum narrationem. *Commentarii* enim dicuntur, qui materiam historiae praebent. In Bruto c. 75. de Caesaris commentariis: *Nudi sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto. sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Ciceronem in obitu filiae Lucceius litteris consolatus erat. eae litterae quantum profecerint, et simul quam omnis recuperandae reipublicae spes amissa sit, haec epistola demonstrat. Caesare IV. consule, sine collega.

EXPLANATIO.

Beneuolentiam] Quae ipsa per se valet ad consolandum; coniuncta vero pari prudentia, multo plus.

Pari prudentia] Rationibus ad leuandum curas accommodatis.

Non aliunde pendere] Quod perfectae virtutis est: sine qua fortunam quotidie cogimur timere. *aliunde* igitur *pendet*, qui extrinsecus, id est ab ipsa fortuna, exspectat omnia. Haec tota sententia ex Platonis Epitaphio sumpta est: Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται, ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἀνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνων, τούτῳ ἄρισα παρεσκεύασται ζῆν.

Aut bene, aut male] Fortunae enim arbitrio vel beatam vitam vel miseram exspectat, qui virtute caret.

Suspensas] Minime firmas. incerta enim sunt, quae in fortuna ponuntur. Praeclare in hanc sententiam pronunciauit illa Cicero in Parad. 2. *Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se vno sua posuit omnia. cui spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi; nihil, quod exploratum habeat, permansurum sibi vnum diem.*

Tempestatum] Aduersa tempora *tempestates* vocat, translatione vsus, vt lib. 4. epist. 3. *Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram.* Cum, inquit, ego quoque fortunae vim contemnerem, praesidii satis esse ad omnes casus in vna virtute existimaram; ab hac tamen sententia, temporibus vexatus, prope desciveram: sed me labantem confirmarunt litterae tuae.

Concursu] Concurrentibus in me calamitatibus, suoque impetu insitam illam opinionem non omnino quidem, sed aliquantum labefactantibus atque conuellentibus.

Contra sia]

Conuulsa] Metaphorae conclusio: quam in verbo *excidisset*, institutam, verbis deinde similibus exceptam, et ad exitum sententiae conseruatam videmus. *Conuellere* autem plus aliquanto significat, quam *labefactare*. nam *labefactare* mouere est, non amouere et auferre: *conuellere* vero, ita mouere, vt separatio sequatur. itaque seorsum, quasi diuersa, ponuntur in orat. pro Cluentio c. 2. *Si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio conuellet, si oratio labefactabit.* et lib. 2. de Orat. c. 51. *Ne conuellere adoriamur ea, quae non possint commoueri.*

Proximis litteris] Binis igitur litteris Ciceronem Lucceius consolatus erat. nam de posterioribus in eo significat, *cui te opitulari et videor.* de prioribus, cum ait: *et id feciisse etiam proximis litteris, multumque profecisse sentio.*

Sed etiam declarandum] Potest enim obscura esse significatio, cum non omnia signa perspicue demonstrent; declaratio non potest. Pro Milone c. 2. *Si vnquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, vbi sua studia erga fortes et bonos ciues, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent.*

Itaque] Quiddam accederet ad sententiam, si legeretur, *atque*. nec tamen, *itaque*, reiicio, praesertim ab antiquis libris comprobatum.

Haec aliquando futura meliora] Hic locus ostendit, Lucceii consolationem adhibitam esse non ad eam tantum sollicitudinem, quam ex obitu filiae Cicero capiebat, sed ad moerorem etiam ex reipublicae pernicie susceptum, idemque confirmatur infra, in eo loco: *Et domestica feremus, vt censes: et publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecipis.*

Casus gladiatorii] Gladiatorum similitudine Lucceius probare studuerat, non esse penitus de republica desperandum: cum saepe, qui iam victus ab aduersario gladiator videtur, is ita conualeat, vt victorem prosternat.

Vetabant] Non quod re vera proficerent, sed eo spectabant, vt ad aliquam spem traducerer. ex quo videbam, te aliqua spe teneri: cum ego prorsus desperem.

Cum aliquid speres] Cum ego nihil sperem: et, qui nulla spe tenetur, eum esse fortem quis non miretur?

Ita affectum] Eo calamitatis et miseriae redactum.

Fractum debilitatumue] Vt enim integris firmitas, ita fractis debilitas inest. sic lib. 1. epist. 9. *In te potissimum fractam illam et debilitatam vim suam contulit.* Pro Flacco c. 26. *Auctoritate tanta est,* (Athenienſium vrbs) *vt iam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen huius vrbis laude nitatur.* Lib. 1. de Orat. c 26. *Adolescentulus sic initio accusationis exanimatus sum, vt hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.*

Monimentis ERN. *Monitis*] Tantam apud se esse Lucceii auctoritatem ostendit, vt, quamquam de republica prorsus actum putet, dolorem tamen, eo monente et praecipiente, abiicere decreuerit.

Domestica] Interitum filiae.

Spes

Spes aliqua] Ob rationes a te collectas, maximeque ob gladiatorios casus.

Vt tu tamen idem] Adductis iam rationibus ad aliquam sublevandae reipublicae spem accommodatis, ad illam postremo consolationem Lucceius confugerat, vt diceret, vel in summa desperatione fortitudinem tamen esse Ciceroni praecipue retinendam. cur enim qui maximas res, aduersis patriae temporibus, fortissime gesserit, idem non perpetuo se sui similem, id est, fortem constantemque praebeat?

Conscientiae] Quod est maximum solatium in malis. lib. 4. epist. 3. *Me quidem multa iam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum.* et lib. 6. epist. 1.

Te auctore] Consilio tuo.

Gessimus] Catilinae tempora significat. tunc enim maxime virtus Ciceronis enituit: et eas saepe res gloriose commemorat.

Ab animo cuiusquam, aut consilio hominis] In opprimenda coniuratione non animi tantum sed consilii quoque praestantia opus fuit. ideo coniungit vtrumque in epist. 7. cum ait: *Quae, cum veneris, tanto consilio, tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces.*

Aliquid] Quid amplius potuit? Nimirum haud paullo plus, quam satis est, auidior gloriae fuit Cicero noster: quod ipse ad Dolabellam scribens, lib. 9. epist. 14. ingenue confessus est. nos autem amemus ingenium, et imitemur, quantum licet, eloquentiam, cuius in illo praestantissimum habemus exemplum: si qua tantis virtutibus adsperſa labes fuit, vt est saepe naeuus aliquis in pulcherrimo corpore, dissimulemus potius, quam reprehendamus.

Ad ea] Ad illa praeclara philosophiae studia, quae maxime post euersam rempublicam coluit: quod eius indicant scripta, de Officiis, de Finibus, Tusculanae disputationes, et alia.

Secundae res ornantur] Quia philosophiae praeceptis ita nos gerimus in secunda fortuna, vt ab omnibus temperantiae laudem consequamur.

Aduersae adiuuantur] Tum quia philosophiae tractatio ita delectat, vt a ceteris molestiis animum abducat: tum etiam, quia, quod absit a culpa, non esse malum persuadet, ideoque nec magnopere dolendum. Laudat eadem studia lib. 4 epist. 3. et lib. 6. epist. 12. et lib. 9. epist. 2. 3. et alibi saepe.

Iisdem studiis] Sic malo, vt est in duobus antiquis libris, quam, vt in duodecim, *iisdemque studiis.* copulam non video necessariam esse, et additam suspicor e coniectura, quod illud, *animorum coniunctione*, ad verbum *fruemur*, referendum videretur: cum a se ipso potius regatur; vt sit: ideo simul esse videbimur, quia fruemur iisdem studiis, animis coniunctis.

EPISTO-

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Duas ad Ciceronem Lucceius consolatorias misit epistolas; et vtrique Cicero respondit. Lucceii prior desideratur; Ciceronis vtraque exstat. In hac quaerit primum causam Lucceius, cur ab vrbe Cicero absit; laudat, si solitudinem sequitur, vt otio ad scribendum abundet; non probat, si moeroris caussa, ob filiae mortem suscepti: deinde rationes, cur dolori finem facere debeat, subiungit. ad rationes postremo preces addit, sibi vt hoc tribuat roganti, ne diutius angatur. Claudit epistolam amoris et modestiae significatio. Eodem anno scripta.

EXPLANATIO.

Quam discesseras] Cur hoc mendosum suspicati quidam sint, quibus placuisse video, *quam discesserit*, non equidem intelligo; praesertim cum antiqui omnes libri, quibus quidem ego nunc vtor, cum vulgata lectione consentiant.

Hinc] Ab vrbe.

Solitudine] In quam se post obitum filiae Cicero contulerat. Lib. 12 ad Attic. epist. 13. *Me haec solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. te vnum desidero; sed litteris non difficilius vtor, quam si domi essem: ardor tamen ille vrget et manet, non mehercule indulgente me; sed tamen non repugnante.* Et ibidem, epist. 14. 15. 16. 18. 21. 22.

Cum scribas] Scripsit in solitudine librum de Consolatione ad se ipsum. scripsit etiam libros quinque de Finibus: quod vtrumque ex epistolis ad Atticum intelligitur.

Quorum consuesti] Quorum aliquid agere consuesti. Graeca figura.

Lacrimis et tristitiae] Fletus et moeror dolentis animi signa sunt. quae tamen saepe ratio minuit, interdum etiam plane tollit. propterea Ciceronem hortatur Lucceius, vt a lacrumis tristitiaque abstineat.

Non possum te non, si concedis] In vulgatis libris, *nec possum*. malui, *non possum*, vt habent omnes antiqui libri. alterum *non*, quod refertur ad verbum *accusare*, paullo videtur durius. verum in antiquorum scriptis, vnde haurimus vbertatem Latinae linguae, excusanda omnia, non omnia tamen imitanda. quamquam hic veterum librorum dissensio nonnullam mendi suspicationem affert. alii enim habent, *non possum te, nam si concedis*: alii, *non possum te, si non concedis*: alii, *non possum te, nam si non concedis*.

Aperta non videbis] Quid enim apertius, quam, nihil profici querelis?

Duplicari] Augetur enim dolor retractando.

Vel nostram communem] Vel ita viue, vt viuimus omnes: vel, si nostram consuetudinem imitari non vis, viue saltem, vt solebas ipse; sequere eam consuetudinem, quae tua solius ac propria fuit, vt ab isto angore te liberes.

Tuam solius] Sic pro Q. Roscio c. 1. *Paullo ante M. Perpernae, P. Saturii tabulas poscebamus: nunc tuas, C. Fanni Chaerea, solius flagitamus.* Liuius lib. 2. c. 8. *Gratae in vulgus leges fuere, quas cum solus pertulisset, vt sua vnius in his gratia esset; tum deinde comitia collegae subrogando habuit.*

Propriam] Si non impetro, vt ad communem, saltem, vt ad tuam consuetudinem redeas, et peto, et impetrare debeo.

Studio] Minuendi doloris tui cupiditate.

Contrariae] Nam neque plura scribo, ne te obtundam: et plura tamen libenter scriberem, ne permaneres in incepto, id est, ne susceptum dolorem diutius ferres. Fortasse autem dixit, *cupio non obtundere te*, quod alteris iam litteris antea consolatus erat.

In altera] In hoc studio meo leuandi doloris tui.

In altera] Quod hortor et rogo, vt istis te molestiis laxes.

Non offendas] *Offendere* quinque modis accipitur. Aut enim est *laedere:* quae notissima significatio est: propterea supersedebo exemplis. Aut *reperire:* vt lib. 1. epist. 9. *Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti.* Et lib. 4. epist. 14. *Ego tam misero tempore nihil noui consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam rempublicam offendissem.* Aut *incidere:* vt lib. 2. de Inuent. c. 2. *Quod si in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese vni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent.* Aut *peccare*, vel aliquid committere, vnde existimationis, honoris, beneuolentiae iactura fiat: vt lib. 1. epist. 7. *Si cecidisset vt volumus et optamus, omnes te et sapienter et fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos, et cupide et temere fecisse, dicturos.* Et lib. 2. epist. 18. *Si dignum se maioribus suis praebuerit, (vt spero, et opto,) tua laus ex aliqua parte fuerit. Sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit.* Et lib. 10. ad Attic. epist. 4. *Eumque perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de aerario.* Et pro Cluentio c. 23. *Qui bis apud eos iudices offendisset.* Aut passiue sumitur: quae minus nota significatio est. non enim est hic, *offendas*, pro *pecces*, vt credidit homo doctus, exemplis adductus alio spectantibus, sed pro *offendaris.* quod ipse probat Cicero. nam lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Si quis est*, inquit, *in quo tam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil crediderit, nullam partem existimationis tuae commiseris.* Lib. 1. in Ver. c. 25. *Hospes lanitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere coepit.* Et Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 32. *At, credo, si Caesarem probatis, in me offenditis.* Quae si attendantur, profecto patiendi vim potius habere videbuntur, quam agendi.

EPISTO-

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Quaerenti Lucceio, cur ab vrbe absit, eiusque sollicitudines minuere conanti, ad vtrumque respondet: lugere se non tam filiae obitum, quam reipublicae tempora; in vrbe non esse, quod in ea nihil iucundum, odi sa omnia.

EXPLANATIO.

Dicerem, iucundus] Dixi iam, nihil esse iucundum, quin idem gratum; non contra: nam saepe multa grata, non eadem iucunda. lib. 4. epist. 6 *Cuius officia, iucundiora scilicet saepe mihi fuerunt; numquam tamen gratiora.*

In omne tempus] Ad temporis et nomen ipsum, et significationem vtimur particula *in*. Lib. 11. epist. 14. *In multa secula videbamus rempublicam liberatam.* Et in orat 3. in Rullum c. 2. *Qui otii et concordiae patronum me in hunc annum reipublicae professus sim.*

Ob eam vnam caussam] Ob interitum filiae: quo equidem angor, sed non haec vna me torquet cura, verum illa simul, quod nec ab amicis, qui supersunt pauciſſimi, nec ab ipsa republica, quae ipsa quoque interiit, nec mehercule a litteris, quae negare perfugium videntur, solatium petere possum. Eripuit igitur mihi iucunditatem in omne tempus non tam filiae mors, quam amissio reipublicae et amicorum: quae remedia tanti vulneris esse debebant.

Quam tu suspicaris] Scripserat enim Lucceius: *Sin autem, sicut hic dum eras, et lacrimis ac tristitiae te tradidisti.*

Leniſſimis et amantiſſimis verbis] Ita enim scripserat Lucceius, vt et modestiam suam, et eximiam in Ciceronem beneuolentiam ostenderet.

Re grauiter accusas] In eo loco: *Tu solus aperta non videbis?*

Illius tanti vulneris] Cruciatus ex obitu filiae summus translatione demonstratur. est enim acerbus vulnerum dolor, eoque magis, quo grauiora sunt. ideo satis non putauit, *vulneris*, sed addidit, *tanti*. sic ad Sulpicium, lib. 4. epist. 6 *Hoc tam graui vulnere.*

Habuimus enim fere communes] Propterea scis, quam non multi supersint.

Occiderunt] Ciuili bello Caesaris et Pompeii, vt duo Lentuli, L. Domitius, M. Bibulus, Ap. Claudius, L. Scipio, consulares omnes.

Obdurauerunt] Vt M Marcellus, qui Mitylenis in exsulio maluit, quam in patria seruitute oppressa vitam ducere. postea tamen, Ciceronis litteris, reditum suadentibus, permotus, cum ad vrbem se conferret, in itinere a familiari suo Magio Cilone occisus est. lib. 4. epist. 12.

Vetustas] Vetus notitia. lib. 10. epist. 10. lib. 11. epist. 16. lib. 13. epist. 32

In Tusculano] Quae villa fuerat antea L. Sullae dictatoris. Plinius lib. 22. c. 6.

Vicinitas non requiritur] Possunt ciues, licet prope non habitent, crebro tamen, nec vllo incommodo, simul esse, quia forum commune sit, quo omnes quotidie fere coeunt.

Florere] Gratia, auctoritate, gloria. lib. 4. epist. 13. *In qua vrbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus.*

Oporteret] Quia senibus rerum pro republica gestarum, optimorumque consiliorum praemia sunt gratia, auctoritas, gloria.

Viuere etiam puderet] Amissa libertate, sine qua bonis ciuibus dulce nihil est. lib. 4. epist. 13. *Saepius mihi veniebat in mentem, queri, quod ita viuerem, quam gaudere, quod viuerem.* Et lib. 7. epist. 3. *Vbi non sis, qui fueris, non esse cur velis viuere.*

Domesticis] Non domesticis ornamentis, sed solatiis: ornamentis autem forensibus. nam, cum eum reipublicae calamitatibus moerentem consolari filia soleret; domesticum quoque, illius morte, solatium amiserat. lib. 4. epist. 6. *Mihi, amissis ornamentis iis, quae ipse commentoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus: vnum manebat illud solatium, quod ereptum est.* Et in eadem, paullo post: *Non enim, vt tum me a republica moestum domus excipiebat, quae leuaret: sic nunc, domo moerens, ad rempublicam confugere possum, vt in eius bonis acquiescam.*

Forensibus ornamentis] Honestate, dignitate, honoribus. haec enim nominat Sulpicius lib. 4. epist. 5. et Cicero respondens *ornamenta sua* vocat. Potest etiam referri ad gratiam, auctoritatem, gloriam: quibus cum antea Cicero floruisset, caruit omnino post interitum reipublicae, idque scribit lib. 9. epist. 13.

Quid enim aliud facere possum] Sublata reipublicae administrandae facultate.

Ipsae illae] Quibus vtor assidue.

A portu] In eas enim ego me, tot malis vexatus, tamquam ex tempestate in portum recepi: sed eiicior et excludor: hoc est, ne in iis quidem acquiesco: quandoquidem exprobrare mihi videntur, quod in ea vita maneam, in qua miseria semper eadem futura sit. oderunt enim turpia: nec seruitute quidquam turpius.

In qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis] Quod Plautus dixit in Trin. Act. 2. Sc. 2. v. 59.

—— *Illi producit vitam ad miseriam.*

Hic] Quae cum ita sint, tu tamen ea me abesse vrbe miraris. subiungitur admiratio narrationi: vt lib. 7. epist. 13. *Hic tu me etiam insimulas.* Lib. 5. in Ver. c. 52. *Hic tu etiam dicere audebis, Est in iudicibus ille familiaris meus, est paternus amicus ille?* Pro Archia c. 4. *Hic tu tabulas desideras Heracleensium publicas.* Sic lib. 1. epist. 9. *Hic ego, quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus omnibus, rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium.*

Fori, curiae] Iudiciorum, et senatus. nam in foro iudicia, in curia senatus habebatur. lib. 4. epist. 6. *Nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram.*

Medici-

Franckesche Stiftungen zu Halle

Medicinam] Perfugium, solatium, portus, medicina, remedium vulneris, eodem spectant: quibus nominibus Cicero vtitur in hac epistola.

Doloris obliuionem] Aberrationem quandam a dolore. sic enim appellauit lib. 12. ad Attic. epist. 38. *Si, qui me*, inquit, *fractum esse animo, et debilitatum putant, sciant, quid litterarum et cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, siue ita leuatus sim, vt animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; siue hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima, doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.*

Quodsi id egissemus] Si id vtrique nostrum curae fuisset, vt vna essemus.

Propter quotidianos metus] Qui enim quotidie timet, non modo non agit, sed ne cogitat quidem ea, quae agenda essent.

Omne tempus] Post suum a Thessalica pugna reditum in Italiam.

Offenderet] Offenderet quidem, sed non tam grauiter. nam, si essemus vna; teque non ita, vt horis omnibus timeo, male affectum viderem; et minus angerer.

Moeror meus] Tu quoque leviorem, quam nunc, ex moerore meo molestiam praesens susciperes. amor enim maiora fingit omnia.

Consequamur] Non dicit, *curemus*, sed, *consequamur*. situm enim id erat in vtriusque potestate. paullo ante, *nec mehercule*, inquit, *intelligo, quid impediat.*

Aptius] Ne tua me valetudo, te moeror meus offendat.

EPISTOLAE XVI.

ARGVMENTVM.

Moerentem Titium interitu filii consolatur. Orditur autem primum a dolore suo; quia communicatio doloris quasi quaedam consolatio est: deinde suam commemorat beneuolentiam, qua commotus ad consolandum aggreditur: postremo, languentem amicum spe confirmat, cum opem afflicto aliquam pollicetur. Tres igitur partes tamquam prooemii loco sunt. Consolatio autem multiplex est et copiosa, ab ingenii doctrinaeque fontibus deriuata. Angeris interitu filii. Quid? tibine soli ante diem eripiuntur filii? nascimur omnes ea lege, plurimis vt afficiamur incommodis; itaque non debes aut propriam et praecipuam conditionem postulare, aut communem recusare. quis porro quod nullo vitare consilio potest, id cum euenerit, angatur? haec si ratio parum ad minuendam sollicitudinem proficit; adde exempla, quaeque aliis eadem, aut similia contigerint, animadverte; ne nimium isto casu, quasi proprium tibi fortuna vulnus infixerit, ingemiscas. Haec, atque huius generis alia, vt ad leniendum dolorem vehementer apta, litterarum monumentis mandanda sapientissimi homines consuerunt: eaque nos in ore semper atque in animo habere debemus: sed nulla magis consolatio proficiet, quam si miserias

horum temporum, et statum nostrae ciuitatis tibi ante oculos propones. quis enim, cum probitati, aut bonis artibus, atque adeo libertati et saluti nihil iam relictum sit loci, filios habere cupiat, ac non potius beatum se, quia nullos omnino fuisse perit, existimet? sin aliquis eos amisit, non ille quidem propterea beatus est, (nec enim gaudere debemus liberorum interitu, neque id natura patitur,) sed certe minus miser, quam si eosdem, stante, aut saltem non penitus euersa republica, perdidisset. Age, concedis haec esse vera, nec infeliciter cum iis esse actum, qui tam miseris temporibus a vita discesserunt: sed incommodo tuo moeres liberorum suauitate priuatus. Fateor id quidem acerbum esse: verumtamen cum te antea semper et priuatis in rebus et publicis praestiti, tuenda tibi vt sit grauitas, et constantiae seruiendum. Venit etiam in mentem, ideo te fortasse cruciari, quod eos, qui mortui sunt, versari in miseria putes. Mihi vero quod saepissime legi, et audiui, vel miseria nulla videtur esse in morte, si caret sensu; vel si residet in ea sensus, immortalitas potius appellanda, quam mors. Verum finge, miseros esse, qui occiderunt. nihil in morte grauius esse potest, quam quae reipublicae impendent. Postremo, cum omnes luctus vetustate tollantur, impetret statim ratio, quod impetratura aliquando dies est. Quo anno scripta, non liquet: mihi tamen post Pharsalicum scripta proeatum videtur ex iis verbis: bona, aut denique aliqua republica, *quod ante victum Pompeium, vt opinor, non diceret. Eodem illud spectat:* hoc grauissimo, et pestilentissimo anno. *Et illud:* quid est enim iam non modo pudori, probitati virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci?

EXPLANATIO.

Etsi vnus] Non dissimile principium epist. 18.

Tantum cepi doloris] Hoc ipso iam incipit consolari. nam doloris communicatio solatii nonnihil afferre solet. lib. 4. epist. 6. *Quantum* inquit, *praesens me adiuuare poteris, et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo.* Sic Sulpicius lib. 4. epist. 5.

Longius] Dolemus vterque, sed impari dolore; cum tu filium lugeas, ego tuo dolore doleam.

Tamdiu] Non statim igitur eum consolatus est, audito interitu eius filii.

Peruulgata] Quae patet omnibus: sed nos propriam quandam e statu nostrae ciuitatis consolationem capere debemus; qui eiusmodi est, vt beatissimi videantur, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica perdidissent. Consolatio haec a communi omnium hominum conditione sumitur, vt epist. 18. et lib. 6. epist. 6. altera, quae sequitur proxima, a temporum statu: quod idem notauimus infra, in epist. 18.

Ea lege natos] Interpretatio antecedentium verborum.

Vt omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra] Quod etiam senarius ille Naeuii poetae docet:

Pati

Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.

Accidiſſe] Cum aduerſi aliquid nobis accidit, euenta aliorum memoria repetamus.

Neque hae ERN. *Haec*] Conſolationem vnam propoſuit; deinde ſubiunxit, *haec*, quaſi non vnam ſolam propoſuiſſet. verum, quae conſolationis vnius partes ſunt, *conſolationes* appellat. partes autem hae ſunt, vna, *homines nos vt eſſe meminerimus*; altera, *neque eſſe recuſandum*; tertia, *ne tam grauiter*; poſtrema, *euentisque aliorum.*

Vſurpatae] In ſermonibus vſurpatae, atque etiam ſcriptis conſignatae. nam *vſurpari* dicitur, quod vſitatum antea, ſermonibus refertur, vt Phil. 2. c. 14. *Quod ſi te in iudicium quis adducat, vſurpetque illud Caſſianum, Cui bono fuerit.* et alibi.

Memoriaeque litteris proditae] Scriptis ab hominum obliuione vindicatae. Poſuit idem aliis modis, vt, *memoriae proditae, litteris proditae.* verum, *memoriae litteris proditae*, ita dixit, quaſi, memoriae proditae litterarum adiumento.

Status ipſe noſtrae ciuitatis] Quem intuens diligere vitam nemo debet.

Aut denique aliqua] Oſtendit, nullam eſſe rempublicam. quo adducor, vt poſt interitum Pompeii ſcriptam epiſtolam exiſtimem.

Tuum deſiderium] Quia deſideras, quos amiſiſti.

Tuarum rerum cogitatione] Non puto, *tuarum rerum*, de fortunis dici, ſed de liberis immatura morte ereptis: vt ſit, *tuarum rerum*, pro, *tuorum incommodorum:* quod indicant et quae antecedunt, et quae ſequuntur.

Vniuerſum] Dixit iam, *ſtatui adhibere aliquam modicam conſolationem, quae leuare dolorem tuum poſſet, ſi minus ſanare potuiſſet.* Tua, inquit, cauſſa ſi doles, qui cares iis, quos dilexiſti: prorſus tibi iſtum dolorem euelli poſſe non arbitror: haeret enim quodammodo in ipſa natura, quae amorem quendam in ea, quae procreata ſunt, cunctis ingenerauit animantibus.

Quae magis amoris eſt] Qui enim ſua potius, quam aliorum cauſſa angitur, vere non amat. contra, id magis amoris eſt, aliorum miſerias ipſorum cauſſa lugere, non noſtra.

Nihil mali eſſe in morte — quae non ſentiatur] Haec ſe Cicero legiſſe dicit. legerat autem cum aliorum alia, tum illud Xenophontis lib. 8. c. 7. Cyri paediae de ipſo Cyro moriente: cuius haec ſunt verba ad filios: Ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη ἐσομαι, ὡς μηδὲν ἂν ἔτι κακὸν παθεῖν, μήτε ἢν μετὰ τῦ θείυ γένωμαι, μήτε ἢν μηδὲν ἔτι ὦ. Eandem ſententiam, vt auctore Lactantio lib. 3. c. 19. cognouimus, libro de Legibus incerto expreſſit Cicero his verbis: *Gratulemur nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui eſt in vita, aut certe non deteriorem eſt allatura ſtatum. nam ſine corpore, animo vigente, diuina eſt vita; ſenſu carenti nihil profecto eſt mali.* Et in Hortenſio, apud Auguſtinum lib. 14. Trin. c. vlt. *Magna ſpes eſt, aut ſi hoc, quod ſentimus et ſapimus, mortale et caducum eſt, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occaſum,*

sum, neque molestam exstinctionem, et quasi quietem vitae fore: aut si, vt antiquis philosophis, hisque maximis, longeque clarissimis placuit, aeternos animos, ac diuinos habemus: sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in cursu, id est in ratione et inuestigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint, atque implicuerint hominum vitiis, atque erroribus, hoc illis faciliorem adscensum, et reditum in caelum fore.

Si resideat sensus] Quod sensere Pherecydes, Pythagoras, Socrates, Plato, alii postea. Tusc. 1. idque ipse Cicero comprobat in libro de Senectute, ex Catonis Censorii persona. in oratione autem pro Archia c. 12. dubitare videtur his verbis: *Haec siue a meo sensu post mortem abfutura est, siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.*

Sin sit amissus] Qua in sententia maxime fuit Epicurus; cum ita disputaret: *Mors nihil ad nos. nam quod dissolutum est, sensu caret: quod sensu caret, nihil ad nos.* Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrh. hypot. c. 24.

Reliquerit] A vita discedens.

Deceptus] Tamquam aliquo bono priuatus.

Pestilentissimo] Quo, tamquam peste aliqua, occiderunt.

Ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse] Quod putare debes tribus de caussis, vel si resideat in morte sensus, vel si cum corporibus animi simul intereant, vel quod ea reipublica impendeant, quae qui reliquerit, nullo modo deceptus esse videatur.

Cura doloris tui] Cura illa, quia dolet tua caussa.

Non cum illis] Non enim ideo dolebis, quia mali aliquid iis euenerit; sed ob incommodum tuum.

A puero] Sapientia non cadit in puerum: sed elucere tamen in illa aetate signa quaedam futurae sapientiae possunt. est igitur laudatio paullo liberalior, vt ad minuendum moerorem valeat. qualis enim de nobis opinio est, tales vt re ipsa nos praestemus, operam dare solemus. itaque post laudem sequitur admonitio; tuendam esse grauitatem, et constantiae seruiendum.

Incommodorum tuorum] Quod amiseris eos, quos amabas.

Dilexeris] Etsi *diligere*, minus est, quam *amare*: quod patet ex illo loco lib. 9 epist. 14. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse*: et ex altero epist. 1. ad M. Brutum: *L. Clodius valde me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat*; tamen hic pro *amare* accipitur. paullo enim ante dictum est, *ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse.*

Seiunctus] Cur nihil in morte mali sit, antea demonstrauit, vel manente sensu, vel amisso.

Tuenda] Qui tuetur, defendit: et quoniam, qui defendit, conservare cupit; ideo factum, vt *tueri* pro *conseruare* capiatur, vt hic.

Constantiae] Constantia grauitatem sequitur, vt inconstantia levitatem. recte igitur grauitas primum,

mum, deinde constantia nominata est, vt etiam lib. 2. epist. 6.

Seruiendum] Quid est, *seruire constantiae?* exsequi ea, quae constantia postulat, nihil contra committere.

Quod allatura est ipsa diuturnitas] Eandem sententiam Sulpicius in ipso Cicerone consolando vsurpauit, lib. 4. epist. 5. *Nullus*, inquit, *dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere.* Et Cicero lib. 7. epist. 28. et lib. 12. ad Attic. epist. 11. Quod autem hic *diuturnitas*, paullo post, et lib. 7. epist. 28. dixit, *dies:* Sulpicius autem, *longinquitas temporis.*

Praecipere ERN. *Praeripere*] Paullo post, *anteferre* et *repraesentare.* lib. 10. ad Attic. epist. 1. *Non praeripiam, sed exspectabo consilium.*

Consilio prudentiaque] Paullo post, *ratione.*

Mulier] Vim diuturnitatis exemplo mulierum ostendit, quas ratio non consolatur. quod si muliebrem luctum dies minuit; multo magis minuet in viris, qui consilio prudentiaque praestant. quod igitur futurum est, cur non ratio repraesentet?

Repraesentare] Repraesentat is, qui, quod aliquanto post facturus est, statim facit.

Beneuolentissimi atque amicissimi] Etsi *beneuolentia* pro amore sumitur; quia nemo fere cuiquam, nisi quem amet, bene velle beneque cupere videtur: proprie tamen *beneuolus* ab amico, et *beneuolentia* ab amicitia differt. quod hic locus ostendit, et ille lib. 1. de Fin. c. 10. *Quos tu paullo ante cum memoriter, tum etiam erga nos amice et beneuole collegisti.* Et in oratione pro Oppio, cuius testimonio vtitur lib. 9. c. 2. Quinctilianus: *O amorem mirum! o beneuolentiam singularem!* Ad Appium lib. 3. epist. 9. maior amoris vis, quam beneuolentiae, demonstratur. *Nihil est*, inquit, *quod studio, et beneuolentia, vel amore potius, effici non possit.*

EPISTOLAE XVII.

ARGVMENTVM.

Excusat tarditatem litterarum suarum: hortatur Sextium, vt exsulii casum sapienter fortiterque ferat. idque vt ei persuadeat, et vt afflictum consoletur, argumenta sumit a communi omnium hominum conditione, ab ipsius Sexti virtute, ab exemplis, a statu reipublicae, a Sextii filio, a iudicio amicorum, ab ipsius conscientia. postremo, quod ipsum ad moerorem minuendum pertinet, sua studia et officia vel ad consolandum, vel ad leuandum eius fortunam pollicetur omnia. Moralis est, scripta, vt opinor, Caesare et Lepido coss. A. V. C. DCCVI.

EXPLANATIO.

P. SEXTIO P. F.] Vix opinor, ac plane non opinor, hunc esse P. Sextium, pro quo exstat Ciceronis oratio, qui C. Antonii primum

mum consulis, deinde Macedoniae proconsulis quaestor fuit. cur ita existimem, occurrunt haec: primum, fuisse illum, quem Cicero defendit, Lucii filium, non Publii, vt indicat inscriptio lib. 5. epist. 6. neque in eo libri veteres a recentioribus vulgatis dissentiunt. nec dubito, quin Tiro, qui patroni sui Ciceronis epistolas in volumina retulit, vtrique Sextio in litterarum inscriptione praenomen patris, vt internoscerentur, addiderit, quoniam vtrique praenomen et nomen idem esset. Altera caussa est: quod ille P. Sextius L. F. Romae fuit vsque ad initium belli ciuilis, et inter eos, qui cum imperio essent, nominatur: vt patet lib. 7. ad Attic. epist. 17. et lib. 8. ad eundem epist. 15. et hic Publii filius ante ciuile bellum videtur abfuisse. cum enim ait Cicero, nullas ideo se litteras ad eum misisse, quia priora tempora in ruinis reipublicae, iacuerint, quis non eo coniiciat, Sextium ante ruinas reipublicae, id est, ante ciuile bellum, abfuisse? Tertio loco illud pono. Hic Sextius P. F. quo tempore hanc Cicero epistolam scripsit, exsulabat, iudicio damnatus: quod ex iis verbis intelligo: *Posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis atque acerbissimis incommodis retardarunt.* et infra semel et iterum illius iudicii fit mentio. haec autem epistola, cum illa verba intueor, *proxime*, *recenti aduentu meo*; scripta mihi videtur paullo post Alexandrinum bellum, quo tempore Cicero, qui Brundisii diu iacuerat, concessu Caesaris in vrbem rediit. At ille Sextius L. F. quem Cicero ante ciuile bellum luculenta, quae exstat, oratione defendit, non modo non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post devictos in Hispania Pompeii liberos lege Pompeia caussam dixit. testem habeo lib. 13. ad Attic. epist. 49. Appianus quidem Sextium quendam lege Pompeia de ambitu ante belli ciuilis tempora damnatum, auctor est lib. 2. de bell. ciu. Sed is omnino esse non potuit, neque hic P. Sextius P. F. quem diximus post Alexandrinum bellum esse damnatum; neque ille L. F. qui paucis ante Caesaris necem mensibus lege Pompeia est accusatus. Aut igitur est alius P. Sextius, praeter hos duos: aut Appianus errore temporum, quo peccat saepe, lapsus est, quippe qui in eo ipso loco damnatos eodem, quo Sextium, tempore absentes Milonem et Gabinium dixerit. in quo dupliciter peccat, primum, quia neque Milo neque Gabinius absentes, verum praesentes damnati sunt; deinde, quod Gabinius non Pompeio tertium consule, vt ille ait, sed anno superiore, Calvino et Messalla coss. damnatus est, quod cognoscitur ex Dionis historia lib. 39. de Milone autem praesente, ex oratione pro illo habita et Pediano interprete. Concludamus igitur, aut duos esse P. Sextios, aut in huius epistolae titulo mendum esse, et P. SISTIO, fortasse legendum, vt est in antiquo Maffei libro: aut P. SITTIO, cum in alio item antiquo libro, *P. Sitti*, legatur, vbi est in impressis, *P. Sextii*, quod alii quoque viderunt: sed, quia hunc esse P. Sextium, pro quo exstat oratio, sibi iam persuaserant, ideo mendosum esse veterem librum existimarunt.

In ruinis reipublicae nostrisque] Cum et respublica ciuili bello, et simul

simul bonorum ciuium auctoritas concidisset. priora enim vocat tempora, quae statim ciuile bellum consecuta sunt.

Iacuerunt] Id est, ego iacui per illa tempora, moerore scilicet afflictus.

Posteriora] Accessit post ea, ne scriberem, altera caussa, quod abhorrebat animus a scribendo, cum incommoda tua cogitarem iniustissima atque acerbissima.

Iniustissimis] Quia damnatus erat iniuste: ideo subiungit illa: cum eo tempore inuidia annonae, inimici non solum tui, verum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicii, multaque alia reipublicae vitia plus, quam caussa ipsa veritasque, valuissent.

Acerbissimis] Quid enim acerbius, quam carere patria, liberis, propinquis, amicis, praesertim eum, qui non suo delicto, sed iudicum exsulet iniuria.

Incommodis] Exsulio, in quo multa perferuntur incommoda.

Tuam virtutem] Etsi *virtus* a *viro* dici putatur; tamen etiam adolescentes a virtute laudantur: itaque infra Sextii filii virtus quater nominatur.

Ego te] Saepe narrationem orditur ab hoc pronomine, vt lib. 1. epist. 9. *Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum.* Et iterum, paullo post: *Ego, si ab improbis et perditis ciuibus rempublicam teneri viderem.* Et tertio, aliquanto post: *Ego, cum mihi cum illo magna iam gratia esset.* Sic lib. 5. epist. 6. *Ego, tua gratulatione commotus.* Et lib. 10. epist. 3 *Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto, quam tu natus esses.* et lib. 1. ad Attic. epist. 16. *Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit.* Quae sunt omnia narrationum initia.

Primis temporibus illis] Patet verborum sententia, sed ignota historia. Hoc alii opinati sunt ad Sextium, pro quo exstat oratio, pertinere, et significari tempus illud, quo C. Antonius, Macedonia male administrata, in iudicium vocatus est: quod eius quaestor Sextius, quasi criminum conscius et particeps, accusatus sit. ego iam satis videor probasse, alium hunc esse P. Sextium. praeterea, quod omnino leue non est; quamquam non hac vna ratione nititur opinio nostra; nulla plane cuiusquam criminis aut inuidiae in Sextium concitatae mentio fit lib. 5. epist. 6. cum Antonii tamen accusatio nominetur.

Inuidiam] *Inuidiam* pro infamia saepe vsurpat Cicero: de quo diximus in lib. 1. epist. 1.

Cum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum [*crimen*] ERN. *nomen coniungeretur*] Video existimari posse, caussam de vi nunc significari, in qua Cicero Sextium reum ornatissima, quae exstat, oratione defendit nam et Milo, Sextii familiaris, eodem tempore de vi reus fuit, quo spectare aliquis putauerit illa verba, quae sunt in orat. pro Sextio c. 42. *Quomodo hoc in genere praesidii comparati accusas Sextium, cum idem laudes Milonem?* Et in Vatinium c. 17. *Quaero, cum in republica administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit, (id quod non solum bonorum, verum etiam improborum iudicio declaratum est: est*

est enim reus vterque ob eandem caussam, et eodem crimine) -- *quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere?* Hinc oriri coniectura potest, hunc esse P. Sextium, pro quo legitur oratio. maneo tamen in sententia de Sextiis duobus: et hunc statuo non esse illum, cui Cicero de se in tribunatu plebis optime merito, de vi postea in iudicium adducto, gratiam aemulate retulit patrocinio suo. Nam illud minus me mouet: *cum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur.* non enim ideo Sextium Cicero defendit, quod eius nomen in eius familiarissimi iudicio ac periculo coniungeretur; sed quod suo proprio crimine, proprio etiam accusatore Albinouano, (nam Milonem P. Clodius aedilis accusauit) in iudicium vocaretur. itaque, cum iudicium Milonis, accusante ad populum Clodio, partium impetu et contentione disturbatum esse Cicero lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. scripsisset: subiunxit haec, quasi de alia re: *A.d.* IV. *Id. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia, de ambitu est postulatus: et eodem die a quodam M. Tullio de vi.* et, quamquam vterque de vi, non tamen ad eosdem iudices, nec ab iisdem accusati sunt, sed Milo ad populum, vt in epist. 3. ad Q. Fr. Sextius autem ad praetorem, et iudices ab ipso praetore delectos; et ille, vt dixi, accusante Clodio, hic M. Tullio Albinouano. Alii, *tuum crimen*, non *tuum nomen.* vtrumque recte.

Proxime, recenti aduentu meo] Post Pharsalicam pugnam Cicero, spe veniae ductus, in Italiam rediit; ad vrbem tamen, non nisi confecto Alexandrino bello, venia iam impetrata, se contulit. ostendunt hoc epistolae lib. 11. ad Attic.

Rem aliter institutam] Rationem Sextii defendendi, absentis, vt opinor: nam, si Cicero eum Romae vidisset, non attulisset perpetuam tam longi temporis excusationem: quod fecit initio epistolae: ex quo liquet, Sextium non modo post damnationem, sed etiam aliquanto ante ab vrbe abfuisse.

Inuidia annonae, inimici non solum tui] Cum ei propter annonam, quod frumentum fortasse in aedilitate vili pretio vendidisset, non modo eius inimicus, verum amici etiam inuiderent. Non est inusitatum Ciceroni duobus vti generandi casibus, vt in lib. de Senect. c. 14. *Quid de P. Licinii Crassi et pontificii, et ciuilis iuris studio loquar?* Et lib. 2. de Nat. deor. c. 58. *In iis artibus, quarum iudicium est oculorum.* Et Phil. 14. c. 2. *Cuius imbecillitatem valetudinis, animi virtus, et spes victoriae confirmauit.*

Valuissent] Quia damnatus est.

Publio tuo] Filio.

Hortarer rogaremque] Hortationi saepe adduntur preces. vide epistolam sequentem, et primam lib. 1.

Hominem te et virum] Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat. est enim ἔμφασις in *virum:* vt in epistola sequenti: *te colligas, virumque praebeas.* et Phil. 2. c. 37. *Ille vir fuit: nos quidem contemnendi.* Et lib. 10. ad Attic. epist. 7. *Si vir esse volet, praeclara* συνοδία. et in Bruto c. 71. *Vidi Mitylenis nuper virum, atque vidi plane virum.*

Com-

Communem] Non quod omnes damnentur iniustis iudiciis, sed quod quilibet damnari possit, praesertim vbi concurrant haec, inuidia multorum, iniquitas iudicii, reipublicae vitia. ideo sequitur: *quem neque vitare quisquam nostrum potest.*

Incertumque] Vt communis est casus, quia cuiuis potest incidere: sic incertus, quia, ne sibi incidat, praestare et efficere nemo potest. quae enim sequuntur verba, *vitare*, et *praestare*, illud ad communem casum, hoc refertur ad incertum.

Dolori] Ex iniusta calamitate susceptо.

Fortunae] Addidit, *fortunae*, vt eum culpa liberaret.

Ceteris] Athenis maxime: qua in ciuitate, qui praeter ceteros virtute et rerum gestarum gloria florerent, in exsulium nullo crimine mittebantur. Sic Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon pulsi sunt. exaequari enim omnes, nec eminere quemquam, vtile visum est in libera ciuitate.

Fortissimis atque optimis] Non dubito, quin de fortissimo viro Themistocle, atque aliis nonnullis rei bellicae fama clarissimis, de optimo autem Aristide cogitarit, quem ob insignem iustitiam ostracismo electum esse, Plutarchus et Aemilius Probus narrant.

Ea te republica carere] Eadem ratio in duabus epistolis, quarta et sexta lib. 6.

Dedisse ERN. *Cepisse*] Etsi, *testimonium accipere*, dixit Cicero lib. 2. in Ver. c. 5. tamen hic malim, *dedisse*: quod verbum eo magis placet, quia congruit optime cum eo, quod dictum est, *debitum eius virtuti*. et *dare testimonium*, frequens loquendi modus apud Ciceronem, vt lib. 13. epist. 16. *Testimonium mei de eo iudicii ei libenter dedi*. Et lib. 3. de Leg. c. 1. *Tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium*. Et alibi.

Virtuti] Ad probitatem atque animi praestantiam, non ad doctrinam refero: et paullo post; *pietatem, virtutem, industriam.*

Refricem] Huiusce nominis vim in prima ad Lentulum epistola iam ostendi.

Industriam] Non enim se, vt multi adolescentes, languori et ignaviae dedidit.

Tuam esse, tecum esse duces] Nam, si doles, quod tali filio careas: minus dolebis, si illius virtutem, vbicumque erit, tuam esse, tecum esse duces.

Animi tui conscientiae ERN. *conscientia*] Hoc et satis per se patet, et explanatur sequentibus verbis. interdum tamen venit in mentem de mendo suspicari, cum in omnibus antiquis libris, quibus quidem nunc vtor, scriptum videam, *amicè tuae conscientiae.*

Iniuria] Non iure damnatum Sextium, dixit iam in eo loco, *invidia annonae*: et in eo, *multis fortissimis atque optimis viris, iniustis iudiciis, tales casus incidisse.*

Ego] Promittendi officii locus, quo maxime solamur afflictos, extremae fere datur epistolae. exstat exemplum in his tribus consolatoriis, superiore, et hac, et sequenti.

EPISTO-

EPISTOLAE XVIII.

ARGVMENTVM.

Consolatoria est. valet autem ad consolandum societas aegritudinis. index enim benevolentiae dolor est. itaque Cicero ordiatur a significatione doloris sui, quem ex Fabii ceperat incommodo. sic ad Titium epist. 16. sic Sulpicius lib. 4. epist. 5. et Cicero in ea, quae respondet, levatum se aliqua fatetur luctus parte, non solum oratione Sulpicii et auctoritate, verum etiam societate paene aegritudinis. Hoc igitur initio ad consolandum Fabium aggressus, subiungit haec, quae ad minuendam molestiam valeant; primum, eam esse omnium hominum conditionem, vt aduersa saepe accidant. qua de re sic ad Titium: est autem consolatio peruulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos vt esse meminerimus, ea lege natos vt omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione viuamus. *Alterum: perdita esse tempora, mutato reipublicae statu, quod ideo dicit, vt eam conditionem, quae bonis quoque temporibus tamen omnium communis est, et eodem loco, in eadem ad Titium epistola. Nam, cum de communi conditione posuisset ea, quae proxime recitaui; adiunxit hoc de ratione temporum:* neque hae, neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis viris vsurpatae, memoriaeque litteris proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae ciuitatis, et haec prolatio temporum perditorum. *Tertio loco, bona virtute parta cum fortunae damnis comparauit. quae cogitatio maxime luctum leuat. cui enim plus, quam abstulit fortuna, virtus dedit, is nisi de suo statu laetatur potius, quam angitur, imperitus rerum suarum ratiocinator est, et ea ipsa, quam possidet, virtute videtur indignus. Quarta ratio est, desperatio rerum communium. dixerat iam de praesenti temporum statu: nunc de imminenti subiungit; ne acerbum Fabio videatur, ea republica carere, in qua legum, iudiciorum, bonarum omnium rerum timeatur interitus; praesertim cum ab ea discesserit quam leuissima poena, relictis ei fortunis, liberis, amicis. Consolatio concluditur opinione hominum de illius innocentia, et iniquitate iudicii. Extrema officii promissio: quod ipsum consolandi quoddam genus videtur: itaque similiter claudantur duae superiores, quae consolantur, epistolae. Consolationis caussam non opinor fuisse, quod repulsam in petitione magistratus Fabius tulisset, verum quod iudicio damnatus esset. non enim ob eius repulsam se esse consolandum Cicero diceret; nec eam, vt puto, incommodum vocaret; nec argumentaretur a communi conditione; nec ad repulsam illud spectat,* fortuna abstulit; *nec illud,* quam leuissima poena: *repulsa enim neque poena est, neque nominatur. mentio vero iudicii et sententiae vnius potentiae condonatae, non video qui referri ad repulsam possit. Annum epistolae plane non definio: sed omnino videtur scripta ante ciuile bellum, atque etiam ante quam Cicero iret in prouinciam, cum res Pompeii maximae essent, Caesare in Gallia res gerente. quod illa verba demon-*

demonstrant: ea videtur conditio impendere legum, iudiciorum, temporum, *et illa:* potentiae alicuius condonatum existimetur.

EXPLANATIO.

Non hortor solum] De hoc verbo diximus in lib. 1. epist. 1. et in proxima superiore.

Rogo atque oro] Humilitas in *orando* maior est, quam in *rogando*. vnde *adorare*. *orare* etiam est caussam agere, vnde *orator*. ac tunc, ratione finis, idem est, quod *rogare* et *petere*, quamquam actio diuersa. qui enim rogat, et qui orat, et qui petit, impetrare aliquid cupiunt, et omnes petunt. sed petitio *rogantis* cum solis precibus est; *orantis*, cum rationibus et precibus; vnde *orator*, qui rationibus interdum, ita caussa postulante, preces adiungit. petenti neque preces neque rationes necessariae sunt: quae si adduntur, tum vel *rogare* proprie dicitur, vel *orare*; si non adduntur, *petere* simpliciter.

Te colligas] Ne iterentur eadem, videat lector ea, quae de hoc loquendi modo diximus in lib. 1. epist. 9. ad eum locum, *collegi ipse me, et cum ipsa quasi republica sum colloquutus.*

Virumque praebeas] Vt dolori fortiter ac fortunae resistas, quemadmodum virum decet. eadem sententia in epistola superiore. notum loquendi genus. vide illud lib. 2. epist. 18. *Qui se dignum se maioribus suis praebuerit.*

Dedit] Dedit hominum studia, honores, existimationem.

Abstulit] Non dicitur id auferri, quod petentes non impetramus, sed quod possidentes amittimus. itaque non ad repulsam, sed ad condemnationem hoc refero. aufert autem condemnatio patriam et conuictum amicorum.

Homines noui] *Homo nouus* et *nobilis* opponuntur. qua de re dictum est pluribus verbis in lib. 1. epist. 7.

Plurimi] Quibus damnatio patriam abstulit.

Tu vero] Haec tota sententia mire valet ad consolandum, a tribus deducta fontibus, a praesentibus bonis, a spe futurorum, ab eius innocentia.

Fortunas] Quae si abessent, incommodum augeretur exsulii.

Et liberos] Quos damnatus non amisit.

Necessitudine et beneuolentia coniunctissimos] Amplificatio. nam et amoris caussa, et amor, et summus amor tribus verbis ostenditur.

Sis habiturus] Apte consolatur, qui et amico minuit opinionem praesentis mali; et id ipsum tamen non diuturnum fore pollicetur. quod vtrumque Cicero praestat. cum enim de leuissimo Fabii incommodo iam dixisset; de spe reditus, tamquam minime dubia, subiunxit: fortasse quod eum iudices non exsulii perpetui, sed aliquot annorum poena damnassent. alioqui cur illi promitteret Cicero facultatem vivendi cum suis?

Iudicium] Hoc si attendimus, de Fabii damnatione dubitare non possumus.

Ex tam multis] Hoc adiunxit, ne Pompeio, quo tertium consule, et fortasse ex legibus ab eo latis, illa iudicia facta erant, iniustitiae

maculam inurat. cum enim cogeretur iudicium improbare, quo Fabius damnatus erat; callide et amico vellificatus est, et Pompeii tamen dignitatis rationem habuit.

Vna sententia] Quae Fabium sententiae damnarunt, vna tantum plures fuere, quam quae absoluerunt.

Eaque dubia] Quia condonatum vnius potentiae iudicium existimatur: de iudicum enim integritate non constat. non tuo, inquit, delicto, sed vnius potentia ad gravium sententiarum numerum accesserit. Et hic Pompeio parcit tribus modis. non enim dicit, *eaque corrupta*, sed, *eaque dubia*: nec, *potentiae Pompeii*, sed, *potentiae alicuius*: nec, *condonatum sit*, sed *condonatum existimetur*.

Molestiam] *Incommodum* appellauit supra. notandum hoc genus ad copiam.

Quam leniſſime ERN. *leuiſſime ferre*] Quam tamen ipse non leviſſime ferebat: dixit enim in prima epistolae parte, *nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incommodum tuum*. sed illud, vt dixi, quasi consolandi gratia posuit.

Et qui esse debet] Hoc addit, quia, licet exspectari soleat exitus promissae rei, tamen exspectatur magis, cum promittitur id, quod debetur.

EPISTOLAE XIX.

ARGVMENTVM.

Cum Pompeius, Italia pulsus a Caesare, in Graeciam magno cum bonorum ciuium comitatu, in quibus vterque consul fuit, renouandi belli causſa nauigasset: Rufus ad eum officii causſa, quod ea reipubl cae castra esse videbantur, transire cogitabat. eius consilium probat Cicero; idemque sibi iam diu ait esse constitutum Pompeii causſam meliorem iudicat: de belli exitu non minus aduersa timere, quam sperare videtur secunda. ad extremum tacite petit, non modo vt reipublicae, verum etiam amicitiae suae causſa in sententia maneat. Scripta est post sequentem, profecto iam in Graeciam Pompeio, C. Marcello L. Lentulo coss.

EXPLANATIO.

Rufo] Cognomen hoc esse L. Mescinii, Ciceronis antea quaestoris in Cilicia, iampridem existimavi, adductus in hanc opinionem epistola sequenti: in qua tum de rationibus agitur ab eo referendis, quod quaestorii muneris erat, tum etiam Rufi frater M. Mindius nominatur: et idem L. Mescinii frater appellatur lib. 13. epist. 26. Nunc iactor opinionem confirmari meam vetere argenteo nummo, ita inscripto, L. MESCINIVS RVFVS. is nummus est apud virum doctissimum, Episcopum Ilerdensem, Antonium Augustinum. Alterum postea nummum praestans vir Latina et Graeca lingua, omnique liberali doctrina perpolitus, Fuluius Vrsinus, mihi ostendit. De Mescinio autem quaestore non solum lib. 13. epist. 26. cuius proxime testimonio sum

sum vsus, verum etiam lib. 16. epist. 4. et iis ad Atticum sit mentio. alter Ciceronis quaestor, qui serius in prouinciam iuit, C. Coelius fuit, is ad quem scribit vltimam epistolam libri secundi.

Quod mihi ostenderas] Pro, *significaueras*, vt infra: *si feceris id, quod ostendis.* et lib. 1 epist. 1. *Ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.* et lib. 9. epist. 8. *Etsi munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

Liberius iudicium] Nam in provincia officio quaestorio adductus videri poterat eum studiose colere: cum praestare quaestor praetori suo debeat, quidquid officii potest; nec in eo liberum iudicium sit. confecta vero prouincia, liberum iudicium datur, et verus animi sensus apparet, necessitudine quaestoria solutus.

Meo consilio] Quod eo non accesserim, quo me venturum putaveras. Fortasse propius ad ea loca se Cicero contulerat, vnde tutior commodiorque in Graeciam transitus daretur. dicit enim in extrema epistola: *Si simul placebit, statim ad me venies.*

Cepi fructum et iudicii et officii tui] Id est, fructum attulisti et iudicii et officii tui: declarasti non dubiis argumentis et iudicium et officium tuum.

Iudicii] *Iudicium* prius, deinde *officium* nominauit. eundem igitur in afferenda vtriusque causa ordinem seruat. contra vero lib. 15. epist. vlt. *Habes*, inquit, *de Caluo iudicium et consilium meum: consilium, quod hortandi caussa laudaui; iudicium, quod de ingenio eius valde existimaui bene.*

Fortes ac boni viri] *Fortes*, qui pericula mortemque ipsam pro patria contemnant: *boni*, qui recte sentiant, honestumque rebus omnibus anteponant. significauerat Mescinius, velle se ad Pompeium transire, et, quoniam in bellum euntibus aduersa multa proponuntur; quae tamen fortem bonumque virum a sententia non deterrent: ideo, quasi vt currentem incitaret, imitationem in eo laudat fortium ac bonorum virorum.

Officii] Erga me, pro nostra necessitudine.

Consilium captum] Eandem cum Pompeio, reipublicae caussam tuente, subire fortunam constitui.

Iamdiu] Atticum tamen, anceps animi, saepe litteris consuluit, quid sibi agendum censeret. certior enim in Caesaris castris victoria videbatur. ad extremum, pudore victus, ad bellum ciuile, tamquam ad pestem ante oculos positam, profectus est. qua de re sic lib. 6. epist. 6. *Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. Veritus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiaraus, sic ego, prudens et sciens, ad pestem ante oculos positam sum profectus.*

Si feceris id, quod ostendis] Si mecum eris, vt scripsisti, quodcumque consilii cepero.

Magnam habebo gratiam] Tamquam id mea caussa feceris.

Timori] Quod ea timueris, quae bellorum natura fert.

Mihi] Optanti, vt mecum sis.

Quid rectum sit, — quae sunt rectissima] Iisdem fere verbis lib. 4. epist. 2. eandem extulit sententiam:

Si, quid rectissimum sit, quaerimus; perspicuum est: si, quid maxime expediat; obscurum: sin ii sumus, qui profecto esse debemus, vt nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumque sit; non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit.

Studio digni et litteris nostris] Litteris enim optime viuendi praecepta traduntur: quae qui non obseruat, studio et litteris, quibus operam dat, indignum se praebet.

Si simul placebit] Mecum ire ad Pompeium.

Sin idem placebit, atque eodem] Sin et tibi placebit idem, quod mihi, et vt eodem proficiscamur; nec tamen rationes tuae ferent, vt statim nauigare mecum in Graeciam possis.

Omnia] Quae statuero et de discessu, et de tempore.

Amicissimum iudicabo] Non potuit modestius petere, et plane seruat id, quod dixerat: *non enim dimittam pudorem in rogando meum.*

EPISTOLAE XX.

ARGVMENTVM.

Purgat se Rufo, querenti per litteras, quod rationes prouinciae ad aerarium, eo non exspectato, Cicero deferre properasset; cum ipse vel addita, vel immutata quaedam in iis cuperet. Haec argumenti summa est: partes autem singulae, ob ignorationem historiae, fortasse non satis apertae. nos in tollenda obscuritate pro viribus enitemur. Annus epistolae videtur esse, Marcello et Lentulo coss. exorto iam ciuili bello: quod is maxime locus indicat: pro ea spe facultatum, quam tum habebamus. *tempus autem anni post hiemem, id est, aliquanto post relatas rationes, vt infra demonstrabitur. nam rationes, quas Rufus, cum ipso ad vrbem non collatas, referri ad aerarium noluerat, vnde argumentum epistolae manauit, quis dubitet, continuo post reditum Ciceronis relatas esse? quod ipse iustis de caussis a se factum dicit.*

EXPLANATIO.

Si ad me misisses] Si mihi significasses, eo te veniisse, quo antea constitueras. *Mittere ad aliquem*, interdum est, non solum misso nuncio, sed missis etiam litteris aliquid significare: vt ad Tironem lib. 16. epist. 9. *Curio misi, vt medico honos haberetur, et tibi daret, quod opus esset.* qua de re scripserat iam ad eundem epist. 4. his verbis: *Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret. Medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior.* Significatio autem per nuncium, non per litteras facta, illa est lib. 11. epist. 8. *Eo tempore Polla tua misit, vt ad te, si quid vellem, darem litterarum, cum, quod scriberem, non habebam.*

M. Tullius, scriba meus] Ciceronis libertus, fortasse Laurea cognomento, cuius egregios versus, in Ciceronis Academiam scriptos, recitat Plinius lib. 31. c. 2. quod si

si quis dixerit hunc esse M. Tullium Tironem, qui et ipse, libertate donatus, patroni praenomen et nomen assumpsit: negabo: quia Tiro liberatus est posteaquam e prouincia ad vrbem Cicero rediit: at ille scriba, qui rationes in provincia tractauit, libertus omnino fuit. Scribas enim seruos non fuisse, ex eo constat, (vt alia, quae multa occurrunt, argumenta praeteream) quod Romanis omnes nominibus appellatos videmus.

In rationibus dumtaxat referendis] Quas M. Tullius scriba ad aerarium retulerat, ex more. nam in orat. in Pison. c. 25. *rationes*, inquit, *ita sunt perscriptae scite et litterate, vt scriba, ad aerarium qui eas retulit, etc.* Interea Cicero proconsul, quia cum imperio erat, spe triumphandi extra vrbem manebat, nec introiit, nisi post Pharsalicam pugnam, abiecta demum triumphi spe.

Ius vetus, et mos antiquus] Cum, lege Iulia nondum lata, rationes in prouincia non relinquebantur. tunc enim eas ad vrbem rectores prouinciarum cum suis quaestoribus conferebant.

Pro coniunctione nostrae necessitudinis] De qua vide lib. 2. epist. vlt. et lib. 13 epist. 26. et in Divinat. c. 19. et pro Plancio c. 11.

Lege Iulia] A C. Iulio Caesare in primo consulatu lata. vide lib. 2. epist. 17.

Relinquere rationes in prouincia] Apud duas ciuitates, vt infra.

A meo seruo scriba] Dixi iam, scribarum ordinem e ciuibus Romanis fuisse: quare *seruus* hic appellatur, non quia seruiret, (iam enim liberi hominis praenomine et nomine, *M. Tullius* dictus est) verum memoria praeteriti temporis, quo apud Ciceronem in seruitute fuerat. et fortasse ita locutus Cicero, vt ipsa referret Rufi verba, exprobrantis, quod rationes ita Cicero ad aerarium retulisset, vt a seruo suo scriba eas accepisset.

Maiorem tibi habere non potui] Quia totum scribam meum tibi tradidi.

Quam paene ipse mihi] Quia permisi, vt rationes tecum, absente me, conficerentur; nec ad eas postea quidquam, praeter lectionem, adhibui.

Et honestum et vtile] Notanda copia: supra enim dixit: *nihil eum feciisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam.*

Cui potius id negotii darem, quam darem (*quam darem* deleuit ERN.)] Sic omnes, quos ego viderim, scripti libri, tribus exceptis, duobus M. Antonii Maffei, tertio, quem vir doctissimus, idemque omnium humanissimus, Io. Vincentius Pinellus, emptum ex Leonici Thomaei bibliotheca, mihi dono dedit. in iis non est *quam darem*, sed, *quam tibi*. quod mihi tamen (vt, quod sentio, dicam) subabsurdum, atque etiam falsum videtur. non enim id ei Cicero negotii dedit, sed scribae suo: cui deinde Rufus fratrem suum adiunxit. quare crediderim illud, *quam darem*, siue, *quam tibi*, abundare, additum ab imperito, qui putaret id per se consistere non posse, *cui potius id negotii darem*. quod ita consistit, si subaudiatur, *quam Tullio, scribae meo*. adiuuat opinionem nostram Maffei liber, in quo tantum illud est, *cui potius id negotii*

gotii darem: in margine autem, *quam tibi.*

Quae nobis maximae ERN. *maxime videbantur*] Ob vtriusque dignitatem. Strabo lib. 16. ait eas ob concordiam sorores vocatas, et vtramque conditam a Seleuco Nicatore, Apameamque de vxoris eius nomine, Laodiceam ex matre nuncupatam. idem lib. 12. vocat eas Phrygiarum vrbium maximas.

Consolidatas ERN. *Consolutas*] Sic antiquus liber Fuluii, et duo Maffei, et Mediceus: alius, *consulatas:* tres, *consolatas:* vnus Maffei, *consolidatas.* quod mihi non placet. primum offendor insolentia verbi: deinde, quaenam ista consolidatio esse potuit? *consignatas,* malim, aut, *conlatas.* nam eas cum quaestore conferri in prouincia oportere, et conlatas iam esse, dixit. fero tamen, *consolutas,* non solum quia sic est in tribus antiquis libris: verum etiam, quia pro, *absolutas,* accipi potest: vt a, *confectas,* ita differat, quemadmodum differt, *absoluere,* a *perficere.* vnde lib. 2. de Nat. deor. c. 13. *in omni natura necesse est absolui aliquid aut perfici.*

De Volusio quod scribis] Volusius, multae nomine, magnam pecuniae vim publice debebat. eam pecuniam Valerius periculo suo exigendam a Volusio susceperat, praedesque dederat: quos puto Ciceronis legatum et praefectum fuisse: id enim sequentibus verbis indicatur. videtur autem Cicero, cum rationes conficeret, Volusium liberare voluisse, et a praedibus multam amouere, vt eorum fortunis consuleret. quod eius consilium et factum infra demonstratur. contra Rufus Valerium quidem, et praedes liberare, sed nomen illud a Valerio ad Volusium transferre cupiisset. quod Cicero, ex amicorum, praecipueque Camilli hominis peritissimi sententia, fieri non potuisse demonstrat: aut enim Valerii mancipis praedes teneri, qui se pecuniam illam, a Volusio debitam, curaturos iam promiserant: aut, si praedes liberandi essent, Volusium quoque simul oportere liberari, quod vtrumque vt fieret, rationem a se initam esse, infra Cicero dicit.

Non est id rationum] In rationibus id fieri non poterat: huic rei, quam te voluisse video, locus in rationibus non fuit.

C. Camillus] Is, opinor, quem, vt sibi amicissimum, nominat lib. 9. epist. 20. et lib. 14. epist. 14. et lib. 5. ad Attic. epist. 8. et lib. 11. ad eundem epist. 16. et 23.

Praedes] Varro lib. 5. de L. L. dissimiles ait esse *praedem, vadem, sponsorem:* et *praedem* esse, qui, a magistratu interrogatus, in publicum vt praestet; a quo, et cum respondet, dicitur *praes.* sic et Festus, *praes,* inquit, *est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si praes sit, respondet, praes.*

H·S XXX.] Scutati nongenti.

XIX.] Scutati quingenti septuaginta.

Curata] Pro Volusio debitore.

Mancipis] *Manceps* dicitur, qui aliquid conducit, aut suo periculo faciendum exigendumue redimit; quod in Volusiana pecunia Valerius, datis praedibus, fecerat.

Ex qua reliquum quod erat] Praeter id, quod curatum esse dixit Valerii mancipis nomine; quod in rationes relatum non esse, inita de Volu-

Volusio praedibusque liberandis ratione, infra significat; reliquum nescio quid vel Volusius ipse, vel pro Volusio Valerius soluerat: quod in rationibus perscriptum, Cicero ad aerarium retulit.

In rationibus retuli] *Referre in rationes* et *in rationibus*, diuersa sententia dicitur: *in rationes*, cum nomen aliquod in conficiendis rationibus inter cetera nomina perscribitur: *in rationibus*, cum aliquid vna cum reliquis rationibus ad aerarium refertur.

Quod minime tamen laboro] Hoc dixit, ne prudentiae laudem appetere videatur: quod vanitatis est. congruit cum hoc loco praeclarum illud in epistola ad Catonem lib. 15. 4. *Si quisquam fuit vmquam remotus et natura, et magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude, et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliqua vita, fateor, ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putaui expetendam.* In epistola tamen ad Dolabellam, lib. 9. 14. *Sum*, inquit, *auidior etiam, quam satis est, gloriae.* Et pro Archia c. 11. *Iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor.*

Legatum meum, praefectumque Q. Leptam ERN.] Alii legunt, *praefectumque Q. Leptam.* nos olim sustulimus, *Q. Leptam*, auctoritate quidem veteris libri, sed multo etiam magis ratione adducti. cur enim Cicero praefecti sui nomen ponat, legati praetermittat? quasi vero ad alienum et ignotum hominem scriberet, non ad quaestorem suum, qui et legatos, et praefectum fabrum, et vniuersam proconsulis Ciceronis cohortem optime nouerat. praeterea res hic agitur Rufo notissima, de qua etiam ipse ad Ciceronem scripserat: vt ei praedum Valerianorum nomina significari, nequaquam necesse fuerit. Vnde igitur praefecti nomen huc irrepsit? Notum est hominibus emendandi peritis, quanta sit facta labes in optimis libris eorum insciția, qui, cum libros describerent, verba interpretantia, a studiosis adiecta, non agnoscentes, omnia permiscebant. eodem errore, vt opinor, inter verba Ciceronis receptum est, *Q. Leptam:* cum nescio quis, cum in Cilicia praefectum fabrum cum Cicerone fuisse, ex lib. 3 epist. 7. didicisset. adscribere legati nomen non potuit: quia coniicere facillimum non erat, quis ex quattuor cum praefecto praes Valerii fuisset. quattuor autem fuisse Ciceronis legatos, Q. fratrem, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, ex lib. 15. epist. 4. et aliis cognoscitur. Accedit auctoritas veterum duorum librorum, vnius Vincentii Riccii, quo sum vsus adolescens, vt eo tempore in Scholiis meis testatus sum; alterius, quo nunc vtor, M. Antonii Maffei, a quo abest praefecti nomen. tertius est apud me liber, cuius in margine scriptum video, *Q. Leptam:* cum a continuatione verborum Ciceronis absit.

Maxima calamitate leuatos] Ex his verbis coniicio, inter praedes Valerianos legatum et praefectum fuisse. nam et infra dicit: *vt multa tam grauis Valerianis*

praedibus depelleretur, a me inita ratio est.

Non deberent esse obligati] Causſam non addit: sed hoc puto ad aequitatem potius, quam ad ius referri. praedes enim qui sunt, omnino tenentur, nisi satisfacit is, pro quo praedes facti sunt. verum aequitatis videtur esse, consulere fortunis eorum, qui humanitate adducti pro aliquo se obligarunt, eoque magis, si ciues et amici sint. id vt fieret, ita rationem Cicero iniit, ne quid tamen populus amitteret. quod infra quasi gloriatur.

Tanto officio meo] Cum populi Romani res ageretur, quam curare debet proconsul.

Tanto etiam periculo] Si quid enim scriba erraret in rationibus, aut improbe committeret, non in eum, sed in proconsulem, cui mandata populi res est, culpa conferretur.

Cum id mihi ne recitauisset quidem] Cum id, non modo me non iubente, sed etiam insciente, in rationes retulisset. *Recitasset*, dixit, quia scriba prius ea scribebat, quam in tabulas referret; nec referebat, nisi cum proconsule communicasset.

Prudentiae, cum rem a me non insipienter excogitatam ne cogitam ERN. *quidem putas*] Sic plane in omnibus meis veteribus libris, duobus exceptis, in quibus est, *non insipienter quidem excogitatam:* et vno, a quo abest *non*. verum ne sic quidem locus mendo vacat. non magna mutatio fiet, si legatur: *ne insipienter quidem excogitatam*. nam, quod nonnulli legunt, *non insipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putas:* id ego, quod ad sententiam attinet, non improbo: sed, quia plus additur, quam emendandi moderata ratio postulet, malui notam apponere indicem errati, quam ex fallaci et lubrica coniectura, immodico praesertim additamento, librum immutare.

Multa tam grauis] Reorum damnatorum alibi est *multa*, hic et praedum et mancipis Valerii, vt quidam arbitrantur, vt mihi videtur, praedum tantum. quod enim a mancipe soluitur, qui de publico aliquid redemit, id ego *multam* dici posse vix crediderim. quippe cum sit ea non inopinata solutio: praestat enim, quod et promisit, cum redimeret, et omnino se praestiturum putauit. at praes promittit ille quidem pro alio: fore tamen, vt ipse dependat, neque putat, et, si acciderit, moleste fert. quare nomen *multae* in praedes recte conuenit, qui soluunt inuiti, magistratu cogente, sicuti qui a iudicibus damnantur: in ipsum Valerium non cadit, qui cum soluit, praeter opinionem nihil facit. Hoc ideo dixi, ne quis miretur dissentire me ab iis, qui proxime pro, *T. Mario*, legunt, *T. Valerio:* vt de multa Valerio quoque mancipi depellenda dicatur. ego enim vnum ex praedibus arbitror fuisse T. Marium; et Ciceronem hoc dicere, initam a se rationem, non modo vt legatus eius et praefectus, quibus praecipue cauere deberet, verum etiam vt ipse T. Marius, qui de sua cohorte non esset, maxima calamitate leuaretur.

Non solum probant, sed etiam laudant] Multa probamus sine laude, vt ea, quae recte communiter fiunt: laudamus autem nihil, quod idem

idem non probemus, et in quo praecipua quaedam virtutis et ingenii significatio non eluceat.

Cum populis suum seruaret] Ita fortunis consulere tot vel amicorum vel ciuium, vt populo tamen nihil adimeret. Apparet ingenium Ciceronis, qui rationem iniuerit, qua cum satisfaceret humanitati, depellenda amicis et ciuibus tam graui multa, honori tamen suo, re populo conseruata, non deesset. *populi* autem *esse* dicebatur, et erat, quod in aerarium, ex quacumque re collectum, inferebatur. vnde, *cauere populo*, valet, cauere ne quid aerarium detrimenti patiatur. Liuius lib. 7. c. 21. *Tarda nomina, et impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissolvit, vt populo prius caueretur.*

Tot vel amicorum, vel ciuium] Communi quodam iure cum ciuibus, proprio cum amicis coniungimur. itaque priore loco amici, deinde ciues nominantur. amici autem ac necessarii Ciceronis, legatus et praefectus, qui tamen iidem ciues erant: ciues vero tantum, non etiam amici, T. Marius, Valerius, Volusius.

Nam de Luceio ERN. *eo logeo*] Particula, *nam*, saepe lectorem commode traducit ad diuersam sententiam. vt hic, et infra, *nam de H-S nongentis millibus.* et lib. 1. epist. 9. *Nam de Appio quod scribis, sicuti de Caesare, te non reprehendere: gaudeo consilium tibi probari meum.* et lib. 7. epist. 1. *Nam quid ego te athletas putem desiderare?* et lib. 3. ad Attic. epist. 10. *Nam quod me tam saepe, et tam vehementer obiurgas.* et eodem libro epist. 15. *Nam quod purgas eos, etc. Logeum* fuisse fanum arbitror, in quo pecuniae deponerentur: vbi pecunia quoque illa, in prouincia Ciceronis exacta, a Rufo quaestore iussu Ciceronis deposita est auctore Pompeio. Infra res eadem attingitur.

Auctore] Hortante, et suadente. quod videtur ideo Pompeius fecisse, vt ea pecunia ipse postea vti posset, quemadmodum vsus est. *Actore*, liber Mediceus, mendose: *auctore*, mei omnes.

Agnoui] Non negaui: confessus sum, id quod res erat, meo iussu esse depositam. *Agnoscere* dicimur, quod verum fatemur esse. lib. 4. epist. 4. *Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate, iisdem verbis epistolas saepius mittere, nec agnosco nec probo.*

Vt ea ERN. *Tua*] Quae ad Rufum ex administratione prouinciae, saluis legibus, peruenerat. nam illa, qua Pompeius est vsus, populi fuit.

Quam tu] Nullus omnino liber antiquus, quem ego viderim, habet, *quam tu:* sed alii, *quam tum:* alii, *quam tamen:* alii, *tamen quam:* et post, *deposuerat*, omnes habent, non, vt in impressis, *deposueras.* quocirca valde suspicor de mendo. non enim placet, *tua, quam tu deposueras.* quid? non illam quoque deposuerat, quam abstulit Pompeius?

Sextius] Nominatur inter Pompeianos, qui cum imperio fuere initio ciuilis belli, lib. 8. ad Attic. epist. 15. nec dubito, quin eam pecuniam Pompeio mandante acceperit, vt ea deinde in bello ex ipsius voluntate, id est, contra Caesarem vteretur.

Sed haec ERN. *hoc ad te nihil intelligo pertinere*] De populi pecunia loquitur, a Pompeio sumpta, non de illa, quae Rufi fuerat: de qua non diceret, *hoc ad te nihil intelligo pertinere.* Non est, inquit, quod labores de hac pecunia, quam, a te iussu meo depositam, Pompeius accepit. quid enim tua refert? cum exstet senatus consultum, quo constat, cui data sit, exstent tuae meaeque litterae, quibus constat, cui data sit. Timebat scilicet Rufus, ne quando eius pecuniae rationem reddere cogeretur; quia Cicero in rationibus non adscripsisset, eam suo iussu a Rufo esse depositam. qua de re questus erat per litteras Rufus.

Monumentis testata, cui data] Hoc explanatur proxime sequentibus verbis. *monumenta* enim sunt senatus consultum et litterae Ciceronis et Rufi. data vero pecunia P. Sextio significatur: si modo ita legendum est, de quo subiungam, quid sentiam.

P. Sextio] Non hic agitur de pecunia Rufi, qua vsus erat Sextius, sed de publica, iussu Ciceronis deposita: quod in rationibus omissum, questus erat Rufus. itaque legi malim, si modo per veteres libros liceat, *Pompeio:* quem vsum ea pecunia esse, paullo ante dictum est. opinor enim pro, *Pompeio,* aliquem scripsisse, *P.* breuitatis caussa, imperite scilicet: cum haec littera praenomen indicet, non gentem. inde alius, quia praenomen illud per se consistere non posse intelligeret, et Sextium paullo ante nominari animaduerteret, addidit, *Sextio.* Corrumpi autem inuicem haec nomina, *Pompeius,* et *Publius,* librariorum culpa, contractam scribendi rationem sequentium, ex epistola quoque nona lib. I. cognouimus. nam in eo loco, *cum, vt laudaret P. Sextium, introisset in vrbem:* veteres libri aliquot habent, *vt laudaret Pompeium Sextium:* nonnulli, *vt laudaret Pomp. Sextius* ex quo patet, rudes antiquitatis librarios accepisse hoc praenomen, *P.* pro nomine Pompeii.

Non adscripsi] In rationibus: in quibus hoc tantum scriptum erat, pecuniam a Rufo depositam. Rufus autem illud adscribi, quod verum erat, voluisset, depositam a se Ciceronis iussu, ita fore ratus, vt, quocumque casu illa pecunia periisset, aut in quemcumque vsum essset erogata, ipse omni periculo et cura liberaretur.

Tua nihil referebat] Quia certissimis et grauissimis monumentis testata iam ista pecunia erat, cui data esset, quo senatus consulto, quibus tuis, quibus meis litteris.

Referendum] Hinc apparet, prouinciae rationes et a proconsule et a quaestore separatim referri solitas esse. quod opinor lege Iulia, quae iam nominata est, sancitum esse.

Idem ipse sentio] Vt addas in illius pecuniae mentione, quod ego non addidi, depositam a te esse meo iussu.

Discrepabunt] Hic aliquis obiiciat: immo discrepabunt; cum idem non erit in vtriusque rationibus. Futilis obiectio. non enim in eo discrepant rationes, cum aliquid in alteris omittitur; sed cum aduersantur ea, vel dissentiunt, quae in vtrisque scripta sunt. et, vt silentio nec affirmatur quidquam,

nec

nec negatur: ita, quod scriptum non est, ab eo quod scriptum, discrepare non videtur.

Quod ego quidem non addidi] Mediceus liber, *quod ego qui non addidi*; mendose: quid mirum? liber mendo nullus vacat: sed ex multis deprauatis vnus vt corrigatur, opera dari solet. emendatiores hic libri quattuor, Sigicelli vnus, alter Fuluii Vrsini, duo Maffei: habent enim, *quod ego quidem non addidi.*

Nec caussa est, cur negem] Iussu meo illam pecuniam a te depositam. caussam, cur neget, non esse dicit, vt ostendat abesse periculum, de quo Rufus metuere videbatur, ne quando eius pecuniae, qua Pompeius vsus erat, ratio exigeretur, cum instare videretur mutatio temporum, commoto ciuili bello.

Et tu nolles] Negari a me. obsequerer voluntati tuae, vel, si quid esset caussae, cur negarem, id est, etiam si molestiam aliquam ex ea pecunia timerem.

H-S nongentis millibus] Scutatorum nostratium XXVII. millibus.

Siue frater tuus] M. Mindius, qui rationes cum scriba confecerat.

De logeo] De fano. supra.

Parum gratiosum est] Sic libri veteres quinque: alii, *grauisum est.* vtrumque mendosum. nam, *gratiosum*, de inanimatis rebus non dicitur: sed *gratiosi* homines appellantur. Nec, *grauisum est*, politus litteris quisquam probauerit. Mediceus liber, *grauisum.* Corrado placuit *gratum visum*: nobis olim, *prouisum*: quod nec a *grauisum* longe distat, nec sententia caret. nam in eo dicit parum esse prouisum, quia, cum pecunia illa deponeretur, additum non erat, deponi iussu Ciceronis proconsulis. de quo supra.

Referendis] Quo modo, *referendis*, cum et supra relatas iam esse dixerit, et infra idem significet? Accipio, *referendis*, pro, in relatione rationum, dum rationes referuntur: vt praesenti tempore vtatur Cicero ob eam caussam, quia corrigere aliquid etiamnum in relatis iam rationibus licebat. propterea subiunxit, *quid per leges liceat.* quae verba demonstrant, non esse ademptam corrigendi facultatem, sed corrigi non omnia licere: itaque Rufo videndum, quid a Cicerone petat: nihil enim contra leges impetraturum.

Cum senatus consulto non sum vsus] Videtur Cicero temporis aliquanto plus decreto senatus habuisse ad rationes referendas, quam legibus: quo tamen tempore vti noluit, sed rationes confestim retulit, iustis de caussis, vt supra dixit, metu scilicet exorientis belli ciuilis.

Quid per leges liceat, considerandum est] Modeste significat, velle quidem se aliquid corrigere in rationibus ex Rufi voluntate, sed ita, ne quid amicitiae caussa contra leges committat.

Te certe, in pecunia exacta ita referre ERN. *efferre, ex meis rationibus relatis non oportuit*] Libri aliquot scripti, etiam Mediceus, *pecuniae exactae*: nonnulli, *ista offerre.* Placet idem, quod olim, *pecunia exacta*, non eadem tamen sententia, quae olim placuit. non enim illud, *te efferre*, significare nunc arbitror iracundiam Rufi, qua sit elatus, quod Cicero pecuniae ab illo exactae mentionem nullam in

rationibus referendis feciſſet; verum ad erogatam a Rufo pecuniam refero, cum ſciret, eam ſcriptam eſſe in rationibus iam relatis. Vt in exacta, inquit, pecunia ita efferres, ita erogares, ex meis rationibus relatis non oportuit: id eſt, per meas rationes tibi non licebat. Hanc noſtram opinionem adiuuare videntur et ſuperiora verba: *de eo mihi, quid per leges liceat, conſiderandum eſt*; et quae ſequuntur proxima: *niſi quid me fallit: ſunt enim alii peritiores.* Exactae pecuniae plus conſumpſerat Rufus, quam ſcriptae rationes, praeſertim iam a Cicerone relatae, paterentur: id cum in rationibus Ciceronis, vt cum ſuis conſentirent, corrigi vellet; de eo quid ſibi per leges liceat, conſiderandum Cicero reſpondet: mox indicat non licere, ſubiungens *non oportuit.* atque in hac opinione poſſum, inquit, falli: ſunt enim alii peritiores. Vt Rufum quodam modo conſoletur.

Aut etiam velle] Etiam ſi tua non interſit.

Si vllo modo facere poſſim] Id eſt, ſi per leges liceat.

De beneficiis] Proconſules, propraetores, atque etiam, vt hic locus indicat, quaeſtores, cum ad vrbem a prouinciis reuertiſſent, eorum nomina poſt relatas rationes ad aerarium deferebant, quorum ſtrenua fidelique opera vſi eſſent. hi autem erant ex iis, quos ſecum in prouinciam duxerant. qui *deferri in beneficiis* dicebantur; quod eorum virtus ac fides reipublicae profuiſſet. in quo erat eorum, qui deferebant, ambitio quaedam, oſtendendis non modo ſuis, verum aliorum quoque beneficiis in rempublicam. Detulerat igitur Cicero, non exſpectato quaeſtore, ſuos contubernales, praefectos, tribunos militares: quosdam autem non detulerat, vt centuriones et tribunorum militarium contubernales: de quibus ait rem eſſe in integro, ſi Rufus eos deferre velit. Morem hunc oſtendit oratio pro Archia c. 5. *In beneficiis ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo praetore, et conſule.*

Tribunos militares] Duodecim. ſeni enim creabantur in ſingulis legionibus, vt Polybius docet. legiones autem duas, qui conſularis erat exercitus, in prouincia Cicero habuit: quod ipſe ad Atticum ſcribit lib. 5. epiſt. 15. et Plutarchus idem narrat in eius vita. Tribunos militares primo tres fuiſſe, qui ſingulis tribubus, a Romulo inſtitutis, praeeſſent, deinde ſex, interiecto tempore ſexdecim, poſtremo 24. vt ſeni eſſent in ſingulis legionibus, Liuius, Polybius, alii declarant. Creati primum ab iis, qui exercitibus praeeſſent, mox populi ſuffragio: vt interdum tamen, in apparatu maximi belli, conſulum praetorumque arbitrio deligerentur. poſtremo, teſte Pediano, partem eorum imperatores fecere, qui *Rufuli* vocabantur, partem populus, qui *Comitiati.* Idem ex Feſto, licet mutilato, colligi tamen videtur poſſe: qui etiam Rufulorum nominis, omiſſam a Pediano et aliis, cauſſam ponit, quod Rutilius Rufus de eorum iure legem tuliſſet.

Praefectos] Equitum. vide lib. 2. epiſt. 17. ne repetantur eadem.

Contubernales] Nobiles adoleſcentes cum conſulibus, et proconſulibus, et praetoribus etiam, vt rerum

rerum vsu mature instruerentur, in prouincias exibant. Pro Coelio c. 30. *In Africam profectus est Q. Pompeio proconsuli contubernalis.* Pro Plancio c. 11. *Adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo dilectus est, vt et contubernii necessitudo, et adolescentuli modestissimi pudor postulabat.* In Bruto c. 27. *Familiaris noster, L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat.* Suetonius de Caesare c. 2. *Stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi praetoris contubernio.* In vrbe etiam contubernales erant consulum: Cicero in consulatu, quem peregit in vrbe, contubernales habuit. vnde illud in ea pro Sulla c. 12. *Lucius ille Torquatus, cum esset meus contubernalis in consulatu.*

Ratio me fefellit] *Ratio* hic pro opinione, quam ratiocinatio peperit, accipitur.

Triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem] Non vulgaris loquendi modus. est enim, *triginta diebus, quibus rationes retulissem:* pro, triginta diebus, postquam rationes retulissem. tempus deferendi trigesimo die a relatis rationibus definiebatur. Constat ex hoc loco, relatas prius ad aerarium rationes, quam deferrentur ii, qui bene de republica meriti essent.

Necesse esse] Lege Iulia iubente: quae significatur etiam paullo post.

Res est in integro] Licet tibi eos deferre.

Genus enim horum beneficiorum] Deferendis centurionibus et tribunorum militarium contubernalibus certam diem lex non definiebat: tribunis autem militaribus, praefectis, et contubernalibus, de quibus facta paullo ante mentio est, spatium triginta dierum.

H-S centum millibus] Scutatorum tribus millibus.

Memini] Ergo ab eo tempore dies interceſſerant multi. quo licet intelligere, non statim Ciceronem, postquam ad vrbem rediit, hanc epistolam scripsisse.

Myrina] Libri duo, Sigicelli, et Fuluii, habent, *Smyrna.* reliqui, *Myrina.* vtraque nota vrbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Aeolia. quis potest diuinare, ex vtra scripserit Rufus eas litteras? Smyrna quidem nauiganti in Italiam Mescinio propinquior et commodior.

Non mei errati, sed tui] Erratum in rationibus, antea scripserat Rufus: quod nisi corrigeretur, H-S centum millia sibi esse de suo persoluenda. rescripsit Cicero, corrigi non posse, quia rationum exemplum in prouincia depositum erat, a quibus discrepare non oportet eas, quas ad aerarium relaturus esset: sed tamen ei pro suis facultatibus benigne commodaturum. aliquanto autem post scripsit Rufus eas litteras, quibus Cicero nunc respondet.

Fratris tui, et Tullii] Qui rationes, absente Cicerone, confecerant. supra.

Decesseramus ERN. *Decessimus*] Sic omnes, quos viderim, veteres libri. a quibus olim discedendum putabam, et legendum, vnius litterae mutatione, *decessemus.* nunc me ipse reuoco, et ita statuo, syncopen esse non posse in iis verbis, quorum in praeteritis vltima syllaba est, *si:* vt *cedo, cessi, cessissem,* non *cessem.* eodemque modo in compositis,

sitis, *decedo, recedo, incedo, discedo, concedo.*

Credo] Ita loquitur vt de re non recenti, quae potuit, spatio interiecto, effluere ex memoria.

Pro animi mei voluntate] Vt eram animatus, pro animi mei sensu. Eodem modo *animus velle* dicitur: vt Varro lib. 5. de L. L. *Animus ita est, vt puncto temporis peruolet, quo vult.* Et in orat. post red. ad Quir. c. 2. *In studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas.* Et Lucretius lib. 2. v. 270.

Ex animique voluntate id procedere primum.

Idem lib. 4. v. 884.

Ergo animus cum sese ita commouet, vt velit ire.

Iudicium animi, lib. 2. de Orat. c. 42. et lib. 3. c. 16. et 18.

Facultatum] Hoc nomen late patet: itaque dixit Cicero lib. 1. de Inuent. c. 27. *Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.* Et pro Rabirio perd. reo c. 5. *Quae, si in illo minima fuissent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur.* et in Partitionibus c. 35. vires, animus, copiae, opes, tempus, locus, *facultatum* nomine comprehenduntur. *Facultatum*, ait, *infirmatione vtetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit: aut alienum tempus, aut locum non idoneum.* Sumuntur et pro occasionibus commodorum, vt lib. 1. ad Attic. epist. 17. *Exponis, quas facultates aut prouincialium, aut vrbanorum commodorum, et aliis temporibus, et me ipso consule, praetermiseris.* Transferuntur ad significationem rei familiaris, vt lib. 11. ad Attic. epist. 13. *Velim consideres, vt sit, vnde nobis suppeditentur sumptus necessarii. Si quas habuimus facultates, eas Pompeio detulimus.* Et lib. 2. in Ver. c. 34. *Sthenius ab adolescentia paullo studiosius haec comparabat, supellectilem ex aere elegantiorem, et Deliacam, et Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis.*

Quam tum habebamus] Distat igitur hoc tempus ab eo non parum, quo rediit ex prouincia: cum et hic, *tum*, et proxime dixerit, *memini*, et, *credo*. nec vero dubie significat, ad arma rem esse deductam, amissa spe facultatum, quam ante habuerat.

Obligatum] Deberi sibi a Cicerone mutuam pecuniam ex litteris ab eo antea humanissime scriptis, Rufus ostenderat.

Molestae] Quia pecuniam a debitoribus poscunt, quae propter belli difficultatem expedita non est. propterea dixit Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 1. *Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur; constituit, vt arbitri darentur. Per eos fierent aestimationes possessionum, et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus transderentur.*

Peruenisset] Ex administratione Cilicienſi. de qua pecunia sic lib. 2. epist. 17. *Omnis pecunia ita tractatur, vt praeda, a praefectis; quae autem mihi attributa est, a quaestore curatur.*

Ephesi] Vrbs Ioniae nobilis fuit, extra Ciceronis prouinciam, cui prae-

praefuit, Cicerone proconsule, Q. Thermus, vt patet lib. 5. ad Attic. epist. 13. et 14.

Apud publicanos] Ciceronis amantissimos, eique carissimos: erant enim equestris ordinis: quem ordinem consul cum senatu in gratiam reduxerat. vide illud lib. 1. epist. 8. *ordinem coniunctissimum* et lib. 1. ad Attic. epist. 17. et 18.

H-S XXII millia ERN. *H-S XXII.*] Parua summa, scutati DCLX. itaque legendum opinor, *bis et vicies*, vt est lib. 11. ad Attic. epist. 1. *In cistophoro in Asia habeo ad H-S bis et vicies* loquitur de hac Ephesi deposita pecunia. nam Ephesus in Ionia: quae regio est Asiae. sunt autem bis et vicies, scutatorum LXVI. millia.

Omnem] Partem potius, quam omnem: nam Cicero partem exegit, et apud Egnatium trapezitam deposuit, vbi tutius fore videbatur. hoc duae ad Atticum scriptae epistolae, secunda et tertia lib. 11. declarant. in prima scripserat haec Cicero: *In cistophoro in Asia habeo ad H-S bis et vicies.* In secunda, *ex ea*, inquit, *pecunia, quae fuit in Asia, partem dimidiam fere exegi. tutius videbatur fore ibi, vbi est, quam apud publicanos.* In tertia sic: *Pecunia apud Egnatium est. sit a me, vt est.* Deinde subiunxit eodem in loco: *Et si egeo rebus omnibus; quod is quoque in angustiis est, quicum sumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore.* et ad eundem epist. 13. eiusdem libri: *Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id videbamur sapienter facere, detulimus.* Quare fictam excusationem attulit Cicero tempori seruiens, tum vt de H-S centum millibus Rufum consolaretur exemplo iacturae suae; tum etiam, vt ei, mutuam pecuniam, tamquam ex promisso debitam, poscenti, iustius negare videretur.

De H-S centum ERN. *De H-S centum millibus*] Quae Rufus aerario debebat, ex relatis a Cicerone rationibus: sed erratum scripserat, idque corrigendum. rescripsit Cicero corrigi non posse; verum se de suo, quantum posset, ei commodaturum.

Chariis] Publice datis.

De mea liberalitate] Cum aliqua exprobratione dictum.

Mihi expensa tulisses] Mihi commodasses.

Aestimationem accipere] Possessionem aestimatam accipere pro pecunia mihi commodata. Hic locus videtur indicare, scriptam hanc epistolam Caesare iterum et Seruilio iterum coss. post latam a Caesare legem de aestimandis possessionibus, quanti quaeque ante ciuile bellum fuissent; vt debitoribus consuleretur; quorum erat iniqua conditio, iacentibus praediorum pretiis: quod fere solet in bellis euenire. dicebantur autem possessiones illae, *aestimationes*, vt lib. 9. epist. 16. et 18. Rufus, cum Caesar consulatum secundum, in quo legem illam tulit, inierit post illud tempus, quo Cicero ad Pompeium in Graeciam transiit; (nam, Caesare in Hispaniis contra Pompeii legatos bellum gerente, Cicero transiit; vt ex lib. 10. ad Attic. epist. vlt. intelligitur) Cicero autem hanc ad Rufum epistolam in Italia

Italia scripserit; quod indicant prima epistolae verba, et multo etiam magis illa, quae in extremo fere sunt; *Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te:* ratio persuadet, hanc epistolam et ante secundum esse scriptam Caesaris consulatum, et ante profectionem Ciceronis in Graeciam. *Aestimationem* igitur accipio pro possessione aestimata, non ex lege Caesaris, quae lata nondum erat, sed vt aestimabantur res, quas inopes a pecunia debitores creditoribus dabant. Sic et Liuius loco iam citato, lib. 7. c. 21. *Tarda nomina, et impeditiora inertia debitorum quam facultatibus; aut aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissoluit, vt populo prius caueretur; aut aestimatio aequis rerum pretiis liberauit.*

Scindi] Varie dixit, hic quidem *scindi;* alibi *conscindi*, vt lib. 7. epist. 18. et, *concerpito*, lib. 10. ad Attic. epist. 12.

EPISTOLAE XXI.

ARGVMENTVM.

Mescinio, sui videndi cupido, mutua se teneri cupiditate significat. subiungit haec: frequentari domum suam a Caesaris familiaribus; eorum tamen sermonibus ita se non delectari, vt solitudinem, si ea vti possit, praeponat: itaque litteras colere, et ab iis, et ab optimorum consiliorum conscientia consolationem eam petere, quam Mescinio quoque petendam censeat: Africani belli exitum appropinquari: vtra pars vincat, crudelem fore victoriam: euersam funditus esse publicam fortunam: nihil tamen iis, qui culpa careant, horribile esse, aut pertimescendum. De congressu, neque spem affert, neque adimit. valetudini vt seruiat, animoque tranquillo sit, hortatur. Index beneuolentiae, ac negotialis omnino epistola, licet maior eius pars officii potius, quam negotii, sit. dixi enim a principio, spectandam esse caussam, cur scribatur epistola, et ab ea siue negotialem epistolam, siue moralem vocandam. nam quae adduntur praeterea, declarandi amoris gratia, licet ad officium pertineant, quia tamen argumenti propria non sunt, nomen epistolae non tribuunt. Scripta est Caesare tertium et M. Lepido coss. cum Caesar in Africa, aduersus Pompeii socerum Scipionem, et Iubam regem bellum gereret.

EXPLANATIO.

Ita mihi omnia ERN. *Ita mihi communia omnia, quae opto, contingant*] Verbum *communia*, video esse in omnibus veteribus libris, praeter vnum, qui fuit olim Hieronymi Ferrarii, nunc est Caroli Borromaei Cardinalis. in eo est, *commoda*, non, *communia:* quod olim probaui: cum et Plautus in Trin. Act. 5. Sc. 1. v. 2. similiter dixisset;

Ita commoda, quae cupio, euenient. ——

Nonnulli, *communia*, putarunt abundare. quorum non displicet opinio. ne tamen tot librorum consen-

consensus repudietur; videndum etiam atque etiam, an probabilis aliqua sententia elici possit, nullo nec deleto verbo, nec mutato. Ita mihi, inquit, ea, quae opto, contingant omnia communia, vt vehementer velim. id est: ita te rerum omnium, quas opto, participem habeam, vt esse tecum vehementer velim. nam ad verbum, *communia*, subaudio, *tecum:* vt sit: ita mihi tecum communia, quae opto, contingant omnia. Occurrit alia sententia, quam non occultare consilium est. Ita mihi res omnes publicae, quales opto, contingant. nam, *communia*, et *communes res*, pro publicis rebus accipi, nemo (vt opinor) dubitat, idque vel hoc vno constat exemplo, quod obseruauimus lib. 1. epist. 8. *Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quae quales sint, non facile est scribere. Communem* quoque *rem*, dixit lib. 7. epist. 28. *Communium fortunarum*, lib. 5. epist. 12. Hoc totum ad eruditorum hominum iudicium refero. nam ipse nihil affirmo: tantum enitor, vt veterum librorum auctoritatem conseruem.

Vt enim ERN. *Etenim, cum esset maior*] Aliis placet, *vt enim*, pro *etenim:* quia sic habent plerique veteres libri. soloecismi species apparet. quid refert? inquiunt. quam multa praeterea huiusce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque responderi videtur posse: soloecismum, si modo libri veteres in eo consentiant, ferendum: sin aliter, tollendum. itaque, cum habeam duos veteres libros, vnum M. Antonii Maffei, quo etiam olim, commodante eius fratre Bernardino Cardinali, vsus sum; alterum Fulvii Vrsini, in quibus diserte legitur, *etenim:* libenter aufero soloecismum, et integritatem Cicerone dignam restituo.

Et virorum, et ciuium bonorum] Differre putantur *bonus vir*, et *bonus ciuis*. quam distinctionem ostendimus lib. 1. epist. 9. in eo loco: *Eumque, quem bonum virum semper habuisset, bonum ciuem esse pateretur.*

Iucundorum] Bonitas, iucunditas, amor, caussae sunt, cur amemus, vnaque esse cupiamus. propterea dixit, *bonorum, iucundorum, amantium mei.* quae tria coniungit etiam lib. 9 epist. 24. *Moneo te, quod pertinere ad beate viuendum arbitror, vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas.*

Hominum] *Vir* et *homo* differre, pauci nesciunt. hic tamen, *hominum*, potuit omitti, vt omissum est loco proxime recitato ex epistola ad Paetum, sed additum est ob interpositam ciuium mentionem. nam, si esset omissum, ad ciues illa referrentur, *iucundorum, et amantium mei.* cum sit aptius, *iucundorum hominum, et amantium mei.*

Erat nemo, quicum essem libentius, quam tecum; et pauci, quibuscum essem aeque libenter] Satis modesta ratio captandae beneuolentiae. non enim omnibus Mescinium, sed Mescinio neminem antefert, comparat paucos. ita vitatur illa, quae veritati fidem detrahit, ὑπερβολή.

Alii interierint] Insignes quidem, et consulares, M. Calpurnius Bibulus, L. Domitius Ahenobarbus, L. Cornelius Lentulus, P. Lentulus

tulus; praeterea, C. Curio tribunicius.

Alii absint] Aberant consulares duo, P. Scipio, Pompeii socer, qui bellum in Africa contra Caesarem gerebat; et M. Marcellus, qui post Pharsalicum proelium, cum spe vincendi simul abiecta certandi etiam cupiditate voluntarium Rhodi aut Mitylenis exsulium sibi delegerat. aberat et M. Cato praetorius, qui cum Scipione caussam Pompeianam acerrime tuebatur. nec Romae tunc erant M. Brutus, nec Ser. Sulpicius, ille Galliae, hic Graeciae praepositus: vt lib. 6. epist. 6.

Mutati voluntate] Non eodem, quo antea, in Ciceronem animo, temporibus mutati et victoria Caesaris.

Necessario] Est enim Caesaris familiaribus inseruiendum, temporis caussa.

Frequentant domum meam] Sic lib. 1. de Offic. c. 39. *Aliter ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari.* Et, *frequentare ludos*, lib. 1. de Invent. c. 27. Alio modo, *celebratur domus*, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6.

Aut ERN. *Ad summum*] *Summum* lib. 2. epist. 1. *A te vero bis, terue summum, et eas perbreves accepi.* et *ad summum* dicitur, Ciceronis exemplo.

Perfugio] Hoc verbum interdum solum Cicero affert, vt hic: interdum coniungit, vt lib. 5. epist. 15. *Litteris vtor assidue. quid enim aliud facere possum? sed nescio quomodo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur* Et pro Archia c. 7. *Haec studia adversis perfugium ac solatium praebent.* Perfugium autem litterae sunt duobus modis: vel quod, eas dum tractamus, molestias obliuiscimur; vel quod animus, praeceptis vtilissimis conformatus, humana omnia, praeter honestum, contemnit, nihil praeter culpam extimescit. de fructu autem, quem afferunt litterae, vide lib. 4. epist. 3. et lib. 5. epist. 13. et lib. 9. epist. 2. et 3.

Conscientia consiliorum meorum] Saepe hanc sententiam vsurpat, lib. 4. epist. 3. lib. 6. epist. 1. 4. 6. 10. 13. et 21. et lib. 7. epist. 3. quae recitare longum est: indicare loca, et quasi digitum ad fontem intendere, vnde hauriant, qui copiae studeant, satis duco.

Nisi inuidisset is] Pompeium, opinor, designat, a quo se proditum, contra datam fidem, saepe queritur.

Me enim amabas] Mea caussa illum non amabas, cuius inuidiam perfidiamque nosses.

Beatus esset] Hoc dicit: Si mecum ad tuendam libertatem consensisset, neque pernicioſam reipublicae cum Caesare societatem coiisset; non modo viueret, sed beatus esset, et cum eo omnes boni. De Caesare autem, et victore iam, et a quo veniam paullo ante impetrauerat, haec, vt opinor, scribere non auderet. nec inuidit ei Caesar, qui semper popularis fuit, et ab vrbe multos annos abfuit, dum in Gallia bellum gereret, sed Pompeius, qui parem

parem sibi Ciceronem in senatu non ferret.

Nullius vim] Lib 7. epist. 3. *Notum*, inquit, *tibi omne consilium meum esse volui, vt primum scires, me numquam voluisse plus quemquam posse, quam vniuersam rempublicam. Postea autem, quam alicuius culpa tantum valeret vnus, vt obsisti non posset, me voluisse pacem.*

Arma] Caesaris.

Quae semper timueram] Lib. 10. ad Attic. epist. 4. *Praeclara*, inquit, *conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe numquam, nisi diuine, cogitasse: eaque ipsa tempestate euersam esse rempublicam, quam ego XIV. annis ante prospexerim.*

Quem ego idem effeceram] In consulatu. lib. 1. epist. 9. *Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnumquam postea interruptus, afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab iis, a quibus tuendus fuerat, derelictus.* Eodem illud spectat ex lib. 1. ad Attic. epist. 17. *Tueor, vt possum, illam a me conglutinatam concordiam.*

Quauis tuta conditione] Quavis, modo tuta. lib. 6. epist. 6. *Caussa orta belli est. Quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem.* Et lib. 7. ad Attic. epist. 5. *Ego is sum, qui, illi concedi, putem vtilius esse quod postulat, quam signa conferri. Sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos.* Et ad Pompeium lib. 8. ad Attic. epist. 11. *Mea quae semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de vrbe, meminisse te arbitror. — Prae me tuli, me nihil malle, quam pacem; non quin eadem timerem, quae illi: sed ea bello ciuili leuiora ducebam.*

Rerum Africanarum] Africani belli, quod inter Caesarem, et Scipionem ac regem Iubam gestum est.

Quid interfit, non sane intelligo] Caussam infra exponit: quia non multum inter victores interfuturum putat. de Pompeianorum crudelitate, si vicissent, vide lib. 4. epist. 9. et 14. et lib. 9. epist. 6.

Inter victorias non multum interfuturum] Idem lib. 6. epist. 3. et 4. item lib. 4. epist. 9. et 14. lib. 9. epist. 6.

Iniuriam] Vrbe carebat Mescinius, hac illi, vt opinor, a Caesare poena impositа, quia Pompeium initio belli secutus esset. nam, quin hoc tempore fuerit in Italia, dubitandum non est; cum subiungat Cicero: *ad te veniam breui. Iniuriam* igitur, quod vrbe immerito careret. Sic ad Caecinam, eadem caussa exsulantem, lib. 6. epist. 5. *Ea natura rerum est, et ita temporum cursus, vt non possit ista aut tibi, aut ceteris, fortuna esse diuturna; neque haerere in tam bona caussa, et in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria.* Et lib. 6. epist. 10. *Iniuriam temporum.*

Cum summam humanitatem, tum etiam tuas litteras] Naturam et doctrinam laudat: quarum

altera efficiat, vt pacatiore animo Mescinius iniuriam ferat; altera, vt humana omnia, cum absit culpa, ne putet in malis esse numeranda.

Sicut omnes fere] Quod reprehendere coeperat, excusat multorum exemplo. nam, *fere*, dixit, ne omnino superiorem eius mollitiem excusaret.

Vita ingenua] Quam nunc tempora eripiunt. quod enim sentimus, eloqui libere et ingenue non licet.

Beata et libera] Nunc miserrima et seruiente.

Nullum sensum] De quo tamen dubitare visus est in epist. 16. sed orationem tempori accommodat.

Si me diligis] Dubitatio videtur, quae nulla tamen est. valet enim, pro amore in me tuo, pro eo quantum me diligis, et in extrema epistola, *me velim*, inquit, *vt facis, diligas*, qui locus ex hoc dubitationem tollit.

Seruias] Et *seruire*, et *inservire*, et *indulgere*, et *obsequi valetudini*, dicitur. lib. 16. epist. 9. 17. 18.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM VI.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Athenis exsulantem Torquatum, qui contra Caesarem a Pompeio steterat, reuocare studet a sollicitudine ac moerore animi ad tranquillitatem: in quam sententiam colligit haec, quae ad consolandum valeant: primum, ita perturbata esse omnia, vt sua fortuna contentus nemo viuat: deinde conditionem eorum, qui Romae sint, et ea cernant, quae quotidie fiunt, deteriorem esse, quam eorum, qui absint: quare non esse ei molestе ferendum, quod vrbe careat: quodsi suos suaque desideret, ne hoc quidem nomine dolendum; quando illa nullo sint in proprio periculo, nec, vt meliore statu fruantur, ipsum praesentem praestare posse: quod vero ad eius fortunam pertineat, nec desperandum esse, nec timendum aut a Caesare, aut a Pompeianis, si acciderit, vt vincant: sin ob commune reipublicae periculum angatur, solatio esse debere conscientiam optimorum consiliorum: vt virtus, licet rebus omnibus destituta, se tamen ipsa sustentet: nec vero eum, qui alios olim excitauerit, abiectiore esse animo debere: propterea, cur non aliquam ab ipsa Athenarum vrbe, rationis ac moderationis parente atque altrice, doloris medicinam petat? cur non Ser. Sulpicii, amicissimi hominis ac sapientissimi, consuetudine recreetur? extremum illud, quasi extra consolationem, subiungitur; quod mihi tamen ad leniendum dolorem vim habere aliquam videtur; de sua in eum eiusque liberos voluntate, et de spe proficiendi aliquid in eius caussa; quod assiduitas vni rei dedita, vel si absit auctoritas, nonnihil tamen praestare posse videatur. Suspicor interdum, scriptam esse hanc epistolam non Africani belli tempore, sed Hispaniensis, quia quarta huius libri sine dubio scripta videtur Caesare in Hispaniis rem gerente: significat enim, Sulpi-

cium Athenis discessisse. qui cum in Graecia fuerit, quo tempore M. Marcellus interfectus est, vt ex lib. 4. epist. 12. intelligitur; Marcellus autem, Caesare in Hispaniis contra Pompeii liberos pugnante, obierit; quod indicant epistolae quaedam lib. 13. ad Attic. non videtur Sulpicius ante bellum Hispaniense Athenis discedere potuisse. praeterea, Tullia, Ciceronis filia, bello Hispaniensi periit: Caesarque ex Hispaniis, et Sulpicius e Graecia consolatorias ad Ciceronem litteras miserunt: cum Sulpicius breui discessurus esset: quod indicat lib. 4 epist. 6. in qua est: Properabam, tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. *quo patet, discessum Sulpicii in Hispaniense bellum cadere. Nec putetur illa quarta, Hispaniensi bello; haec vero prima, Africano scripta. nam in quarta, in qua de Sulpicii discessu mentio fit, appellatur haec prima, in eo loco:* vt ad te scripsi antea, tempus est huiusmodi, vt suam quisque conditionem miserrimam putet: et, vbi quisque sit, ibi esse minime velit. *Quod, opinor, Cicero non diceret de litteris ante tot menses conscriptis, quot inter Africanum et Hispaniense bellum interfunt.*

EXPLANATIO.

A *Torquato*] Manliae gentis, patriciae, antiquissimae. patriciam autem et Cicero hanc gentem fuisse ostendit in orat. pro Sulla c. 8. verum et plebeios fuisse Manlios, idem testatur in Phil. 1. c. 13. *Propter vnius*, inquit, *M. Manlii scelus, decreto gentis Manliae, neminem patricium M Manlium vocari licet.* Nisi haec dixit habita ratione sui temporis; cum et patricii et plebeii essent Manlii; non quod eo tempore, quo Manlius Capitolinus damnatus est, Manlii duorum generum essent. Liuius quidem lib. 6. c. 20. hoc Manliae gentis decretum memorat, omissa patriciae mentione. *Torquati* cognomen a Torque natum, quem Gallo singulari pugna victo detraxit T. Manlius. qua de re Liuius lib. 7. c. 10. Gellius lib. 9. c. 13. Cicero lib. 1. de Fin. c. 7. et Tusc. 4. c. 22. et lib. 3. de Offic. c. 31. Hunc Manlium vocat optimum virum lib. 1. ad Attic. epist. 1. Transiit ante Ciceronem in Graeciam ad Pompeium, vt lib. 9. ad eundem epist. 8. Africam videtur administrasse post praeturam: nam consul numquam fuit. leguntur enim haec in oratione pro Plancio c. 11. *Adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo grauissimo, et sanctissimo, atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, vt et contubernii necessitudo, et adolescentis modestissimi pudor postulabat.*

Etsi ea perturbatio est — esse malit] Infra eadem sententia, epist. 4. *Tempus est huiusmodi, vt suam quisque conditionem miserrimam putet: et, vbi quisque sit, ibi esse minime velit.* Hic aduertendum, quater in primis huius epistolae comprehensionibus repetitum, *etsi, tamen:* in quo si quis hodie nostrum offenderet, excusari vix posset.

Quisquis] *Quisquis*, pro *quisque* interdum veteres vsurparunt, vt

vt hic ipse Tusc. 5. c. 34. *Vt quidquid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.* Lib. 4. in Ver. c. 13. *Ita odorabantur omnia et perueſtigabant, vt, vbi quidquid esset, aliqua ratione inuenirent.* Plautus in Trin. Act. 4. Sc. 2. v. 39.

Sin vnum quidquid ſingillatim
et placide percunctabere.

Lucretius autem saepissime.

Oculi augent dolorem] Oratorie modo sensum oculorum auget, aurium imminuit, modo contra. nam lib. 4. epist. 9. aurium sensu plus doloris, quam oculis percipi dixit: quia Marcello reditum suadebat: hic, vt absentem Torquatum consoletur, oculis augeri dolorem ait. et epist. 4. *In malis*, inquit, *omnibus acerbius est videre, quam audire.* et lib. 4. epist. 13. *Nec audio ſolum, quod ipſum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.*

Intueri coguntur] Quo dolor fit acerbior. audire autem, qui non vult, non cogitur: itaque potest auertere cogitationem a miseriis.

Nec auertere a miseriis cogitationem sinunt] A consuetudine enim oculorum animum abducere, difficillimum est.

Multarum rerum desiderio] Quas cum republica perdiderimus.

Cum magna moleſtia tuos tuaque deſideras] Liberos in primis: de quibus epist. 4. *Reliquum est, vt te angat, quod abſis a tuis tam diu. Res moleſta, praesertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festiuius.*

Aut praecipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem recuſare] Sic lib 4. epist. 15. *Non debes aut propriam fortunam et praecipuam poſtulare, aut communem recuſare.*

Agitare animo] Tribus modis hoc verbum ad eandem sententiam accommodatur, *agitare animo, agitare in mente, agitare* simpliciter. primus hoc in loco modus ostenditur, et pro Fonteio c. 6. *Vos et saepius eandem rem animis agitare, et diutius vno de teſte cogitare potestis.* Alter lib. 1. de Nat. deor. c. 41. *Habet nihil aliud, quod agitet in mente.* Tertius lib. 3. in Ver. c. 96. *Quodſi ille hoc vnum agitare coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae.*

Vt non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem aut timorem] Vt in tuis cogitationibus locum desperationi aut timori nullum tribuas: id est, vt neque de reditu desperes, neque saluti tuae timeas.

Qui in te adhuc iniuſtior, quam tua dignitas poſtulabat, fuit] Caesarem significari manifestum est: de quo paullo mitius epist. 4. *Eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua ſalute ſententia.*

Non magna] Affirmant duae negantes particulae, sed ita, vt aliquid imminuant. plus enim erat *magna signa*, quam, *nec non magna.*

Nec tamen is ipſe] Cur salutis amittendae timore angamur, cum is ipse, a quo seruari volumus, eodem timore vacare non possit? Augurium Ciceronis breui Caesaris interitus comprobauit.

Omnium bellorum exitus incerti] Vtrius partis victoria sit futura,

incertum est. epist. 4. *Omnis belli Mars communis, et semper incerti exitus proeliorum.* et Phil. 10 c. 10. *Vt concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem.*

Ab altera] Si Caesar vicerit in Hispania.

Seiunctum ab omnium interitu] Aut simul omnes victoris clementia seruabimur; aut eiusdem ira peribimus. epist. 4. *Illud cuiuis facile est dicere, cur praecipue tu dolere nihil debeas.*

Ab altera] Si vicerint Pompeiani.

Numquam timuisse] Licet a bello discesseris. *Numquam*, dicit, vt significet nec antea, bello scilicet Africano, timuisse Torquatum a Pompeianorum victoria.

Quasi consolationis loco] Non plane consolationis loco: quia, cum patria, quae nobis rerum omnium carissima debet esse, periclitetur; minus angi priuatis incommodis debemus. itaque communis periculi recordatio, quasi quaedam consolatio videtur esse. Huius generis illud est in epistola sequenti: *Misera est illa quidem consolatio, tali praesertim ciui et viro, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue dolendum in eo, quod accidat vniuersis.*

Multa dicant] Quae ad consolandum valent. significat ea, quae insignes philosophi de sedando luctu conscripserunt: quorum sententias postea Cicero, amissa filia, in sua scripta transtulit, aegritudinis leniendae caussa. eorum nomina recitat diuus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. *Legimus*, inquit, *Crantorem, cuius volumen ad consouendum dolorem suum secutus est Cicero: Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Posidonii ad sedandos luctus opuscula percurrimus; qui diuersis aetatibus diuersorum luctum vel libris vel epistolis minuere sunt conati: vt etiam, si illorum areret ingenium, de illorum posset fontibus irrigari.*

Vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri] Mei veteres libri, *vlla*, omnes habent: sed, *nulla*, requirit sententia. nam *vereor* cum simplici negatione coniunctum, vsurpatur in rebus, quas accidere nolimus, vt *vereor, ne filius peccet:* cum gemina vero negatione, in rebus, quas accidere vellemus: vt, *vereor, ne filius non recte viuat:* volumus enim filium recte viuere: interdum, quod idem valet, pro gemina negatione vtimur, *vt*, hoc modo: *vereor, vt filius recte viuat.* quare videtur aut legendum hic, *vereor, vt consolatio vlla possit vera reperiri:* aut, *vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri.* nam et paullo post, cum dicit, *vereor, ne nefas sit dicere:* hoc significat, nefas sit dicere. sic igitur, si dicas, *vereor, ne consolatio vlla possit vera reperiri:* hoc significes, consolatio aliqua possit vera reperiri. quod a Ciceronis mente discrepat. nullam enim ait sibi videri esse consolationem tanti mali, praeter illam, etc. Vide, quae de hoc verbo, *vereor*, diximus in lib. 2. epist. 1.

Quantum in cuiusque animo roboris est atque neruorum] Non enim omnes, qui praeteritam vitam aeque laudabiliter traduxerint, aeque conscientia sustentantur: sed vt quisque firmo aut infirmo

firmo animo est, ita maiorem aut minorem a conscientia consolationem capit. quo spectat illud in epist. 4. *Quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est.*

Satis est] Ergo felicitas non ab iis rebus, quae ab aliis aut a fortuna dantur, sed a nobis est: quae Stoicorum fuit opinio: vt lib. 1. Acad. c. 10. sed Aristoteles Ethic. lib. 1. et Polit. lib. 7. adiunxit externa bona.

Bene beateque viuendum] *Bene viuit*, qui cum virtute viuit: *beate*, cui nihil omnino deest. addidit enim *beate*, quia *recte viuere*, non idem est cum beate viuere: quod Ethic. lib. 1. ad Eudemum scripsit Aristoteles. nobilitas enim, proles, opes, diuitiae, amici, vires etiam corporis et pulchritudo ad beatitudinem conferunt: sine quibus tamen licet bene viuere: quod virtutis est.

Vereor, ne eum — nefas sit dicere] Interrogandi nota sententiam alii concludendam putant. quibus assentirer, si legeretur, *verear*. quomodo autem nunc est, elicitur hoc: fortasse nefas est eum appellare miserum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit. nam vt, *non vereor ne*, negationem significat: vt illud lib. 2. epist. 7. *Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias:* idem est, ac si dicas, nihil te timide, nihil stulte facturum confido: et lib. 5. epist. 12. *Non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar.* vt igitur qui dicit, *non vereor ne*, negat, non affirmat: sic qui ait, *vereor ne*, affirmat potius, quam negat. timet enim aliquid futurum, quod nolet. quocirca, *vereor, ne nefas sit dicere:* valet, opinor esse nefas: vel, fortasse nefas est dicere. Minime igitur necessaria est nota illa interrogantibus vsitata. Neque vero, *non vereor*, legendum est: ne sine caussa discedamus ab antiquis libris.

Optimorum consiliorum] Cum dixerit, *bene sentire, rectèque facere*, videtur hic addere debuisse, *atque factorum.* sed nobilius posuit, nec alterum, licet omitteret, excluſit.

Miserum] Non enim eo te miserum putes, quia respublica miserrima est; cum te possis optimorum consiliorum conscientia sustentare.

Victoriae praemiis ductos] Vt Pompeianos quosdam: de quibus epist. 6. *Victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio (nam is mouebatur) quam ab iis, qui duce Pompeio freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant.* hanc rem et Caesar attigit lib. 1. de bell. ciu. c. 3. 4.

Officium] Lib. 9. epist. 5. *Secuti sunt non spem, sed officium.*

Nec ERN. *Qui neque cum id faciebamus, tam eramus amentes*] Haec particula, *neque*, hic habet vim quandam, non saepe vsitatam: subauditur enim, *non modo:* vt sit: *non modo nunc, sed neque tunc.* Simpliciter lib. 9. epist. 15. *Neque ego aliter accepi.* et lib. 1. ad Attic. epist. 5. *Neque id neglexi.*

Si id euenit] Vt vinceremur.

Ingredientibus nobis in causſam] Publicam causſam suscipientibus contra Caesarem, senatui dicto non audientem. Eandem sententiam

posuit epist. 12. in eo loco: *Cum recordarer, te in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum, vti victor, beatus; sed etiam, vt, si ita accidisset, victus, sapiens esses.* Nec dissimiliter in epist. 6. *Sin, propter incertos exitus euentusque bellorum, posse accidere, vt vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse.*

Cadere animis] *Cadimus animo*, et *cadit animus*, vtrumque enim dicitur: in Laelio c. 7. *Nec debilitari animos, aut cadere patitur.* Et Tusc. 3. c. 18. *Simul animus cum re concidit.* Et Phil. 3. c. 9. *Allato nuncio de legione quarta, mente concidit.*

Praestandum] *Praestare culpam* dicitur, qui culpam vitat. hoc praestarè debemus: reliqua ne curemus: non enim praestanda nobis sunt; quia malum in vna culpa situm est.

Perditis rebus omnibus] Hoc refertur ad illud: *reliquum est, vt te excruciet commune periculum reipublicae.* Haec, inquit, ideo dixi, vt intelligas, vel si omnia interierint, virtutem tamen sustentare se ipsam posse. Quanta igitur cuiusque virtus, tantam ille ab ipsa virtute consolationem capit. quod supra dixit, quantum in cuiusque animo roboris est atque neruorum, tanta consolatio est. atque haec virtus, hoc robur, hi nerui sunt eorum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possunt. Quod autem hic, *perditis rebus*, infra dixit, *perdita republica:* et in epistola sequenti, *rempublicam funditus interire:* et ibidem paullo post: *si omnino interierint omnia.* et epist. 21. *euersis omnibus rebus:* et epist. vlt. libri superioris, *funditus euersam fortunam.* Contrarium est, *saluis rebus*, lib. 4. epist. 1.

Quicumque status est futurus] Infra: *Nec dubitare debes, quin aut aliqua republica, sis futurus, qui esse debes; aut perdita, non afflictiore conditione, quam ceteri.* Idem in epistola sequenti.

Atque haec mihi scribenti veniebant in mentem] Eleganter interdum a particula, *atque*, sententiam ordimur, vt proxime, *atque haec eo pertinet oratio.* et epist. 6. *atque vtebar familiarissime Caesare.* et ad Terentiam lib. 14. epist. 4. *Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum.*

Desperationem] Cum de republica desperabam, si res ad arma deduceretur.

Consilium improbabam] Pugnari nolebam: cupiebam quamuis iniqua conditione pacem. epist. 4. et 6. et libro superiore epist. vlt.

Multo ante confirmata per nosmetipsos] Cum Pompeius iterum consul operam dedit, vt Caesari Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur. de quo in epist. 6. ipsum Pompeium consulem pugnasse dicit. et lib. 8. ad Attic. epist. 3. de Pompeio: *Istum in rempublicam ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor: ille Galliae vlterioris adiunctor: ille gener: — ille prouinciae propagator: ille absentis in omnibus adiutor.* Eadem dixit in Phil. 2. c. 10.

Pilis

Pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus] Sic lib. 4. epist. 7. *Non enim iis rebus praestabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa, quae erant in nobis superiora, sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus.*

De iure publico disceptari] De ipsa republica contendi. sic lib. 4. epist. 4. *Postquam armis disceptari coeptum est de iure publico.* et epist. 14. eiusdem libri: *Quanto periculo de iure publico disceptaretur armis.*

Neque ego diuinabam] Futura non videbam: sed, ne acciderent, timebam.

Euentu atque exitu] Exitus euentu, non euentus exitu, posterior est. nam vltra euentum exitus est: vltra exitum nihil omnino.

Id futurum, quod euenit] Fore, vt Caesar vinceret.

Exploratius promittere] Non plane promittere, sed exploratius, quam de victoria Pompeii. hoc quidem exploratius, quam illud, promittere, diuinare tamen plane non poteram.

Iis rebus] Consiliis, auctoritatibus, caussa. paullo ante. et lib. 4. epist. 7.

Militum robore] Lib. 7. epist. 3. de Pompeio: *Signa, tirone et collectitio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit.*

Sed tu illum animum] Tale illud Sulpicii lib. 4. epist. 5. *Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt.*

Philargyrus] Liberti cognomen, quod in seruitute nomen vnicum fuerat. valet autem, *amator argenti.*

Suspensi] Exspectatione euentus. pugnabatur enim in Hispania: itaque dixit supra: *Cum omnium bellorum exitus incerti sint, etc.* et epist. 4. *Videmur intelligere non diuturnum bellum.*

In vrbe ea] Athenis. Pro Flacco c. 26. *Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur.* et lib. 1. de Orat. c. 4. *Athenae omnium doctrinarum inuentrices.* epist. 4.

Nata et alta] In Bruto c. 10. *Videsne, in ea ipsa vrbe, in qua et nata, et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem?* Veteres ab *alo* et *altum*, et *alitum* deducebant. Priscianus, et Diomedes.

Ratio ac moderatio vitae] Ob doctrinam, religionem, iura, leges. ideo putabantur Athenae in tutela Mineruae.

Ser. Sulpicium] Graeciae praepositum a Caesare. epist. 6. *Brutum Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae.* vide, quae diximus lib. 4. epist. 12.

Beneuolentia et sapientia] Quae sapienter in re nostra dicuntur ab amicis, creduntur facilius, et magis mouent, quam si dicantur ab alienis. ideo coniunxit cum sapientia beneuolentiam. epist. 4. in extremo.

Auctoritatem et consilium] Omnino cauendum ciuile bellum, cuius initia cernebantur, Sulpicius consul censuit. lib. 4. epist. 3. *Absens*, inquit, *cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero*

bello cauendo et praedicendo sententia, et quae sequuntur.

Togati potius potentiam, quam armati victoriam subiissemus] Simile illud in epist. 6 *Nolo hunc de me optime meritum, existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps: sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.* Subiissemus, inquit, potentiam, vt vt rem grauem, sed victoria tamen leuiorem. ideo in epist. 4. *Cupiebam, quamuis iniqua conditione, pacem.* et in vltima superioris libri: *Quauis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.*

Quam necesse fuit] Amorem suum declarat, ac studium confirmandi Torquati, cum plura etiam fortasse scripserit, quam necesse fuit. simul illum tacite laudat, quasi virtus eius minus multa desideraret. hoc ipsum dicit in epistola tertia, addita, quam hic omittit, ratione, cur fuerit longior. *Superioribus*, ait, *litteris, beneuolentia magis adductus, quam quo res ita postularet, fui longior. Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua.* Et epist. 4.

Illa, quae maiora sunt, breuius exponam] Rerum diuersarum connexio, in qua laborare multos video, vulgare non requirit ingenium. hic Cicero a consolatione doloris ad promissionem auxilii percommode transit. nam, cum dixisset, *haec longiora*, subiunxit, *illa maiora*. sic epist. 3. *Sed haec consolatio leuis est: illa grauior*. Et ad Appium lib. 3. epist. 10. *Atque haec domestica. Quid illa tandem popularia?* Et ad Cassium, lib. 12. epist. 2. *Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui vestro anno filium suum consulem futurum putet.* Et Phil. 2. c. 11. cum obiicienti Antonio, ciuile bellum eius culpa natum esse, copiose respondisset, transitum ita quaesiuit ad aliam rem, vix vt interrupta narratio videatur, hoc modo: *Sed haec vetera: illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum.* Huius generis innumerabilia fere occurrunt: sed fastidium vitemus, et haec sibi quisque, quod nos olim facere consuevimus, notet in legendo.

Neminem] Quia perierat Cn. Pompeius, et P. Lentulus, quorum opera restitutus ab exsulio fuerat.

Quibus tantum debebam, quantum tu intelligis] Plus scilicet, quam tibi. sed, cum eos belli casus eripuerit, nemo, cui plus quam tibi debeam, supereſt. epist. 4. *Beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar.*

Belli casus eripuit] *Mors eripuit*, de iisdem dixit, lib. 4. epist. 13.

Qui sim] Epist. 10. *Eodem tempore, eademque de caussa, nostrum vterque cecidit.* et epist. 13. *Eadem caussa opes meas fregit, quae tuam salutem in discrimen adduxit.* et in vltima huius libri: *Quid possim, nescio, vel potius me parum posse sentio.*

Studium, certe velim existimes ERN. *Studium certe*] Si consilio et opera prodesse tibi non multum potero, studio certe numquam deero.

EPISTO-

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Excusat se, quia varius antea scripserit: spem aliquam affert de reconciliato Caesaris animo: nihil ei praecipue timendum significat. Scripta videtur eodem anno.

EXPLANATIO.

Leuari] Persistit in translatione, quia dixerat, *grauitate.*

Varietate] *Varietatem* non vocat mutationem caussae; quia scilicet modo timuissent homines, modo speraſſent; sed quod varietas fuerit inter causſam Torquati, et voluntatem opinionemque hominum; propterea quod, cum ei reditum in Italiam Caesar concessisset, vt infra ostendemus; fore sperauerunt homines, vt paullo post redeundi quoque in vrbem facultas ei permitteretur. in quo se difficilem Caesar praebuit.

Adhuc] Sperare se aliquid ostendit. nam, *adhuc*, varietatis illius, quam proxime nominauit, quasi terminus videtur.

Aut volebant, aut opinabantur] *Contra voluntatem, et praeter opinionem*, dixit lib. 3. epist. 3.

Pro malis temporum] Si rem ipsam spectes, molestе ferendum videtur: si tempora consideres, quae pessima sunt; mihi crede, non est cur molestе feras. Lib. 13. epist. 28. *Pro horum temporum perturbatione.* lib. 12. ad Attic. epist. 14. *Pro malis, recte habebat.* Alibi, *vt in malis, vt in perditis rebus.*

Armis vrgeri rempublicam sempiternis] Vt in armis de iure publico semper disceptetur, sicut adhuc quidem disceptatur.

Positis] Infra addidit, *abiectis, aut detractis.* hic *positis*, communiter pro omnibus vsurpatum est.

Funditus interire] Amissa libertate: quod accidit: numquam enim postea suum ius respublica recuperauit.

Si arma valebunt] Non loquitur de victoria armis parta, sed de contentionis diuturnitate: id est, si armis res agetur. hoc enim ad illud respondet, *necesse est armis vrgeri rempublicam sempiternis.* De victoria vero statim subiungit.

Reciperis] Recipiebatur, quia, licet in vrbem redire non posset, in Italia tamen ei licebat esse. Hoc etiam e postremis epistolae verbis colligitur: *Vt, aut quo scribam, aut quo veniam, scire possim.* nam, si extra Italiam Torquatus esset; non diceret Cicero, *quo veniam.* Praeterea, Torquatum in Tusculano fuisse, eiusque causſam Dolabellae a Cicerone commendatam, vt scilicet eius reditum in vrbem a Caesare ex Hispania redeunte impetraret, licet intelligere ex lib. 13. ad Attic. epist. 9. Εὐκαίρως, inquit, *ad me venit, cum haberem Dolabellam, Torquatus; humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit. commodum enim egeram diligentissime: quae diligentia grata est visa Torquato.* Et ad eundem epist. 20. *Torquato nostra*

stra officia grata esse, facile patior: eaque augere non desinam. Et epist. 21. *Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella?* Et epist. 45. *Cum Dolabella viuendum esse istis diebus vides. quod nisi me Torquati caussa teneret, satis erat dierum, vt Puteolos excurrere possem.* Atque illae ad Atticum epistolae, Caesare ex Hispania, deuictis iam Pompeii liberis, redeunte, scriptae sunt: hae vero ad Torquatum, adhuc pugnante: id quod perspicuum satis est: haec tamen vna, confecto iam bello, et concessa Torquato manendi in Italia, non in vrbem veniendi, potestate, scripta videtur esse, ideoque reiicienda in extremum locum.

Conditione] Quod inter vtramque partem de ponendis armis conveniat.

Victoria detractis] Alterutra parte vincente, ita vt bellum nullum supersit.

Respirauerit] Quia non amplius armis vrgebitur respublica. quod si, victoria detractis armis, ciuitas respirauerit; bonitas in eo et clementia indicari videtur. in quo Caesari, qui secunda iam fortuna vsus erat, Cicero assentatur. quamquam Pompeii partes afflictae nondum penitus erant.

M. Antonius] Orator ille summus, qui loquitur in oratoriis libris.

Iam tum timebat] Ante Marii et Sullae bellum, quo in bello ipse est interfectus.

Suspicabatur] Ex discordiae principiis. hoc significatur lib. 1. de Orat. c. 7. nam de sermone inter Scaeuolam, Antonium, Crassum habito, sic ait: *Quo quidem in sermone multa diuinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, vt nihil incidisset postea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.*

Tali praesertim ciui et viro] Qui ne hoc genere consolationis indigere deberet, probitate et virtute meritus est. *Ciuem* et *virum* saepe coniungit Cicero. vt lib. 4. ad Attic. epist. 15. *O virum! o ciuem!* et alibi.

Necessaria] Quid enim praeterea consolari posset?

In his paucis verbis] Non his proximis, quibus de omnium rerum interitu locutus est, sed illis superioribus, ab eo loco, *necesse est aut armis vrgeri rempublicam sempiternis:* quibus aliquid eum, quod speret, habere ostendit. nam, tribus propositis, si arma valeant, si omittantur, si funditus intereant omnia; ex primo, liberat eum timore; ex altero, spem affert recuperandi fortunas et dignitatem; tertium si euenerit, praecipuum dolorem adimit in eo, quod accidat vniuersis. Ergo, cum subiungat hic: *profecto etiam sine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod speres:* ad superiora illa respexit.

Hoc] Dum de iure publico dimicatur.

Aliquo] Positis armis, aut abiectis, aut detractis: de quo supra.

Quo veniam] Erat igitur, vt dixi, Torquatus in Italia, nec tamen prope vrbem: nam aut ille ad Ciceronem, aut ad illum Cicero, cum praesertim hoc tempore extra vrbem esset, omnino accessisset. non fuisse autem in vrbe Ciceronem, cum

cum hanc epistolam scripsit, nec Torquatum prope vrbem, ostendunt superiora illa verba: *quod absim ab vrbe, vt, qui ad te proficiscantur, scire non possim.* Postea vero Torquatus propius vrbem accessit: vt recitata iam ex epistolis ad Attic. loca demonstrant.

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Quattuor vtitur rationibus ad consolandum. primum, quia maxime ad timorem mors proponitur, miserrimum esse ostendit, ita viuere, vt non sit viuendum: quod malum impendere, vtracumque pars vicerit. deinde, consolatur a communi conditione: tum, a vita innocenter tradueta: postremo, ab ipsa etiam morte, quae malorum sensum adimit. Scripta est paucis diebus post primam, quam significari primis verbis videmus. itaque restituenda videtur in suum locum, vnde retrusa est in tertium.

EXPLANATIO.

Quam quo res ita postularet] Idem dixit epist. 1.

Neque erat ea mea causa] Meae res eo loco erant: is erat mearum rerum status.

Earum rerum] Quae geruntur in Hispania.

Idem exitus] Victoriam insolentem et crudelem fore. infra.

Video animo] *Cernere animo*, dixit lib. 5. epist. 12.

Oculis cernimus] Lib. 10. epist. 19. *Nec vero quidquam video, quod non idem te videre certo scio*] Lib. 2. epist. 16. *Non eam cognovi aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id vt non putem videre.*

Quem exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest] Epist. 1. *Cum omnium bellorum exitus incerti sint.* epist. 4. *Cum omnis belli Mars communis, et cum semper incerti exitus proeliorum sint: tum hoc tempore ita magnae vtrimque copiae, ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, vt, vtercumque vicerit, non sit mirum futurum.*

Belli exitum] Belli finem. quod in epistola sequenti dixit, *nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum.*

Si id minus] De belli exitu, quem propinquum esse arbitror, falli fortasse possum: de ipsa certe victoria, qualis futura sit, minime fallor.

Qualis futura] Quid significet, indicant inferiora verba: *ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est.* quibus verbis amissio pristinae dignitatis, legum interitus, et victoris insolentia atque crudelitas praedicitur.

Si id vel ante acciderit] Si acciderit mors.

Ita enim viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est] Lib. 7. epist. 3. *Vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere.*

Mori autem nemo sapiens miserum dixit ERN. *duxit, ne beato quidem*] Miseriam in morte nemo sapiens constituit, sed in turpi vita: quod si ne beato quidem mori miserum

ſerum eſt, quanto minus nobis in iis miſeriis, quae poſt bellum impendent. lib. 5. epiſt. 16. *Vt ea non dicam, quae ſaepiſſime et legi et audiui, nihil mali eſſe in morte.*

In ea es vrbe] Athenis. epiſt. 1. et 4.

Parietes ipſi] Cum ſapientes multi Athenis de contemnenda morte diſputauerint.

Leuis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum] In epiſtola ſuperiore: *Miſera eſt illa quidem conſolatio, tali praeſertim ciui et viro, ſed tamen neceſſaria, nihil eſſe praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat vniuerſis.*

Aut eorum, qui diſceſſerint] Deſideratur omnino aliquid. deſignari enim duo genera hominum, ex eo, quod ſequitur, manifeſtum eſt. in antiquis libris non eſt alterum illud membrum, *aut eorum, qui remanſerint.* quod ex ingenio additum videtur. duo veteres libri habent, *quam quamuis eorum, qui diſceſſerint.* quod ſincerum exiſtimarem, niſi ſequeretur: *alteri dimicant; alteri victorem timent.* qui enim ab armis diſceſſerant, victorem Caeſarem timebant, contra quem pro Pompeio iam pugnauerant. itaque in epiſtola ſequenti, *nemo eſt*, inquit, *quin cogitet, quam ſit metuendus iratus victor armatus.*

Cum omni vacem culpa] Saepe in conſolationibus hanc ſententiam vſurpat. vide epiſtolam ſequentem et primam: ne multa eiusdem generis afferentes lectorem obtundamus.

Senſu omnino carebo] Amitti ſenſum in morte, et hic affirmat, et in epiſtola ſequenti: quod dubitare viſus eſt lib. 5. epiſt. 16. Ariſtoteles quoque non ſatis in eo ſuam ſententiam aperuit.

Rurſus] Quia rurſus de morte philoſophari coepit, quaſi veniam petit, cum ad eum ſcribat, qui Athenis, vt paullo ante dixit, ea vel plura vel ornatiora a doctiſſimis ac ſapientiſſimis viris audire poſſit. qui haec igitur ad te, noctuam ſcilicet Athenas mittit. Adagium inde ortum, quod Athenis nummi percuterentur cum imagine noctuae. noctuae igitur Athenis multae, quia nummi multi. lib. 9. epiſt. 3 et lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 16. et interpres Ariſtophanis.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Tres partes habet haec epiſtola. prima eſt de propinquo belli exitu: altera ad conſolandum pertinet: tertia ſtudium ac diligentiam pollicetur in iis rebus, quae ad Torquatum pertineant. Scripta eſt paullo poſt ſuperiorem proximam: nam in illa dixit, videre ſe exitum belli: in hac idem ſignificat, cum ait: nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum: *et in illa, nihil acceſſiſſe noui; in hac, noui nihil eſſe, quod ſcriberet.*

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Non diuturnum bellum] Quod in Hiſpania cum Pompeii liberis Caeſar gerebat: de quo dixit in epiſtola proxima: *belli exitum video.*

Non quo ego certo ſcirem, ſed quod haud difficilis erat coniectura ERN. *Non quo, ſed quod difficilis erat coniectura*] Mendoſus, et fortaſſe mutilus locus. nec opem ferunt antiqui libri. vnus Fuluii habet ſic: *putabam, quo ego certo ſciam, ſed quod difficilis erat coniectura.* alter: *putabam non quo modo, ſed quod difficilis erat coniectura.* reliqui omnes, vt impreſſum eſt. Ego hic ingenio nihil aſſequor, quod probem.

Omnis belli Mars communis] Incerta ſemper victoria eſt. vnde illud in orat. pro Milone c. 21. *Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem: qui ſaepe ſpoliantem iam et exſultantem euertit, et perculit ab abiecto.* et pro Sextio c. 5. *Nimium communem Martem, bellique caſum metuens.* et Phil. 10. c. 10. *Vt concedam incertos exitus eſſe belli, Martemque communem.* De hoc genere ornamenti ſic lib. 3. de Orat. c. 42. *Grauis eſt modus in ornatu orationis, et ſaepe ſumendus: ex quo genere haec ſunt, Martem belli eſſe communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellari pro vino, etc.*

Magnae vtrimque copiae] Pompeianae maiores. nam in eo libro, quem de bello Hiſpanienſi vel Hirtius, vel Oppius conſcripſit, c. 30. haec ſunt: *Erat acies* XIII. *aquilis conſtituta, quae lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus ſex, praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. Noſtra praeſidia* LXXX. *cohortibus, et octo millibus equitum.*

Vt, vtercumque vicerit, non ſit mirum futurum] Hic locus corrupti ſuperioris loci ſententiam demonſtrat.

Inter victorias] Hoc et in proxima epiſtola, et in ſuperioris libri vltima: ſed hic ratio ſubſcribitur.

Alteros] Pompeianos.

Propemodum] Non plane, ſed propemodum: quia, cum belli civilis initio Pompeiani crudeliter otioſis minati eſſent, inde licuit coniicere, quales in victoria futuri eſſent. vide lib. 9. epiſt. 6.

Iratus victor armatus] *Iratus* iis, qui Pompeium ſecuti eſſent. *Victor:* quia victoria, etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresque reddit: vt, etiam ſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur: multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito facienda ſunt. *Armatus:* nam, depoſitis armis, ira deferueſcit, et ad lenitatem animus paullatim delabitur: arma vero qui adhuc retinet, victoria recenti, facile iis ad caedem vtitur. Ab irato, a victore, ab armato quid non timendum?

Praeter illam: quae tamen, ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt] Haec eſt illa conſolatio, de qua dixit epiſt. 1. *Praeter illam, quae tanta eſt, quantum in cuiusque animo roboris eſt atque neruorum,* vt ea vti poſſis. non enim omnes ii, qui recte vixerint, aeque conſcientia ſuſtentantur: ſed, qui fortiores animo ſunt, eo maiorem a con-

conscientia consolationem capiunt. prodest igitur magis aut minus conscientia, pro cuiusque animo.

Euentus nostri consilii] Quia victi sumus.

Consilium] Quia pro republica arma sumpsimus. epist. 1. *Quoddam nobis officium iustum, et pium, et debitum reipublicae nostraeque dignitati videbamur sequi.* et lib. 9. epist. 5. *Consilii nostri, ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non poeniteret, nobis poenitendum putarem.*

Ad ferendum] Moderate: quod proxime dixit. est enim hic, *ferre*, pro tolerare.

Eius] Caesaris.

Qui tardior in te leuando fuit] Epist. 1. *Qui in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit.*

Non est mihi dubia de tua salute sententia] Epist. 1. *Signa dedit animi erga te mitigati.*

De aliis] De Pompeianis, si vicerint. eandem sententiam posuit in epist. 1. *Ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio: ab altera te ipsum numquam timuisse certo scio.* et epist. 2. *Si arma valebunt: nec eos, a quibus reciperis, vereri debes; nec eos, quos admisti.*

Quid sentiam] Cum tu quoque sentias idem, quod ego, ab iis tibi timendum non esse.

Pueris] Manlia natis. nam vt est in orat. pro Plancio c. 11 A. hic Torquatus vxorem habuit T. Torquati, fratris sui patruelis, filiam. feminas autem gentis nomine appellari solitas, quis iam nescit?

Festiuius] Festiuitas laudari solet in pueris. lib. 1. ad Attic. epist. 12. *Puer festiuus, anagnostes noster, Sositheus decesserat.* et pro Flacco c. 36. *Matercuiae suae festiuus filius. Festiuus* autem est, qui sermone et adspectu hilaritatem excitat. et lib. 2. ad Attic. epist. 6. *festiuam librorum copiam* dixit Cicero, quam cum videret, laetabatur, et *festiuam picturam* in Parad. 5. c. 2. *Nonne igitur sunt ista festiua?*

Vt ad te scripsi antea] Initium significat epistolae primae.

Acerbius est videre, quam audire] Epist. 1. *Oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.* et lib. 4. epist. 13.

Ad omnes casus subitorum periculorum magis obiecti sumus] Vide ingenium. diuerso modo in re diuersa argumentatur. nam hic ad leniendum Torquati desiderium, vrbanam vitam subitis periculis obiectam esse ait: at, lib. 4. epist. 9. cum ad Marcellum scriberet, quem Romam redire cupiebat, tutiorem esse probat in vrbe vitam, quam in externis alienisque locis. *Magna*, inquit, *gladiatorum est licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia.*

Obiecti] Proposiți, vt lib. 5. epist. 16.

Litterae] Vide lib. 4. epist. 3. et lib. 5. epist. 15. et epist. 6. huius libri, et lib. 9. epist. 2. et 3. et vlt.

Longinquitas temporis] Lib. 4. epist. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.* Et lib. 5. epist. 16. *Quod allatura est ipsa diuturnitas, quae maximos*

maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. — Quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus. Et lib. 12. ad Attic. epist. 10. *Consolationum multae viae, sed illa rectissima, impetret ratio, quod dies impetratura est.* Et lib. 7. epist. 28. *Me non ratio solum consolatur, quae plurimum debet valere, sed etiam dies, quae stultis quoque mederi solet.*

Quanto fuerim dolore, meminisli] Offendi scio Latinae linguae rudes hoc loquendi genere: quasi mendosum sit, *quanto fuerim dolore:* sincerum autem, *quanto fuerim in dolore:* quia scilicet non dicatur, *ego sum laetitia*, sed, *ego sum in laetitia.* Apte vero et apposite. quis enim hoc negat, *ego sum laetitia, dolore, spe*, Latine non dici? at illud quis negare potest, *ego sum magna laetitia, magno dolore, magna spe*, recte et eleganter dici? Discant igitur vti similibus exemplis, vbi refellere aliquid, aut probare conantur, nec tam facile consensum auctoritatemque veterum omnium librorum contemnant.

Ceteros] Qui pacem improbabant: non, *ceteros*, omnes: nam Ser. Sulpicius, M. Marcellus, et alii pacem suaserunt. lib. 4. epist. 1. 2. 3. 7. 9.

Quamuis iniqua conditione] Epist. vlt. superioris libri: *Quauis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.* Et infra epist. 6. et ad Pompeium lib. 8. ad Attic. epist. 11. *Mea quae semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, meminisse te arbitror.* Et lib. 7. ad eundem epist. 5.

Casu factum] Vt viderim plus, quam ceteri: id est, vt Caesar vicerit: quod ego metuens, cupiebam quamuis iniqua conditione pacem.

Si iam vocer ad exitum vitae] Si quis mihi vitam eripiat. Non loquitur de naturali morte: sequitur enim: *vetat in eo vim timere.*

Non ab ea republica aueller, qua carendum esse doleam] Eadem consolatio lib. 5. epist. 17. *Illud vtinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res vlla delectet.* Et infra epist. 6. *Exponerem etiam, quemadmodum hic, et quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viueremus. necesse est enim minore desiderio perdita republica carere, quam bona.*

Sine vllo sensu] Earum rerum, quae accidunt in vita. infra, et epist. 3. *Si non ero, sensu omnino carebo.*

Adiuuat aetas; et acta iam vita] Epist. 20. *Ita viximus, et id aetatis iam sumus.*

In eo] In morte, a qua non longe absumus.

Vim] Quae a victoribus possit afferri.

Is vir] Cn. Pompeius, tribus triumphis clarus. Argumentum a casibus clarissimorum virorum: quo etiam vsus est epist. 6. *Commemorarem*, inquit, *non solum veterum, sed horum etiam recentium vel ducum, vel comitum tuorum grauissimos casus. Etiam externos multos claros viros nominarem. Leuat enim dolorem communis*

quasi legis et humanae conditionis recordatio.

Ii viri] M. Bibulus, P. et L. Lentulus, L. Domitius, Ap. Claudius, alii.

In ipso illo, quod timetur] In morte. sic lib. 10. ad Attic. epist. 14 *O vitam miseram! maiusque malum, tamdiu timere, quam est illud ipsum, quod timetur!*

Dolor nullus] Amisso sensu. paullo ante, et epist. 3.

Beneuolentia] Vide initium superioris epistolae.

Seruium] Sulpicium, qui Achaiae praeerat.

Athenis] Vrbe eius imperii et iurisdictionis, epist. 1.

Prudentissimi] Epist. 1. *Qui te profecto et beneuolentia et sapientia consolatur.*

Tua virtute] Quando Seruius discessit, cuius te beneuolentia et sapientia valde leuabat. Ne tamen omnem in vno Sulpicio Torquati consolationem sitam fuisse ostenderet, ideo dixit, *vt soles.* ita eum debita virtutis laude non privauit: quam tamen ei, vt in epist. 6. legitur, Philargyri sermo ademerat. Et quod hic, *tua virtute*, in epist. 6. *firmitudine animi*, dixit.

Studiose diligenterque] Studium est animi: diligentia re ipsa praestatur.

Beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar] Lib. 1. epist. 8. dixit, *minus faciemus, quam debemus.* et epist. 4. eiusdem libri: *Si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videor tuorum meritorum assecutus.* Merita Torquati significantur et in epist. 1. in extremo: *Ego*, inquit, *habeo, cui plus quam tibi debeam, neminem. Assequi* plus est, quam *imitari.* imitatur enim is, qui post sequitur: assequitur autem, qui ad eum, quem sequebatur, iam peruenit. vtriusque verbi vim plane Cicero expressit lib. 1. de Leg. c. 2. *In historia*, inquit, *puerile quiddam consectatur: vt vnum Clitarchum, neque praeterea quemquam, de Graecis legisse videatur: eum tamen velle dumtaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset.*

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

A. Caecinam, qui non modo contra Caesarem pro Pompeio pugnauerat, verum etiam illi, edito libro, maledixerat, patria carentem consolatur, beneque sperare iubet de fortunis suis, ac de se ipso. In extrema epistola pollicetur officia sua, tamquam Caecinae meritis, et vetustae debita necessitudini. Scripta videtur paullo ante, quam Caesar in Hispaniam contra Pompeii liberos iret. nam de vino Marcello et restituto, in sequentibus litteris mentio fit: Marcellus autem restitutus est post bellum Africanum; interfectus, cum in Hispania pugnaretur: quod suo loco iam probauimus.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Caecinae] Cognomen est Liciniae gentis, vt ostendit Plinius lib. 20. c. 18. Caecina vero ex Etruria Romam venit, vt epistola sequenti, et oratione pro illo habita, quae exstat, intelligitur. et videtur hoc accepisse cognomen a Caecina, Volaterrani agri fluuio, quem nominat Plinius lib. 3. c. 5. nam et Caecinam Volaterranum, idem Plinius appellat lib. 10. c. 24. et Tiberius praenomen a Tiberi fluuio deductum crediderim, et Aufidius atque Aternius, quae Romanarum gentium nomina fuere, et a fluuiis Aufido et Aterno, non Aufido, qui est in Apulia, apud quem natus est Horatius poeta, sed eo, qui fluit ad Pontinas paludes. Aternus autem, qui hodie *Pescara* dicitur, Vestinos diuidit a Marrucinis, ortus in agro Amiternino. Huius Caecinae vxor *Caesennia* nominatur in oratione, quae illum moriens ex deunce et semuncia heredem reliquit. *Caecina*, et vnica *n* scribo, et secunda syllaba producta, et Porcina, Catelina, Aruina, Spurina, Hemina: quibus Romanae cognominibus vsae sunt. id trium quoque veterum lapidum testimonio comprobatur.

Filium tuum] Non e Caesennia natum, sed ex priore vxore: quod ex oratione licet coniicere.

Video autem fere quotidie] De hoc genere ornamenti, quod fit verbo repetito, diximus lib. 1. epist. 1. in eo: *Regis caussa, si qui sunt, qui velint, qui pauci sunt.* huius generis et illud est lib. 9. epist. 17. *Fiet quodcumque volent qui valebunt: valebunt autem semper arma.*

Quantum valeam] Parum se valere ostendit epist. 1. *Qui sim hoc tempore intelligo.* et lib. 4. epist. 13. vt alia loca omittantur, quae multa sunt.

Liber] Quo Caesarem laudabat, vt epist. 7. nam ille, quo maledixit, antea scriptus erat.

Custoditur] Scripserat enim Caecina epist. 7. *Filius, vt audio, pertimuit, neque iniuria, si liber exisset; quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur; ne ea res inepte mihi noceret.* Et in eiusdem epistolae clausula: *Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto a te, ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat.* Nec dubito, quin haec epistola post illam scripta sit.

Non mihi sumo, vt plus ipse prospiciam, quam te videre atque intelligere mihi persuaserim] Solet, cum de futuris rebus loquitur, arrogantiae suspicionem vitare, communicata prudentiae laude cum eo, ad quem scribit, vt lib. 2. epist. 16. *Non eam cognoui aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id vt non putem videre.* et epist. 3. huius libri: *Nec vero quidquam video, quod non idem te videre certo scio.*

Quia fieri potest, vt tu ea perturbatiore animo cogites] Simili excusatione Sulpicius lib 4. epist. 5. auertit a se culpam arrogantiae, cum Ciceronem consolari vellet. *Quae*, inquit, *in praesentia in mentem mihi venerunt, decreui breui ad te perscribere: non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan, dolore impeditus, minus ea perspicias.*

Ea natura rerum] Quia nihil idem esse diu potest.

Temporum] Ciuilium. *Rerum hoc natura et ciuilium temporum non patietur*, ait in epistola sequente.

Tam bona caussa] Suscepta pro communi libertate.

Iniuria] Sic ad Mescinium epist. vlt. superioris libri: *intellexi, quam fortiter iniuriam ferres.* epist. 10. bis.

Quam extra ordinem de te ipso habemus] Praecipuam, non eandem quam habemus de aliis, qui patria carent. Hic quaero, quibus caussis adductus Cicero spem haberet extraordinariam de Caecina. non enim ob ingenium et virtutem, quae paullo post nominantur, spem de ipso praecipuam ceperat: sed illa dixit ad eam spem accedere, quam extra ordinem iam habebat. itaque aliae caussae, praeter ingenium et virtutem, quaerendae sunt, quae spem extraordinariam efficerent. quae quoniam occurrunt nullae, dicendum est, cum Cicero scripsit: *quam extra ordinem de te ipso habemus*, significasse eam ipsam spem, quam haberet ob illius ingenium et virtutem, non vllam, quae sine ingenii et virtutis accessione extraordinaria esset, vt hoc dixerit: accedunt ad spem, vt extraordinaria sit, ingenium et virtus: accedunt autem praeter illa, quae tibi sunt cum aliis communia.

Dignitatem et virtutem tuam] Nota dignitas est, *virtus* autem dupliciter accipitur, pro quadam naturae praestantia, etiam sine doctrina, et pro ipsa doctrina. pro naturae praestantia, hic, et in orat. pro Archia c. 7. *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope diuino, per se ipsos et moderatos et graues exstitisse fateor: etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.* Doctrina vero virtutis nomine paullo post demonstratur, in eo, *propter eximium ingenium, summamque virtutem.* vide lib 4. epist. 4. et lib. 13. epist. 27.

Accedunt tua praecipua] Haec ego libenter, atque etiam quae sequuntur, *propter eximium ingenium summamque virtutem*, parenthesi superiore includerem, vt post communia multorum ornamenta, statim praecipua Caecinae subiicerentur. Sed hoc videtur fieri non posse propter illud, *ad eam spem:* quod ad aliquod verbum referri necesse est. Omnino carere locum mendo vix crediderim: aut, si mendo vacat, erit ex eo genere, quod Pedianus habere soloecismi speciem, in Cicerone interdum notauit.

Mehercules ERN. *Mehercule*] Cum ex veteribus libris alii, *mehercule*, alii *mehercules*, habeant; malui *mehercule*, ipsius Ciceronis auctoritate commotus, apud quem in Orat. c. 47. ita scriptum est: *pomeridianas quadrigas, quam postmeridianas, libentius dixerim; et mehercule, quam mehercules.*

Cuius in potestate sumus] Lib. 4. epist. 7. *Cogitare deberes, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate.* Varie summam Caesaris potestatem ostendit, duobus quidem modis in ea, quam proxime appellauimus, epistola: *penes quem est potestas:* et, *qui tenet rempublicam:* in epistola vero octaua eiusdem libri, *qui omnia tenet:* in nona,

omnia

omnia delata ad vnum sunt: in decima tertia, *qui plurimum potest.*

Eo ipso bono tuo] Caecinae ingenio. in epistola sequenti: *mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur.*

Violatum] Quia Caecina in Caesarem scripserat, epist. 7. et Suetonius in Iulio c. 75. vbi de Caesaris moderatione ac clementia loquitur, *A. Caecinae*, inquit, *criminosissimo libro laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit.*

Quod ipsum lenitur] Haec ipsa ira, quam commouit in Caesarem liber tuus, quotidie sedatur.

Natus] Patre nobilissimo; vt in epistola sequenti.

Cognitus] *Fateor, duriorem esse conditionem spectatae virtutis, quam incognitae*, inquit M. Brutus in epistola ad Ciceronem epist. 16. ad Brut. simile illud lib. 1. epist. 6. *Praesta te eum, qui mihi a teneris, vt Graeci dicunt, vnguiculis es cognitus.* Nec alienum est ab hac sententia, quod legitur lib. 9. epist. 14. *Ne licet quidem tibi iam, tantis rebus gestis, non tui similem esse.*

Vetustas nostri amoris] Quippe cum etiam eius patre familiarissime sit vsus. vide lib. 13. epist. 66.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Excusat litterarum tarditatem: tum inducit diuinationem quandam, e Caesare ipso, et rerum temporumque natura sumptam: postremo consolatur eum, proposita fortitudinis laude, conscientia recte factorum, delectatione litterarum, calamitate ducum vel recentium vel veterum, perturbatione reipublicae. Eodem anno, atque etiam ante proximam superiorem.

EXPLANATIO.

Meritorum multorum, et studiorum, et partium ERN. *et studiorum parium*] Lib. 13. epist. 66. Caecinam appellat hominem omnibus secum studiis officiisque coniunctissimum. Hic vel studia litterarum significantur, vt lib. 5. epist. 15. *vetustas, amor, consuetudo, studia paria:* vel etiam studia in rempublicam, quia fuerat vterque in praesidiis Pompeii, pro caussa optimatum, id est reipublicae. Antea legebatur, *et studiorum, et partium.* placuit eorum sententia, qui *studiorum parium*, ope aliqua veteris libri reposuerunt.

Sed tamen vereor] Etiamsi deesse tibi non debere intelligas officium meum; tamen vereor, ne litterarum a me officium requiras.

Expulissent] Clodiana tempora significat, nec magis ipsum Clodium, quam Caesarem, Pompeium, Crassum tacite carpit: qui omnes, pulso Cicerone, facilius aditum sibi ad pessima quaeque parari posse crediderunt. vide orat. pro Sextio c. 17. 18.

Qui illam cadere posse, stante me, non putarunt] Maior in privato ciue virtutis fieri significatio non potest, quam si fortunam il-

Franckesche Stiftungen zu Halle

lius cum reipublicae fortuna coniunctam esse dicamus. quod de Camillo Romana, de Epaminonda Graeca prodit historia: illo in exsulium pulso, vrbem a Gallis captam; restituto, liberatam: hoc viuo Thebanos imperasse, qui antea seruierant; mortuo, iisdem servire coactos, quibus antea imperaverant. Eandem laudem tribuit Isocrates Alcibiadi ἐν τῷ περὶ τοῦ ζεύγους: Οὐχ ἡγοῦντο οἷόν τ' εἶναι κινεῖν τῶν καθεστώτων, πρὶν ἐκ ποδῶν ἐκεῖνος αὐτοῖς γένοιτο. Id est: *Non putarunt, vlla ex parte mutari statum reipublicae posse, nisi de medio tolleretur.* Quam sententiam aut imitari voluit Cicero gloriae suae fauens, aut, Isocratis fortasse legendi consuetudine, vel etiam ingenii felicitate quadam, in eam incurrit, cum et haec scripsit, et illa lib. 7. epist. 2. *Cum omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectauit; nec sua sponte, sed eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant.*

In qua tu eras] Negotiationis fortasse caussa. nam epist. 8. *a me*, inquit, *consilium petis, quid sim tibi auctor: in Siciliane subsidas, an ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare.* Nec dubito, quin eandem negotiationem significet, cum ad Seruilium, qui Asiae praeerat, lib. 13. epist. 66. Caecinam his verbis commendat: *Te rogo atque oro, vt eum in reliquis veteris negotiationis colligendis iuues.*

Glorioſa] Quid glorioſius, quam ab vniuersa republica reuocari, promulgantibus omnibus, referente consule, comitiis centuriatis, ordinibus hominibusque incumbentibus? quod ipse gloriatur lib. 1. epist. 9. maximeque in orationibus post reditum.

Celeri] Rediit post menses XVII. nam videtur discessisse extremo mense Martio, vt ex epistolis ad Attic. lib. 3. cognoscitur: in vrbem autem anno sequenti est ingressus pridie non. Sept. quod indicat epist. 1. lib 4. ad eundem. nam quod Plutarchus et Appianus eum rediisse decimo sexto exsulii mense dixerunt; fortasse non ad tempus, quo vrbem intrauit, sed ad illud, quo in Italiam venit, spectarunt.

Etruſcae] Diuinandi ratio ab Etruscis in vrbem inducta. lib. 1. de Diuin. c. 41. et lib. 2. de Nat. deor. c. 4. et Valerius Max. lib. 1. c. 1.

A patre] Epist. 9. et lib. 13. epist. 66.

Monumentis atque praeceptis] Non significat libros: nam de his proxime subiunxit, *plurimo doctrinae studio:* quid igitur? monita ipsa, et documenta. lib. 4. epist. 1.

Noſtrorum temporum varietate] Exsulio miserrimo, et reditu gloriosissimo. Nam *varietas temporum* et aduersam et secundam fortunam significat. lib. 13. epist. 29. *Notae tibi sunt varietates meorum temporum. In omni genere et honorum et laborum meorum, et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praesto fuit.*

In his tam obſcuris rebus] Cum ex nimia Caesaris potentia, cuius auctor adiutorque maxime Pompeius fuit, ciuile bellum, et ea, quae acciderunt, futura praedixi.

Monuiſſe Pompeium] Phil. 2. c. 10. *Mea illa vox est nota multis:*

tis: Vtinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut numquam coiisses, aut numquam diremisses! fuit alterum grauitatis, alterum prudentiae tuae.

Pompeium faciebam plurimi] Lib. 2. epist. 15. *Emori Caesarem honestum esse cupio: pro Pompeio emori possum.* et lib. 8. ad Attic. epist. 2 *Ego pro Pompeio lubenter emori possum. facio pluris omnium hominum neminem.*

Fidele Pompeio] Vt fides amicitiae debita postulabat. lib. 2. epist. 16.

Salutare vtrique] De Pompeio vere dictum, qui ciuili bello vitam amiserat. Sed ait, *salutare vtrique*, quod ad vtriusque salutem spectaret. vtrique enim amicus erat: quod proxime dixit.

Prouiderim] Non est hic, *prouiderim*, pro prospexerim, vt epist. 4. *Interdum coniectura possis propius accedere, cum est res eiusmodi, cuius exitus prouideri possit:* sed pro, operam dederim, ne acciderent: quod sequentibus verbis ostenditur. sic epist. 10. *Quae sunt in fortuna temporibus regentur, et consiliis nostris prouidebuntur.*

Hunc] Caesarem.

Ea me suasisse Pompeio] Quae suaserit, ipse exponit Phil. 2. c. 10. his verbis: *Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. ea velim reprehendas, si potes: vnum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaret: alterum, ne pateretur ferri, vt absentis eius ratio haberetur.* quorum si vtrumuis persuasissem, in has miserias numquam incidissemus.

Tantas opes] Tantam potentiam. *Opes* enim non plane diuitiae sunt, sed totum illud, quo valemus. lib. 4. epist. 13. *Aliorum opibus casus meos sustentabam.*

Eundum] A Pompeio: cui lege Trebonia in quinquennium vtraque Hispania, Crasso vero Syria data erat. Lib. 16. epist. 12. *Feruntur omnino conditiones ab illo, vt Pompeius eat in Hispaniam.* Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 9. 10. Plutarchus, Appianus, Dio, alii.

Ciuile bellum nullum omnino fuisset] Nam Caesar conditionem hanc ferebat; velle se, si Pompeius in Hispaniam iret, in vrbem venire, et praesentem petere consulatum, non absentem, vt ei lex concedebat, ipso Pompeio tertium consule adnitente lata. lib. 16. epist. 12. et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 9. et alii.

Rationem haberi absentis] Permitti, vt absens Caesar consulatum petere posset.

Non tam pugnaui, vt liceret] Non ego, vt hoc liceret, pugnaui, (nam ipse Pompeius tertium consul, vt liceret, pugnauerat atque effecerat) sed vt, quoniam iam licebat, eius ratio haberetur. cur enim, quod populus iusserat, non probarem? Hac de re Suetonius in Caesare c. 29. hoc modo: *Senatum litteris deprecatus est, ne sibi beneficium populi adimeretur: aut, vt ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent.* In epistola ad Caesarem, lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Iudicaui, eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atque inuidi niterentur.*

Ipso consule] Ipso Pompeio, tertium consule. lib. 8. ad Attic. epist. 3. *Idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit, vt decem tribuni plebis ferrent, vt absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadam sua.* Et Suetonius in Caesare c. 26. *Cum senatus vnum consulem, nominatimque Cn. Pompeium, fieri censuisset, egit cum tribunis plebis, collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, vt absenti sibi, quandocumque imperii tempus expleri coepisset, petitio secundi consulatus daretur: ne, ea causa, maturius, et imperfecto adhuc bello, decederet.*

Pugnante] *Contendit*, dixit lib. 8. ad Attic. epist. 3. lib. 7. vero ad eundem epist. 3. *cur*, inquit, *tantopere pugnatum est, vt de eius absentis ratione habenda decem tribuni plebis ferrent?* Est autem plus, *pugnante*, quam *adnitente*. lib. 7. epist. 32. *Pugna, si me amas, — vt sacramento contendas, mea non esse.*

Populus iusserat] Iubet populus, decernit senatus, et *iubere* populus dicitur, cum legem, a magistratu latam, suffragiis comprobat. iusserat autem populus, ferentibus decem tribunis plebis.

Caussa orta belli est] Cum Pompeius et eius amici rationem absentis Caesaris in petitione consulatus haberi nollent; Caesar, quod ei populus dederat, id seruari vellet.

Cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem] Idem epist. 4. huius libri, et vltima superioris libri, et lib. 7. ad Attic. epist. 14. *Pacem hortari non desino: quae vel iniusta vtilior est, quam iustissimum bellum.*

Nam is mouebatur] Respondit Pompeius ad conditiones Caesaris honorifice et large: sed eius amici armis disceptari maluerunt. lib. 8. ad Attic. epist. 11.

Rebus domesticis] Ob aes alienum: cuius dissoluendi spe, ciuile bellum exoptabant. Videtur significare L. Lentulum consulem, P. Scipionem Pompeii socerum, Faustum Sullae filium, Libonem, quem Sext. Pompeii socerum Dio vocat. de Lentulo sic Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 4. *Lentulus aeris alieni magnitudine mouetur.* De Scipione, Fausto, Libone lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Quid tu illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem praetermissurum sceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur.* Eosdem notat lib. 7. epist. 3. *Maximum aes alienum amplissimorum virorum.*

Cupiditatibus] Honorum opumque comparandarum: cum se praefuturos exercitibus ac prouinciis existimarent.

Quiescente me] Rebus gerendis interesse Cicero noluit. lib. 4. epist. 7. *Neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem.* lib. 16. epist. 12. *Nullum maius negotium suscipere volui, quo plus apud illum meae litterae cohortationesque ad pacem valerent.* Et lib. 7. ad Attic. epist. 11. *Ego negotio praesum non turbulento. vult enim me Pompeius esse, quem tota haec Campana et maritima ora habeat ἐπίσκοπον.* In epistola ad Caesarem lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Nec, sumtis*

sumtis armis, belli vllam partem attigi.

Potui] Quoad sermones bonorum, me reprehendentium, sustinere potui. lib. 9. ad Attic. epist. 1. *Audio bonis viris, qui et nunc, et saepe antea magno praesidio reipublicae fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari, multaque in me et seuere, in conuiuiis tempestiuis quidem, disputari.* Et ad eundem epist. 2. eiusdem libri: *Eundum est, nec tam vt belli, quam vt fugae socii simus. nec enim ferre potero sermones istorum, quicumque sunt. non sunt enim certe, vt appellantur, boni.*

Pudor meus] Lib. 7. epist. 3. *Pudori malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere.*

Quam timor] Exitii mei: cum imparatum Pompeium, Caesarem paratissimum ab iis rebus, quibus victoria quaeritur, viderem. epist. 1. *Si mihi alterutrum de euentu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod euenit, exploratius possem promittere.*

Aliquando] Cum ab exsulio me restituit.

Officio] Patriae debito. epist. 1. *Quoddam nobis officium iustum, et pium, et debitum reipublicae nostraeque dignitati videbamur sequi.* Et lib. 7. epist. 3. *Si manerem in Italia, verebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellum, periculum te meum commouebat. — pudori tamen malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere.*

Fama bonorum] Ne vituperarer a bonis. quid boni de me sentirent ac loquerentur, laboraui: eoque in Graeciam ad Pompeium transiui. Paullo post, *fama populi Romani* eadem sententia dixit.

Vt in fabulis Amphiaraus] Poetae fingunt, vatem Amphiaraum, cum videret se interiturum, si ad bellum Thebanum iret, latitasse, vxore tantum conscia: eam, accepto monili aureo, virum indicasse: itaque coactum ire cum ceteris, hiatu terrae absorptum. Diodorus Siculus lib. 4. c. 67. Pausanias, Statius, alii, Cicero lib. 1. de Inuent. c. 50. et lib. 4. in Ver. c. 18. Seruius in illud Virgilii lib. 6. Aen. v. 445.

—— *Moestamque Eriphylen*
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Ad pestem ante oculos positam] Quia fore videbam, vt Pompeius vinceretur. in orat. pro Marcello c. 5. *Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium.*

Ex alitis inuolatu ERN. *volatu, nec e cantu sinistro oscinis*] Sic omnes mei veteres libri, et Cicero, cum hac ipsa de re loqueretur, lib. 1. de Divin. c. 1. *Cilicum*, ait, *et Pisidarum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus auium, cantibusque, vt certissimis signis, declarari res futuras putant.* Et ibidem lib. 2. c. 38. *Quae est natura, quae volucres huc et illuc passim vagantes efficiat, vt significent aliquid, et tum vetent agere, tum iubeant, aut cantu, aut volatu?* Festus quoque, vbi de volucribus auspicium facientibus loquitur, semel in verbo,

alites, iterum in *oscines*, *volatum* appellat. Nec Cicero vmquam, aut alius quisquam ex iis, quorum scripta exstant, aliter, quam *volatus*, vocauit. Nec vero *inuolare*, idem est quod *volare*, sed *intro volare*. at hoc particulare verbum in alites auspicium volatu facientes non conuenit; quae non *inuolant* modo, vt auspicium faciant; sed *auolant* etiam, aut *praeteruolant*. nec mihi quidem occurrunt inuolantium exempla: nec dubito, si modo sunt, quin rara admodum sint. Cum igitur ad antiquorum librorum auctoritates accedat consuetudo Latini sermonis, *volatu*, placet; *inuolatu*, probare vix possum. Venio ad sententiam. Alitum volatu, et oscinum cantu, aut tripudiis auspicium fieri veteres opinabantur, auesque ab alitibus distinguebant: vt aues essent, quae ore canentes auspicium facerent; alites, quae volatu. Festus: *Oscines aues Appius Claudius esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, vt coruus, cornix, noctua: alites, quae alis ac volatu, vt buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius. Picus autem Martius, Feroniusque, et Parra, et in oscinibus, et in alitibus habentur. Cantu sinistro*, pro laeto, et prospero, dixit. Festus: *Sinistrae aues, sinistrumque est sinistimum auspicium, id est, quod sinat fieri.* Varro lib. 5. epistolicarum quaestionum ait: *A deorum sede cum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes. factum arbitror, vt sinistra meliora auspicia, quam dextra, esse existimentur.* Idem fere sentiunt Sinnius Capito, et Cincius. Est apud Varronem lib. 6. de L. L. *Quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur, a quo dicuntur comitia aliudue quid iudici aue sinistra. Inde natum, vt, quaecumque boni ominis essent, etiamsi a dextra cernerentur, sinistra tamen vocarentur.* Cicero lib. 2. de Diuin. c. 39. *Haud ignoro, quae bona sint, sinistra nos dicere: etiam si dextra sint.* Exempla habemus lib. 3. de Leg. c. 3. *Aue sinistra dictus, populi magister esto.* Et in Plauti Pseud. Act. 2. Sc. 4. v. 71.

Omnes ordines sub signis ducam legiones meas
Aui sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia.

Et hic, *cantu sinistro oscinis.* non enim de cantu a laeua tantum parte exaudito accipiendum est, verum de omni prospero cantu siue a laeua, siue a dextra fieret: cum omnia prospera, vt dixi iam, vocarentur *sinistra.* Oscines erant picus, cornix, coruus; at picus, et cornix a laeua, coruus porro a dextra consuadent. Et Cicero lib. 2. de Diuin. c. 38. *Cur aliis a laeua, aliis a dextra datum est auibus, vt ratum auspicium facere possint?* Quare cum hic de prospera Caecinae fortuna Cicero auguretur; nec sinister cantus auspicium prosperum semper ostendat: sic intelligendum, quasi dixerit: nec e cantu prospero earum auium, quae oscines ab auguribus vocantur, euentumque dextro aliae cantu, aliae laeuo felicem promittunt.

Vt in nostra disciplina est] Vt augures nostri appellant. Hoc enim pertinet ad vocabulum, *oscines:* nam et lib. 2. de Nat. deor. c. 64. *Aues quasdam*, inquit, *et alites*,

alites, et oscines, vt nostri augures appellant, rerum augurandarum causſa esſe natas putamus. Erat enim augur Cicero. lib. 3. epiſt. 4. lib. 15. epiſt. 4. et alibi.

Tripudiis ſoliſtimis] Lib. 2. de Diuin. c. 34. *Hae ſunt aues internunciae Iouis: quae paſcantur, nec ne, quid refert? nihil ad auſpicia: ſed quia, cum paſcuntur, neceſſe eſt, aliquid ex ore cadere, et terram pauire, terripauium primo, poſt terripudium dictum eſt: hoc quidem iam tripudium dicitur. cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nunciant.* Feſtus autem: *Puls potiſſimum datur pullis in auſpiciis: quia ex ea neceſſe eſt aliquid decidere, quod tripudium faciat, id eſt terripauium. pauire enim ferire eſt. bonum enim augurium eſſe putabant, ſi pulli per quos auſpicabantur, comediſſent, praeſertim ſi eis edentibus aliquid ab ore decidiſſet. ſin autem omnino non ediſſent, arbitrabantur periculum imminere.* Et alio loco: *Soliſtimum Ap. Pulcher in auguralis diſciplinae lib. 1. ait eſſe tripudium, quod aui excidit ex eo, quod illa fert.* Liuius lib. 10. c. 40. *Cum pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſtimum conſuli nunciavit.*

Soniuiis ERN. *Somniis*] Sic omnes libri ſcripti, et quos olim vidimus, et quibus nunc vtimur. in vno tantum ita ſcriptum eſt, vt et *ſomniis*, et *ſoniuiis* legi poſſe videatur. quibus enim lineis litterae conſtant, totidem in vtroque verbo ſunt. porro, cum duobus modis animi, ſine ratione et ſcientia, motu ipſi ſuo ſoluto et libero incitentur, vno furente, altero ſomniante: vt inquit Cicero lib. 1. de Diuin. c. 18. non video, cur ſomniorum mentionem tollamus, cum praeſertim de diuinatione agatur.

Vel obſcuritatis, vel erroris] Non enim aperta plane ſunt, et in iis interpretandis erratur ſaepe.

Mitis clemensque natura] Suetonius de Caeſare c. 74. *In vlciſcendo natura leniſſimus.* c. 75. *Moderationem vero clementiamque, tum in adminiſtratione, tum in victoria belli ciuilis, admirabilem exhibuit.* Et Plinius lib. 7. c. 25. *Caeſari proprium et peculiare clementiae inſigne, qua vsque ad poenitentiam omnes ſuperauit.* Similiter Plutarchus, et omnes hiſtorici, Cicero etiam ipſe in orationibus pro Marcello, Ligario, Deiotaro.

Querelarum tuarum] Querebatur de ſua calamitate, Caeſarem laudabat potius, quam accuſabat. nam hic non prior Caecinae liber, quem *criminoſiſſimum* vocat Suetonius in Caeſare c. 75. verum alter ſignificatur, de quo in epiſtola ſuperiore, et in ea, quae poſt hanc legitur; in qua partem harum querelarum licet animaduertere.

Ingeniis excellentibus delectatur] Epiſt. 5. *Accedunt tua praecipua, propter eximium ingenium ſummamque virtutem: cui, mehercule, hic, cuius in poteſtate ſumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in iſta fortuna fuiſſes, niſi eo ipſo bono tuo, quo delectatur, ſe violatum putaſſet.* et lib. 4. epiſt. 8. *Etiam is, qui omnia tenet, fauet ingeniis.*

Iuſtis

Iustis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus] Epist. 12. *Valent apud Caesarem non tam ambitiosae rogationes, quam necessariae.*

Etruria] Quae pro Caecina supplicabat. infra: *te, hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobilissimum.*

Sustinere caussas posse multorum] Negari multis posse.

Iustius] Quia non solum arma in eum tulisti, sed libro etiam acerbissimo maledixisti.

Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leuiter adsperſus] Fore putat, vt eum laudes, cum accusaueris antea.

Leuiter adsperſus] Immo vehementer vituperatus: nam illum librum *criminosissimum* appellat Suetonius. Cicero autem, ne spem Caecinae minuat veniae impetrandae, non valde laesum ab eo Caesarem ostendit, et laudationem accusatione maiorem exspectari. propterea de laudibus dixit, *hausturum*, quo verbo copia demonstratur; de probris, *leuiter adsperſus.*

In parte Italiae minime contemnenda] In Etruria: de qua Virgilius lib. 10. Aen. v. 202.

Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.

Facile omnium nobilissimum] In extrema oratione pro Caecina. *Habetis*, inquit, *hominem singulari pudore, virtute cognita, et spectata fide, amplissimis viris Etruriae natus, in vtraque fortuna cognitum multis signis et virtutis et humanitatis.*

Fama populi Romani] Opinione et sermone omnium. sic supra, *vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus.*

Animatus melius, quam paratus] Hoc saepe obiicit Pompeio. lib. 4. epist. 7. et lib. 7. epist. 3. et lib. 7. ad Attic. epist. 15. *Samus flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia.*

In eius personam] In ipsum Pompeium.

Cassium] C. Cassium, qui postea in eum cum M. Bruto coniurauit.

Legauit] Legatum suum esse voluit, venia data superioris temporis. lib. 15. epist. 15. *Tu eam partem petisti, vt consiliis interesses.*

Galliae praefecit] Quod eo maius beneficium fuit, quia Brutus praeturam nondum gesserat, gessit autem biennio post, Caesare V. et Antonio coss. Gallia, quam rexit, Cisalpina. nam in Oratore c. 10. *vna Gallia*, inquit Cicero, *communi non ardet incendio: in qua frueris ipse te, cum in Italiae luce cognosceris.* lib. 13. epist. 10. 11. 12. 13. 14.

Graeciae] Vide, quae diximus lib. 4. epist. 12.

Cui maxime succensebat] Lib. 4. epist. 4. et Suetonius in Caesare c. 28.

Rerum hoc natura] Quae postulat, vt in caussa pari eadem sit omnium conditio.

Nec manens, nec mutata ratio feret] Siue status hic erit, siue mutabitur; in patriam redibis. Moneo lectorem ex mea consuetudine, in omnibus, quos nunc habeo, veteribus libris esse, *muta ratio*, vno excepto, in quo est, *mutata ratio:* quod magis probo.

In caussa pari] Hoc dicit, quia, cum et ipse, et Cassius, et Brutus, et

et Marcellus in praefidiis Pompeii fuiſſent, et iis tamen Caeſar ignoviſſet, aeque videtur, vt Caecina quoque, qui fuerat in eadem cauſſa, iisdemque caſtris, veniam a Caeſare impetret.

Eadem ſit] Eadem tua, quae noſtra.

Nefariorum ſcelerum condemnati] Maxime ſignificat eos, quos lege Pompeia de ambitu damnatos Caeſar reſtituit. lib. 10. ad Attic. epiſt. 4. Suetonius in Iulio c. 41. Caeſar lib. 3. de bell. ciu. c. 1. Ad hanc rem illud ſpectat lib. 15. epiſt. 19. *Caeſar habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat.*

Illa conſolatione] Qua tamen vtitur per inſinuationem.

Poſſe accidere vt vinceremur] Simile illud eſt epiſt. 1. *Nec cum id faciebamus, tam eramus amentes, vt explorata nobis eſſet victoria.* et quae ſequuntur.

Quantae delectationi in rebus aduerſis litterae] Epiſt. 12. peti a litteris in ſecunda fortuna delectationem dixit, in aduerſa ſalutem. idem lib. 4. epiſt. 3. et lib. 9. epiſt. 2.

Non ſolum veterum] Vt Coriolani, Camilli, et aliorum, qui, cum duces bello clari fuiſſent, poſtea exſulauerunt.

Horum etiam recentium vel ducum, vel comitum] Duces vel comites in bello ciuili ſignificat: quorum alii perierant, alii exſulabant. idem ſcripſit ad Torquatum epiſt. 4. *Poſtremo, is vir, vel etiam ii viri, hoc bello occiderunt, vt impudentia videatur, eandem fortunam, ſi res cogat, recuſare.*

Externos claros viros] Hannibalem, Lycurgum, Solonem, Themiſtoclem, Ariſtidem, alios, qui procul a patria, de qua meriti erant optime, viuere coacti ſunt.

Quaſi legis] Vere enim lex non eſt, ſed ideo lex videtur, quia pertinet ad multos.

Humanae conditionis] Cum omnes homines ea conditione naſcantur, vt omnibus fortunae telis propoſita vita ſit. ad Titium lib. 5. epiſt. 16. et ad Fabium, epiſt. 18. eiusdem libri: *Qua conditione omnes homines, et, quibus temporibus nati ſumus, cogites.*

Quemadmodum hic] Conſolatio ducta a miſeria ciuitatis: vt ad Sextium lib. 5. epiſt. 17. *Illud vtinam ne vere ſcriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res vlla delectet.* et epiſt. 1. huius libri, ad minuendum Torquati deſiderium, hoc, inquit, tempore Romae eſſe, miſerrimum eſt. Et epiſt. 4. *Nos quod Romae ſumus, miſerrimum eſſe duco.*

Hoc genere nihil opus eſt] Eſt in orationis artificio, quae ſe dicit velle praetermittere, ea diſſimulantem breuiter exponere: quo genere ſaepiſſime vſus eſt Cicero, hic quidem egregie, ab eo loco: *quo, ſi quid addubitarem, non potius vterer, quam illa conſolatione, qua facile fortem virum ſuſtentarem: te, etc.* ita, dum reiicere videtur quaſi non neceſſaria, collegit callide quattuor argumenta, quae dolorem leuent, vnum ab incerto bellorum euentu et ancipiti fortuna ductum; alterum, a conſcientia facti; tertium, a conditione communi; quartum, a miſeria ciuitatis.

Perſpicio] Opinione certior eſt ſenſus: et ſpem ſaepe fallit euentus:

tus: quod in sensibus accidere vix potest. ideo, cum dixisset, *vt spero*, subiunxit, *vel potius, vt perspicio:* tamquam de re praesenti et oculis proposita: nam de fortuna dixisset, *vt prospicio*, quemadmodum lib. 4. epist. 3. *Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram.* et alibi.

Imagini animi et corporis tui] Cum omnes filii parentibus cari, tum ii maxime, qui corpore eos et animo referunt. itaque lib. 1. ad Q. Fr. epist. 3. *Quid quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei.* Hoc quoque pertinet ad consolandum Caecinam, qui filium haberet sui simillimum.

Constantissimo] Qui patris adversam fortunam constanti animo ferat.

Et detuli] Quo statim, si vellet, vteretur. sic epist. 10. *Vniuersum studium meum et beneuolentiam ad te defero.*

Familiares quidem eius, sicuti neminem] Familiares Caesaris, Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius. epist. 12.

Valebo tibi] Repetitio eiusdem verbi quiddam venustatis habet. lib. 2. epist 11. *Quidquid erit, tibi erit.* et epist. 18. eiusdem libri: *Sin quid offenderit: sibi totum, nihil tibi offenderit.*

Firmitudine animi] *Virtute* dixit ad Torquatum, epist. 4. in extremo.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Excusat Caecina filium, quia Ciceroni librum sero reddiderit. Queritur, sibi Caesarem irasci, quod in eum scripserit, cum ignouerit omnibus, qui Deos venerati sint contra eius salutem. Rursus, omissam repetit libri sui mentionem: et, quam parce quamque timide tum de ipso Cicerone, tum etiam de Caesare scripserit, diligenter ostendit. Non iturum in Asiam, suadente Cicerone, vt in Sicilia commoretur, confirmat. Petit, vt sibi venia potestasque redeundi a Caesare impetretur. Librum custodiri cupit, aut ita emendari, ne, si exeat, eius rationibus obesse possit.

EXPLANATIO.

Liber] Is, de quo epist. 5. itaque patet, illam post hanc fuisse collocandam. hanc autem post eam, quae sequitur: in qua Cicero scripsit, *in Sicilia censeo commorandum:* cui respondit in hac Caecina, *de Asiatico itinere, vt imperasti, feci.* Hic liber cum laude Caesaris Ciceronisque scriptus erat, vt infra perspicuum est: illum alterum, quo Caesari maledixerat, ante pugnam Pharsalicam Caecina composuit: quo se duriorem in venia danda Caesar praebuit.

Quo animo scribatur] Vel haec verba, scriptum esse librum cum laude Caesaris, demonstrant.

Inepte] Imprudentia nostra: cum hoc damnum vitare licuerit libro comprimendo.

Stili]

Stili] Quia scripserim contra Caesarem.

Cum mendum] Mediceus liber, *commendum:* mei, *cum emendandum:* vnus, *commentum.*

Scripturae] Et hic et paullo post pro *scripto* posuit. et lib. 15. epist. vlt.

Litura] Veteres libri, *littera.*

Stultitia fama multetur] Qui stulte aliquid commisit, fama illi poena est, et stultus esse dicitur. Quidam libri, *stultitiae.*

Corrigitur] Non punitur, quod pertinet ad crimina, sed corrigitur, quasi leui culpa. Neque congruunt, *exsulio corrigitur:* sed erat proprium, *exsulio punitur.* verum dedita opera cum leni verbo acerbum nomen coniunxit, vt inde perspicuum faceret, quam inique secum ageretur, et quam esset in ea re fato singulari, cuius error corrigeretur exsulio.

Summa criminis] Et hoc aliqua cum ironia atque indignatione dixit: quasi leuissimum sit crimen, si quis aduersario maledicat armatus. id quod proxime non crimen, sed errorem vocauit.

Vota victoriae suae] Pro victoria imperatores vota fecisse, Liuius, et alii saepe dixerunt: sed priuatim vouere alii quoque solebant.

Immolaret] Festus: *immolare est mola, id est, farre molito, et sale, hostiam susam spargere.*

Omnibus rebus] Hic etiam, non modo in bellis.

Felix] Quia vota non cogitat, quae in ipsum ab aduersariis facta sunt.

Multa deos venerati] *Multa,* aduerbii loco posuit, vt Virgilius lib. 4. Georg. v. 300.

— *Et spiritus oris*
Multa reluctanti obstruitur. —

Sic locutus idem Cicero lib. 3. de Nat. deor. c. 3. et pro Murena c. 29. Topicorum autem initio, *eum tu,* inquit, *mihi meisque multa saepe scripsisses.* Gellius lib. 13. c. 22.

Scripsi de te] Timui, quia scripsi de te, quamquam parce, ne Caesar offenderetur.

Non reuocans me ipse] Non reuocaui me sponte, sed refugi metu.

Genus hoc scripturae] Cum alterum laudamus. nam, cum alteri maledicimus, aut cum nos ipsos laudamus, minus liberum est.

Atque elatum] Vnus Maffei liber, *elatum:* quod olim probauimus. reliqui mei omnes, *latum.* Sed coniecturam nostram aliis quoque placuisse, nunc video.

Alterum laudare] Quod ego feci: nec tamen id mihi liberum fuit.

De quo quidquid detrahas] Si perfecte alterum non laudes.

Infirmitati] Ingenii.

Ac nescio, an tibi gratius opportuniusque acciderit] Fortasse gratius tibi erit, ac melius cadere videbitur, quod parce te laudauerim, metu scilicet refugiens. nam, quod egregie praestari non potest, id vel non attingere oportet, vel saltem quam parcissime facere.

Sustinui] Licet hoc scripturae genus incitatum esse debeat, ego me tamen sustinui.

Minui] Vt parcius te laudarem.

Sustuli] E libro.

Ne posui quidem] Quae, nisi metus impediisset, iure ac merito tuo posuissem.

Quemadmodum igitur scalarum gradus] Comparationes poetis potius,

tius, quam soluta oratione scribentibus, conueniunt. Demetrius, cum de longioris vitio similitudinis praeciperet, haec subiunxit: Ταῦτα γὰρ οὐκ εἰκασίαις ἔτι ἔοικεν, ἀλλὰ παραβολαῖς ποιητικαῖς. τὰς δὲ παραβολὰς ταύτας ὅτε ῥᾳδίως ἐν τοῖς πεζοῖς λόγοις τιθέναι δεῖ, ὅτε ἄνευ πλείστης φυλακῆς. id est: *Haec enim non iam similitudinum speciem habent, sed poeticarum comparationum. huiusmodi autem comparationibus neque facile in soluta oratione, neque sine cautione plurima vti oportet.* Idem alio loco minui docet comparationibus grauitatem illam, quam Graece vocant δεινότητα. Αἱ παραβολαὶ, inquit, τῇ δεινότητι οὐκ ἐπιτήδειαι διὰ τὸ μῆκος· οἷον τὸ, Ὥσπερ δὲ κύων γενναῖος, ἄπειρος, ἀπροσηγόρευτος ἐπὶ κάπρον φέρεται. κάλλος γὰρ καὶ ἀκρίβειά τις ἐν τούτοις ἐμφαίνεται· ἡ δὲ δεινότης σφοδρόν τι βούλεται καὶ σύντομον, καὶ ἐγγύθεν πλήττουσιν ἔοικε. Videndum igitur, an satis apte comparationem hanc Caecina in epistolam induxerit. quamquam et Ciceronem hoc nonnumquam feciſſe constat.

Non poenae metu] Non enim timenda est laudanti poena, sed offensio tamen quaedam eius, qui laudari fortasse non vult.

Animum] Quo modo animum affici atque angi meum putas, vbi haec secum ipse cogitat?

Loquitur] Animus cogitat, lingua loquitur, sed quia cogitata animi loquitur, ideo, quod est linguae, ad animum transfertur.

Hoc probabit] Et hoc et quae sequuntur, vsque ad illud, *quid faciet?* ea sunt, quae secum loquitur animus.

Num offendo] Ipsum Caesarem.

Cum porro offendam] Aliquem, non ipsum Caesarem. absurdum enim esset id, quod sequitur: *quid, si non vult?* nam cur dubitet in re notissima? quasi vero offendi quisquam velit. Sed opponit Caecina, *laudare aliquem, offendere:* quo in vtroque veretur, ne Caesarem laedat.

Armati stilum] Stilum eius, qui scripsit armatus.

Victi et nondum restituti quid faciet] Quo modo persequetur stilum victi et nondum restituti?

In Oratore] Sic inscripsit librum, in quo formam perfecti oratoris expressit. epist. 18 *Oratorem meum tantopere a te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, quidquid habuerim iudicii de dicendo, in illum librum contulisse. etc.*

Caues tibi per Brutum] Cum haec scribis c. 10. *Testificor, me a te rogatum, et recusantem, haec scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, vt, si sustinere tantam quaestionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti.*

Veterem tuum] Exstat Ciceronis oratio pro Caecina.

Sentire oportet] Multo, inquit, magis mihi esse timendum intelligo, quam tu in Oratore tuo timuisti.

Calumnia timoris] Calumniator ea fingit, quae vera non sunt. itidem timor saepe falsa proponit: vt recte, propter similitudinem, *calumnia timoris* dici possit.

Caecae suspicionis tormento] Cum non videam, quo consilio gratiam a Caesare inire possim, et incerta suspicione torqueat, metuens, ne offendam potius eum, quam mihi reconciliem.

Ad

Ad alieni sensus coniecturam] Male agitur cum eo, cui scribenti cogitandum est, non quod ipse probet, sed quid alii probaturi sint. in quo sequitur non iudicium suum, sed coniecturam de alio sensu.

Eundere] Ita scribere, vt animus acquiescat. *Eundere* dixit, tamquam ex difficultate.

De Asiatico itinere] Petierat a Cicerone consilium Caecina, quid sibi esset auctor, in Siciliane subsideret, an vt ad reliquias Asiaticae negotiationis proficisceretur. respondit Cicero: *in Sicilia censeo commoraduvn.* quod se facturum Caecina confirmauit. vide epistolam sequentem: quae tamen ante hanc scripta est. Postea tamen in Asiam Caecina profectus est, fortasse reditu in patriam desperato. nam lib. 13. epist. 66. Cicero eum Seruilio commendans, *te rogo*, inquit, *atque oro, vt eum in reliquis veteris negotiationis colligendis iuues.*

De nobis] De reditu nostro in patriam.

Vel studio] Quo saepe impeditur ingenium. est enim *studium*, vehemens quaedam animi affectio et propensio ad aliquam rem.

Capiatur] Translatum verbum, pro, *ad voluntatem nostram traducatur*. sunt enim in potestate nostra, quae cepimus.

Eius omnes] Familiares, qui nominantur epist. 12. et significantur epist. 6.

Nisi forte aut in miseria nimis stulte] Ideo stulte, quia dixit, *sed totum tuum esse*. modeste enim, qui in calamitate est, petere debet.

In amicitia nimis impudenter] Videndum enim, quid amico oneris imponamus.

Tuae vitae consuetudo] Excusat petitionem suam tribus modis. primum, quod Cicero, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caesar, optime omnium intelligat: deinde, quod apud ipsum Caesarem eiusque familiares omnes gratia valeat: postremo, quod laborare pro amicis consuuerit. Haec dispersa parum attenduntur: collecta, et sub oculos subiecta legentium, copiam in simili argumento non exiguam pariunt.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Datum sibi a Balbo et Oppio scribit, vt Caecinae liceret esse in Sicilia: ibique vt commoretur, suadet.

EXPLANATIO.

Largus] Romanae gentis cognomen.

Tibi praefinitas esse] Ne vltra tibi esse liceret in Sicilia.

Balbus] L. Cornelius Balbus, Gaditanus, pro quo exstat Ciceronis oratio. hic absentis Caesaris negotia procurabat. lib. 13. ad Attic. epist. vlt. *rationes opinor cum Balbo.* quo loco fuerit apud Caesarem cum C. Oppio, Caesaris ipsius ad vtrumque declarat epistola,

quae legitur lib. 9. ad Attic. epist. 6. et 13. De Balbis vide infra, epist. 12.

Oppius] C. Oppius Caesaris legatus Africano bello, vt in libro legitur, qui de eo bello scriptus est. exstat eius, et L. Balbi epistola ad Ciceronem lib. 9. ad Attic. epist. 6. et Ciceronis ad eum lib. 11. epist. 29.

Huic meae rogationi potius non continuo responderunt] Nihil deest, vt quidam putarunt. nam, *potius*, refertur ad illa superiora. Cum suessent, aut polliceri, aut etiam negare: quorum neutrum fecerunt, sed potius huic meae rogationi non continuo responderunt.

Re aut impetrata, quod spero, aut aliqua ratione confecta ERN. *Re aut impetrata, aut, quod spero, aliqua ratione confecta*] Vtroque modo elicitur sententia: sed in alteram partem vt propendeam, facit auctoritas veterum librorum. vult enim Caecinam sperare, si res non impetrabitur, saltem vt aliquo modo ad exitum perducatur. quid autem, dicit aliquis, si res non impetratur, sperare poterat? vt in Italia fortasse posset esse, modo ne ad vrbem accederet. nam de Sicilia iam impetratum erat. At illud optabilius, vt reditus in vrbem impetraretur. Quis negat? sed ego opinionem ad verba, quam verba ad opinionem, accommodare malo. Proferat aliquis veterem librum, in quo videam, *re aut impetrata, quod spero:* tum facile, et libenter assentiar.

T. Furfano Postumo ERN. *Postumio*] Vsitatius erat, *T. Postumio Furfano*, vt cognomini nomen praeponeretur: tamen et cognomen interdum nomini anteponitur, vt lib. 2. epist. 8. et lib. 7. epist. 1. *Gallus Caninius:* et *C. Crispus Sallustius* in libro vel Hirtii, vel Oppii, de bello Africano, non semel nominatur: item *Gallus Fabius*, lib. 8. ad Attic. epist. 12. et lib. 13. ad eundem epist. 49. Sunt, qui legant, *T. Furfanio Postumo.* ego malo, *Furfano Postumio*, testimonio fretus veterum librorum: et, quod ignoti *Furfanii*, *Postumi* notissimi. adde quod *Furfanus* appellatur lib. 7. ad Attic. epist. 15.

Quae mihi venient in mentem] Vide eandem sententiam lib. 5. epist. 8. in extremo.

EPISTOLAE IX.

[Manutius huic epistolae numerum non adscripsit.]

ARGVMENTVM.

Breuis est epistola, sed perfectae commendationis exemplum.

EXPLANATIO.

Patre eius] De quo epist. 6. et lib. 13. epist. 66.

Viuebat mecum coniunctissime, non solum officiis amicitiae, sed etiam studiis communibus] Non dubito, quin eadem studia et officia significet lib. 13. epist. 66. cum ait: *hominis, omnibus mecum studiis officiisque coniunctissimi.*

Necesse

Necesse sit] Sic in vno vetere libro: reliqui omnes, *necesse est*. vtro modo legas, parui refert.

Reliquum est, vt, cum cognorim] Qui petit, spem impetrandi si ostendit, eo ipso impetrat facilius. probitatis enim et humanitatis commemoratio beneuolentiam gignit.

EPISTOLAE X.

[In editione Manutii haec epistola est nona.]

ARGVMENTVM.

Huius epistolae neque consolatio argumentum est, neque auxilii alicuius promissio: nisi si amoris quaedam significatio, et consolationis loco est, et promittere etiam aliquid videtur. certe, cum Trebianus post pugnam Pharsalicam ab armis non discesserit, quod epistola declarat; iustam irascendi caussam Caesar habuit. vnde illud epist. 13. Africanae caussae iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos, a quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. *Quare nil mirum est, si Cicero ei spem perexiguam affert incolumitatis. parce enim et exsiliter pollicetur in eo loco:* si qui mihi erit aditus *Scripta est post bellum Africanum: quod ex iis verbis coniicio,* consilium tuum, vel casus potius, diutius in armis ciuilibus commorandi. *Quod ad huius Trebiani familiam aut vitam pertinet, eruere ex historia nihil potui. Caesare III. Lepido coss.*

EXPLANATIO.

Vel casus potius] Minuitur culpa, cum a voluntate in casum transfertur. hoc artificio vtitur Cicero quasi consolandi gratia. nam si consilio Trebianus Caesarem laesisset; recuperandi fortunas et dignitatem spes esset infirmior: sin autem casu; excusationem aliquam inueniret iniuria.

Magno dolori fuit] Refertur ad illud, *semperque fecerim. Magno dolori* autem, quia de victoria vestra desperabam, nec putaui, cum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore.

Recuperas ERN. *Recuperes*] Antea, *receperis:* nos *recuperes*, aliquot iam annis emendauimus, et impressimus. liber vetustus habet, *reciperes*. Et in aliis etiam exemplaribus, *I* litteram pro *V* saepissime reperias.

Curae est] Et hoc ad illud alterum spectat, *quanti te faciam*. singulis enim singulare reddere, confirmandae sententiae caussa, Cicero solitus est.

Casus mei] Cum patria pulsus lege Clodia sum. hoc ad illud pertinet, *quanti me a te fieri intellexerim*. ita, cum tria proposuerit, tria subiunxit.

Postumulene] Cognomen Romanae gentis: et *M. Postumulenus Secundus* nominatur in antiquissimo lapide quadrato, quem vidi in aedibus Ranuccii Farnesii Cardinalis. huius generis nomina sunt, *Volusenus, Saluidenus, Vibienus, Labienus,*

nus, Nasidienus, Caesidenus, Vatienus.

Theudae] Nomen serui, cognomen liberti.

Quantum in ea republica, de qua ita meritus sum] Vide idem iisdem fere verbis epist. 13.

Qui fuisti] Fuisti autem et omni honoris gradu amplissimo dignissimus, et ordinis tui facile princeps.

Ordinis tui] Equestris. nam, si senatorii fuisset; *ordinis nostri*, dixisset: cum ipse Cicero senator esset, ideo et, *dignissimus*, dixit, tamquam de equite, iis honoribus digno, quos qui adepti sunt, non iam equestris, sed senatorii ordinis dicuntur esse.

Eademque de caussa] Quod pro Pompeio contra Caesarem arma sumpsimus. *De*, valet *propter*: vt apud Terentium in Eun. Act. 3. Sc. 2. v. 3.

—— *Ecquid nos amas*
De fidicina istac?

Tamquam ex reliquiis] Non enim pristinam recuperaui dignitatem: sed quasi reliquias quasdam seruo. *Imago veteris meae dignitatis*, dixit epist. 13.

Familiarissimi eius] Quos nominat epist. 12.

Casu deuincti] Quia, cum olim in eos officia conferebam, fore aliquando tempus diuinare non poteram, vt eorum ope indigerem. *Casu* igitur, ob haec tempora, quae praeter opinionem meam consecuta sunt.

De tuis fortunis] Quarum partem amiserat. epist. 11.

In qua sunt omnia] Hanc maxime curemus: de fortunis minus laborandum. in hac enim omnia sunt. videtur significare, fortunas omnino recuperari non posse. quod comprobatur epist. 11.

Ad te defer] Epist. 6. *Et pollicitus sum et detuli.*

Vt nihil existiment esse tam difficile] Vide similem sententiam lib. 5. epist. 11.

[A verbis: *Antea misissem ad te litteras*, in editione Manutii epistola decima incipit.]

ARGVMENTVM.

Primo loco excusationem affert, quod antea non scripserit: tum hortatur eum, vt conscientia se sustentet factorum et consiliorum suorum: sperare etiam iubet, exsulem non diu futurum: eam porro spem sumit a Caesaris clementia, a statu reipublicae iam reuiuiscentis, a suo studio, ab amicorum Trebiani copia. Quibus caussis, vt forti magnoque animo sit, hortatur. Scripta videtur ante superiorem proximam: nam primum illa verba, antea misissem ad te litteras, si genus scribendi inuenirem, *nullas antea Ciceronem litteras ad eum misisse, perspicue demonstrant. Eodem anno.*

EXPLANATIO.

Tali enim tempore aut consolari, amicorum est, aut polliceri] Similis sententia in epist. 13. in principio, et lib. 4. epist. 13.

Iniu-

Iniuriam temporum] Temporibus assignat, quod hominum est: vt in epistola proxima, quod consilii fuit, in casum confert. haec deriuatio culpae cautionem habet, ne laedatur is, qui quo animo sit, magni refert in vtramque partem. lib. 5. epist. 21. *iniuriam* appellat: item epist. 5. huius libri nulla temporum aut hominis cuiusquam mentione facta.

Magnum fructum studiorum optimorum capis] Docent enim hoc maxime litterarum studia, nihil esse curandum, praeter culpam.

Idque vt faciat] Non refero hoc ad proxima, sed a superiora illa verba, *magnum fructum etc.*

Simul et illud] Iam incipit aliquid polliceri: vt ad conscientiam vitae ante actae, spes etiam accedat futurae incolumitatis.

Rerum et exemplorum] Vsum rerum et doctrinam significat: quod vtrumque vitae genus Trebianus coluisset, τὸ πρακτικὸν, ex Dicaearchi praecepto, καὶ τὸ θεωρητικὸν, a Theophrasto laudatum.

Plus etiam, quam vellem] Ob incommoda, quae sustinui.

Qui plurimum potest] Caesar. lib. 4. epist. 13. sic locutus est eandem sententiam lib. 4. epist. 7. tribus modis expressit: *ei, penes quem est potestas: ita late patet eius potestas, quem veremur, vt orbem terrarum complexa sit: is qui tenet rempublicam.* Dixit etiam, *qui omnia tenet: cuius dominatu locus vacat nullus: ad quem vnum omnia delata sunt:* epist. 8. 9. eiusdem libri.

Delabi ad aequitatem] Aequitas a summo iure eis edit, summum ius persequebatur Caesar, cum eos a quibus laesus erat, vlciscebatur. quod si non tantum iniuriam, qua ipse esset affectus, verum alia quoque simul cogitaret, verbi caussa, qui Pompeium secuti essent, alios id amicitiae dedisse, alios reipublicae, quod eam crederent in Pompeii et consulum castris esse; praeterea, satis eos iam dedisse poenarum; pertulisse incommoda, quae bellorum natura fert; caruisse patria, liberis, fortunis; nec posse talibus viris rempublicam carere diutius; haec si cogitaret, delaberetur ad aequitatem, nec summo, vt antea, iure agendum putaret.

Ad rerum naturam] Vt homo hominem tueatur ac diligat. odisse enim et laedere, violentum quiddam est, non ex rerum natura. epist. 6. *Rerum hoc natura et ciuilium temporum non patietur.*

Ipsa caussa] Dixi iam lib. 1. epist. 1. *caussam* interdum id vocari, quod ad aliquem pertinet: vt, *Pompeii caussa iustior, quam Caesaris.*

Cum republica] De hac spe, quae ab ipsa reuiuiscente republica capi posset, vide infra epist. 12. *Scis*, inquit, *me antea sic solitum esse scribere ad te, magis vt consolarer fortem virum atque sapientem, quam vt exploratae spem salutis ostenderem, nisi quam ab ipsa republica, cum hic ardor exstinctus esset, sperari oportere censerem.* Et lib. 4. epist. 13 *Etiam illa, quae minimum nunc quidem potest, sed possit necesse est, respublica, quascumque vires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem (mihi crede) impetrabit.*

Quae quoniam] Ea quae lenius ac liberalius fiunt.

In temporum inclinationibus] Opportunitates temporum, vel paruae, ad impetrandum saepe adiuuant. qua de re vide lib. 2. epist. 16.

Leuandi] Qui iuuat, idem dolore leuat. vel, *leuandi*, calamitate exsulii.

Procliuius] Facilius; quia per cliuos facile descenditur. sic lib. 2. de Offic. c. 20. *Dictu quidem est proclive.* et in Laelio c. 18 *Amicitia remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem comitatem, facilitatemque procliuior.* In Tusculana tamen quarta c. 12. *Haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur, in malis, proclinitas, vt significet lapsionem.*

Quod est in vno te] Hoc ipsi praestare non possumus; in te vno situm est.

Quae sunt in fortuna] Praesentem eius calamitatem ad fortunam refert; et eam non fore perpetuam ostendit, cum ait, *temporibus regentur:* id est, ratio temporum moderabitur: nos autem, quantum consilio licebit, occurremus.

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Reditum in patriam Dolabellae maxime beneficio impetratum nunciat gratulationem ab ipso exposcit: gratiarum actionem repudiat. iacturam fortunarum vt aequiore animo ferat, hortatur: quando nec rei familiaris damnum cum acquisitae dignitatis lucro conferri debeat; nec priuata res, cum publica sit amissa, magnopere curanda videatur. Praedicationem suorum in illum officiorum sibi non ingratam esse confitetur. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Dolabellam] P. Cornelium Dolabellam, antea Ciceronis generum: de quo supra diximus, divortium iam cum Tullia fecerat, quo tempore scripta est haec epistola. id licet coniicere ex lib. 11. ad Attic. epist. 23. quae scripta est ante bellum Africanum: hae vero ad Trebianum omnes post id bellum. nec vero simul cum affinitate dirempta amicitia est. (nisi si temporum caussa simulatum est) exstant Ciceronis epistolae lib. 9. ad Dolabellam insigni cum amoris argumento: et haec ipsa, prodesse Ciceroni gratiam Dolabellae apud Caesarem in amicorum negotiis, demonstrat.

Non defueram eius periculis] Bis eum Cicero, ante filiam suam ei collocatam, in capitis periculo defenderat. lib. 3. epist. 10.

Quam gratias agere] Respuit enim verus amor gratiarum actionem.

Vere facere poteris] Quia maxime gaudeo impetrata salute tua; ideo, si mihi gratulaberis, iure et vere facies. nam, *vere gratulari*, est, cum caussa gratulari, vt in epistola sequenti.

Virtus]

Virtus] Antea cognita. hic *virtus* non fortitudinem, non doctrinam, sed praestantiam quandam in magnis rebus demonstrat. nominatur autem simul cum dignitate, vt in epist. 5. quo loco *virtutis* nomen eadem significatione vsurpatur.

Dignitas] Trebianus, vt ex epist. 9. intelligitur, equestris ordinis fuit: dignitas tamen ei, tamquam honor cum ordine coniunctus, tribuitur, et in eadem epistola, et in hac.

Est tuae sapientiae magnitudinisque animi] *Sapientiae*, vt anteponendam rei familiari dignitatem iudicet; *magnitudinis animi*, vt illam iacturam negligat, fortiterque ferat. Vtramque coniunxit et lib 1. epist. 5. cum ait: *tuae sapientiae magnitudinisque animi est, omnem amplitudinem et dignitatem tuam in virtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua grauitate positam existimare.*

Vestorius] Puteolanus, de quo saepe fit mentio in epist. ad Attic.

Ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere] Erat igitur Trebianus, vbi Vestorius, et fortasse Puteolis, quia Puteolanus Vestorius.

Facile patior] De hoc genere loquendi satis dictum est lib. 1. epist. 9. et lib. 5. epist. 7.

Ea prudentissimo cuique] Similem sententiam vide lib. 2. epist. 13. Confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus fideliterque suadentibus idem videri.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Balbo de reditu impetrato: nec amplius consolationem esse necessariam confirmat, re iam confecta. qua in parte dum versatur, quaedam colligit ad laudem. rempublicam tamen plane perditam significat, nec se medicinam vllam, praeter litteras, inuenire. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Ampio Balbo] Videtur is esse, ad quem scribit lib. 10. epist. 29. quod si ita est; collocari illam epistolam ante hanc oportuit; vt ex vtriusque cognoscitur argumento. idem commendatur lib. 13. epist. 70. Quattuor Balbos inuenio, vnum hunc Ampiae gentis; alterum Atiae, qui Iuliam, C. Caesaris sororem, in matrimonio habuit, ex qua genuit Atiam, Augusti matrem; duos reliquos Gadibus natos, et ciuitate Romana donatos, Corneliae gentis: quorum alter Balbus maior, alter minor, eius fratre genitus, vocatus est. maior est, qui nominatur inter Caesaris amicissimos in hac ipsa epistola, et in epist. 18. 19. et in 5. 7. 18. lib. 7. et in 17. lib. 9. pro quo exstat egregia Ciceronis oratio, primus in Oceano genitorum consulatum est adeptus, vt ait Plinius lib. 7. c. 43. Minor Balbus ex Africa triumphauit, vt idem Plinius lib. 5. c. 5. Strabo lib. 3. Solinus. nominatur a Cicerone lib. 8. ad

Attic. epist. 11. a Pollione lib. 10. epist 32.

Frangi] Cognita veritate.

Ad aequitatem animi] In qua sunt, qui dolore vacant.

Tui caritate] Mea in te caritas cogebat, vt apertius tuam caussam agerem, quam permittere videbatur fortuna nostra. Infra: *nihil est a me inseruitum temporis caussa.*

Vidi, cognoui, interfui] Tribus verbis, nulla copula interposita, vis summa perficitur. tale illud pro Milone c. 4. *Est haec, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.* Et Phil. 14. c. 10. *Hostes nefarios postrauit, fudit, occidit.* Interdum et quattuor verbis, vt orat. 2. in Catilinam c. 1. *Abiit, excessit, euasit, erupit.*

Satis opportune] Cum eorum gratia et auctoritas magno nobis emolumento et fuerit nunc, et esse possit.

Cum ab illo discesserint] Lib. 1. epist. 9. *Sic enim te existimare velim; cum a vobis, meae salutis auctoribus, discesserim, neminem esse, cuius officiis me tam esse deuinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam.*

Pansa] C. Pansa, Vibiae gentis, vt mei testantur duo veteres argentei nummi, consul fuit cum A. Hirtio, anno post Caesaris necem 1. tribunatum gesserat Sulpicio et Marcello coss. vt indicat Coelius lib. 8. epist. 8. Mutinensi pugna duobus vulneribus acceptis, Bononiae periit, vt ait Appianus. vide lib. 10. epist. 30. et 33. et Phil. 14. c. 9. et Dionem lib. 46. Huius in se benevolentiam summam non hic modo, verum et in Phil. 7. c. 2. Cicero declarat his verbis: *Quamquam nos ab ineunte illius aetate vsus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas, similitudoque deuinxit: eiusdemque cura incredibilis in asperrimis belli ciuilis periculis perspecta, docuit non modo salutis, sed etiam dignitatis meae fuisse fautorem.*

Hirtius] Pansae collega in consulatu, qui eodem in proelio occisus est. Homo nouus, vt Cicero etiam noster fuit: atque hoc illi exprobrauit M. Antonius epistola illa, quae est in Phil. 13. c. 11. *Acerbissimum*, inquit, *est, te, A. Hirti, ornatum esse beneficiis Caesaris, et talem ab eo relictum, qualem ipse mireris.* et Cicero, ad excusandam eius nouitatem, ita scripsit in quadam ad illum epistola in fragm. *Cum nobilitas sit nihil aliud, quam cognita virtus, quis in eo quem veterascentem videt ad gloriam, generis antiquitatem desideret?* Dio vnum fuisse ait e filiis proscriptorum a Sulla, et a Caesare ad honores elatum. Huic Cicero, post divortium Terentiae, sororem sibi in matrimonium offerenti, respondit, se philosophiae simul et vxori operam dare non posse. auctor D. Hieronymus lib 1. ad Iouinianum.

Balbus, Oppius] Vide, quae diximus epist. 8.

Matius] Virum doctissimum appellat lib. 7. epist. 15. eius habemus disertissimam epistolam lib. 11. 28.

Postumius] Caesaris et hic familiaris, fortasse is, qui Siciliae praefuerat. epist. 8. vel qui lib. 14. ad Attic. epist. 10. nominatur.

Plane

Plane ita faciunt] Ad illud refertur, *me proximum habeant.* vt sit: hoc ita multis officiis praestant, vt amorem singularem mihi declarent.

Pro me] Pro salute mea: veteres libri omnes, quos inspicere soleo dubiis in locis, habent, *per me.* nec displicet. Egerat Cicero per familiares Caesaris, amicos suos, non per se ipsum, cuius auctoritas et gratia non erat eiusmodi, vt aliorum incolumitatem deprecari posset. ita porro in Ampii salute impetranda ei satisfecerant amici eius omni sedulitate atque officio, vt vix ipse Cicero, si auctoritate et gratia pari fuisset, agere potuisset. *Agere* autem *per aliquem*, est, alicuius opera vti. et in epist. 10. dixit: *agam per me ipse et moliar.* Quocirca videndum, an rectius sit, *per me*, quam *pro me.* nam, nec libenter discedo ab antiquis libris; nec hic quidem, vt discedam, sententia postulat.

Molitum] *Moliri* est, sine proposito aliquid agere. epist. 10.

Nihil est a me inseruitum temporis caussa] Hoc est, quod paullo ante dixit, *egi tuam caussam apertius, quam mea tempora ferebant.*

Non minus auctoritate, quam gratia] Gratia adolescentes valere possunt, auctoritate non possunt. nam *auctoritas* quaedam existimatio est parta rebus egregiis, in quibus grauitas et consilium enituerit.

Cimber autem Tillius] Sic placet, vt alii emendarunt; licet veteres aliquot libri *Tullius* habeant.

Mihi plane satisfecit] Hic locus ostendit, Cimbrum inter Caesaris familiares fuisse. quod si quis ambigit, Senecam legat lib. 3. de Ira c. 30. qui ait eum Caesaris partium ciuili bello defensorem acerrimum fuisse. Postea coniurauit in Caesarem, primasque partes in eo necando suscepit. Suetonius in Caesare c. 82. Plutarchus.

Non tam ambitiosae, quam necessariae] Sic epist. 6. *Cedit multorum iustis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus.* Et in orat. pro Ligario c. 11. *Video, apud te caussas rogantium valere plus, quam preces: ab iisque te moueri maxime, quorum iustissimum dolorem videas in petendo.*

Quas quia Cimber habebat] Videtur fuisse Cimber Ampii propinquus.

Diploma] Litterae Caesaris obsignatae, reditum Ampio et incolumitatem dantes.

Tubam belli ciuilis] Quo ciues ad bellum ita vocarentur, vt ad proelium vocari milites solent. Tale illud Phil. 7. c. 1. *Bellicum me cecinisse dicunt.*

Quasi non gaudeant] Ob direpta, vel paruo empta proscriptorum bona.

Recepit] *Recipere* plus est, quam promittere. lib. 13. epist. 28. et lib. 5. epist. 8. Qui enim in se recipit praestaturum se promittit. lib. 13. epist. 41. dixit: *confirmo et spondeo.*

Eppuleiae] Vxoris. nam Ampia, filia: quia feminae gentis nomine appellabantur. Fuluii liber vnus, *Appuleiae:* reliqui omnes, *Eppuleiae:* quorum consensu moueor: licet *Eppuleiae* gentis mentionem alibi non viderim: *Eppiam* quidem exemplis non paucis cognitam habemus

Nisi quam ERN. *Nisi eam, quam*] Quam spem ab ipsa republica sperari oportere censerem. Omnino durius videtur, *sperare spem.* itaque Lambinus legit, *nisi eius:* vt sit, eius salutis.

Ab ipsa republica] Quae, belli ardore exstincto, iacentem bonorum causſam subleuabit. Sic epist. 10. *ipsa causſa*, inquit, *ea est, vt iam simul cum republica, quae in perpetuum iacere non potest, necessario reuiuiscat atque recreetur.* Et lib. 4. epist. 13. *Etiam illa, quae minimum nunc quidem potest, sed possit necesse est, respublica.*

Cum recordarer] Tacita cohortatio ad constantiam. commemorantur enim ea, quae sapientiam et animi magnitudinem pariunt.

In republica esse versatum] Hoc dicit, quia diuturna reipublicae administratione prudentia comparatur: qua qui praediti sunt, aduersis casibus minime franguntur.

In ipsa discrimina] In belli ciuilis initia. itaque iam ab eo tempore, quae acciderunt, suspicari ac diuinare potuisti. cur igitur mirarer constantiam tuam in iis rebus, quarum euentum aliquanto ante prospexeras?

Sed etiam, vt, si ita accidisſet, victus, sapiens esſes ERN. *Si ita accidisſet, victus vt sapiens esſes*] Libri aliquot veteres: *sed etiam vt, si ita accidisſet, victus et sapiens esſes.* alii: *sed etiam vt, si ita accidisſet, victus vt sapiens esſes.* quos ita sum secutus, vt primum *vt*, induxerim, tamquam non necessarium. sententia similis epist. 1. *Si id euenit, quod ingredientibus nobis in causſam propositum fuit accidere posse: non debemus ita cadere animis, quasi aliquid euenerit, quod fieri posse numquam putarimus.* Et epist. 6. *Sin, propter incertos exitus euentusque bellorum, posse accidere, vt vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse.*

Memoriae prodendis] Ampius hic historiam scribebat.

Simillimum praebeas] Eadem sententia lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari.*

Ad haec] Quae communia sunt: quando illa propria iam effugisti.

Quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem] Idem lib. 4. epist. 3. et lib. 9. epist. 2. 3.

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Bene sperare Ligarium iubet: hortaturque, vt interea fortem animum habeat. Scripta est post Africanum bellum, eodem fere tempore, quo M. Marcellus restitutus est. quod intelligitur ex oratione pro ipso habita, quae exstat. Eodem anno.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Tali tuo tempore] Exsulabat Ligarius, quod in Africa in Pompeianis partibus fuisset, vide orationem.

Aut consolandi, aut iuuandi tui caussa] Lib. 4. epist. 13. *In quo debebat esse aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui.* et epist. 10. huius libri: *Tali tempore aut consolari, amicorum est, aut polliceri.*

Et sententiam et voluntatem] Sentiebat, in eum non fore Caesarem duriorem: quid autem eius caussa vellet, re potius, quam verbis, se esse declaraturum, infra dicit.

Res] Epist 10. *Ipsa caussa ea est, vt iam simul cum republica, quae in perpetuum iacere non potest, necessario reuiuiscat atque recreetur.*

Dies] Quae omnia minuit ac mollit lib. 4. epist. 5. lib. 5. epist. 16. lib. 7. epist. 28.

Opinio hominum] Quia videt bene homines de te sentire; nec putare, diutius eum huic iratsci caussae oportere.

Mitiorem] *Durum* et *mite* opponuntur. *Mitiorem* igitur subiunxit, quia *duriorem* dixerat.

Ex Africa nuncius] De Pompeianis in Africa deuictis.

Ipsum] Sua sponte, nemine supplicante aut intercedente.

Diuturnioribus molestiis] Arma enim, semel in Thessalia superati, abiicere noluerunt.

Quantum in ea republica, de qua ita sum meritus] Idem epist. 10.

Eadem caussa opes meas fregit, quae tuam salutem in discrimen adduxit] *Eadem de caussa nostrum vterque cecidit.* epist. 10.

Imago veteris meae dignitatis] Epist. 10. *reliquiae pristinae dignitatis* dixit. et lib. 4. epist. 14. *Ne vestigium quidem vllum est reliquum nobis dignitatis.*

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Exordii loco significatio officii et amoris est: narratio, quid actum cum Caesare sit de Ligarii incolumitate, demonstrat: concludit epistolam cohortatio ad laetitiam, et constantis in eo iuuando animi promissio. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Si quis ERN. *quisquam est timidus — is ego sum*] Ingenua culpae confessio fidem facilius inuenit in aliis rebus. Et est concinna figura: *si quisquam est, is ego sum.* vt etiam lib. 15. epist. 4. *Si quisquam fuit vmquam remotus et natura, et magis etiam, vt mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum.* Et lib. 5. de Fin. c. 26. *Si est quisquam, qui acute in caussis videre soleat, quae res agatur, is es profecto tu.*

A. d. V. ERN. *Ad II. Kal. interkalares priores*] Locus perdifficilis, et qui sine prolixa narratione explicari non posse videatur. quare, indagandae et ostendendae gratia veritatis, cogitaui olim quaedam, quae filio meo communicata, et cum eo accurate a me perpensa, peti possunt ab eius libro de Quaesitis per epistolam.

Indignitatem et molestiam] Indignitas est et molestia, cum ad principem virum admitti, negotii caussa, cupientes, ambulare diutius ante ostium, fictas caussas afferente cubiculario, cogimur. sedes enim saepe non vacant, quamquam nec sellio diuturna dignitatem habet, quod Caesarem sensisse Cicero, indicat lib. 14. ad Attic. epist. 1. *Proxime*, inquit, *cum Sextii rogatu apud eum fuissem, exspectaremque sedens, quoad vocarer, dixisse eum, ego dubitem, quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me conuenire possit?*

Tuum tempus] Ita locutus est, vt caussae ac temporis rationem haberet.

Sed etiam ex oculis et vultu] Potest enim esse ficta oratio: sed oculi sunt indices animi: itaque non tam facile mentiuntur. lib 3. de Orat. c. 59. et in Oratore c. 18. lib. 1. etiam de Leg. c. 9 *oculi*, inquit, *nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur.* Et in epist. ad M. Antonium lib. 14. ad Attic. epist 13. *Non solum ex oratione, sed etiam ex vultu, et oculis, et fronte, vt aiunt, meum erga te amorem perspicere potuisses.*

Hanc in opinionem discessi] Discedens in hanc opinionem veni.

Tranquilliora] Contrarium contrario reddidit, dixerat enim, *turbidissima.*

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Epistolae breuitas argumentum non desiderat. quis enim ea contineri non videt gratulationem, beneuolentiam, officium?

EXPLANATIO.

Tibi gratulor: mihi gaudeo] Omnino vtriusque verbi vim vel hic vnus ostendit locus: monendus tamen lector est, interdum et ad nos ipsos gratulationem converti: vt lib. 3. epist. 11. *Complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam vero osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum.* Et in epist. 4. ad M. Brutum: *de Cassio laetor, et reipublicae gratulor: mihi etiam, qui, repugnante et irascente Pansa, sententiam dixerim, vt Dolabellam bello Cassius persequeretur.* Marcellus quoque in epistola ad Ciceronem, lib. 4. 11. *in hoc*, inquit, *ego mihi gratulor.*

EPISTO-

EPISTOLAE XVI.

ARGVMENTVM.

Mutui amoris commemoratione quasi viam sibi ad petendum munit: petit autem, vt absentem se tueatur; siquidem gratum fore non dubitet. Scripta quo anno interfectus est Caesar: si modo hic Bithynicus ille est, quem Siciliae praetorem post Caesaris necem praefuisse narrat Appianus. Antonio et Dolabella coss.

EXPLANATIO.

Bithynicus] Pompeiae gentis: cui genti cognomen hoc dedit Bithynia deuicta. Festus: *Patrum tenentis imagines est effigies in Capitolio, ephebi more Graecorum arenam cuentis exercitationis gratia. quod signum Pompeius Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiae Romam deportauit.* Nominatur etiam in libro de clar. orat. c. 68. *Q. Pompeius Bithynicus:* sed eum puto huius Bithynici patrem fuisse: nam illum inter mortuos oratores Cicero numerat in eo libro, qui scriptus videtur ante exitum Africani belli. haec autem, et quae sequitur epistola, scriptae sunt, nisi me coniectura fallit, post Caesaris necem. Huius autem pater, qui nominatur in epistola sequenti, videtur is esse, qui Bithynici cognomen adeptus est. quod vt ita esse constet, ipsa recitabo verba Ciceronis, ex eo, quem proxime appellauimus, libro. *Q. Pompeius*, inquit, *A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio, quam nos, fortasse maior, summo studio discendi, multaque doctrina, incredibili labore atque industria; quod scire possum. fuit enim mecum et cum M. Pisone, cum amicitia, tum studiis, exercitationibusque coniunctus. huius actio non satis commendabat orationem. in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum.* Eius filium, post Caesaris necem, Siciliae praepositum, Sex. Pompeius Magni filius occidit. Dio lib. 48.

Tueare] Post Caesaris necem summa fuit Ciceronis auctoritas in ciuitate.

Intermoriturum] Pro, *morituram*, dixit. alibi tamen, *intermori*, est morientium similitudine deficere.

EPISTOLAE XVII.

ARGVMENTVM.

Scribenti Bithynico, cupere se rempublicam constitutam, vt cum Cicerone ducere vitam possit, respondet, se quoque eadem tenere cupiditate. deinde confirmat, si beneficia spectentur, coniunctiores ei, quam se, alios esse; si necessitudo, neminem.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Patris tui] Quem nominauit honorifice in Bruto, vt proxime ostendi.

Valuerunt ERN. *Valuerunt, aut valeant*] Valuerat Caesar, valebat Antonius, qui, quo anno Caesar periit, consul erat.

Coniunctiores tecum esse] In Caesaris partibus fuisse Bithynicum, et ab eo etiam ornatum, haec verba demonstrant: quibus Appiani testimonium accedit de Sicilia ei a Caesare mandata.

EPISTOLAE XVIII.

ARGVMENTVM.

Audierat Lepta, scriptam esse legem a Caesare, quam ferre propediem cogitaret, cum aliis de rebus, tum de creandis municipiorum decurionibus. et, quoniam familiares quosdam suos, qui praeconium fecerant, fieri decuriones volebat; ideo quaesiuit a Cicerone per litteras, vt, ea de re quid in lege nondum promulgata scriptum esset, ex Balbo, Caesaris familiarissimo, cognosceret. Respondet Cicero, quod ex Balbi codicillis cognouerat, licere iis, qui praeconium fecissent, in decurionibus esse; qui facerent, vetari. Rescribit etiam de bello Hispaniensi, de Leptae negotio, de Oratore suo, de mansione vrbana. Praeceptum in extremo dat Leptae filio, vt Hesiodum ediscat, ac saepe recitet eius versus de virtute per sudorem comparanda. Scripta est eo anno, cum Caesar, quartum consul sine collega, contra Pompeii liberos in Hispania pugnaret.

EXPLANATIO.

Leptae] Q. Leptae, quo fabrum praefecto vsus est Cicero proconsul in Cilicia. lib. 3. epist. 7.

Simul accepi] Varius est huius aduerbii vsus. dicitur enim, *simul atque, simul ac, simul vt, simul.* hic quidem, vt scripsi olim adolescens, omnes libri veteres, quos tunc videre potui, habebant, *simul accepi*, non *simul atque accepi*, vt est in vulgatis libris. itidem nunc, inspectis omnibus libris, quos ab amicis contrahere potui, video consentire omnes cum iis, quibus olim vsus sum. itaque discedendum a veteribus libris non censui, cum praesertim ita locutos esse non modo Terentium, Lucretium, Virgilium, Horatium, viderem; (nam sermo poeticus ab oratorio non nihil differt) verum etiam Ciceronem ipsum, vt lib. 4. Acad. c. 27. *Simul inflauit tibicen, a perito carmen agnoscitur.* et lib. 3. de Fin. c. 6. *Simul autem cepit intelligentiam.* Omitto alia eiusdem generis exempla. quamquam, quibus hoc loquendi genus ignotum fuit, ii pro libidine saepe mutarunt *simul* in *simul atque*, vel *simul ac:* in quo scripti libri, sublato mendo, veritatem restituunt.

Per codicillos] Vide, quae de codicillis diximus lib. 4. epist. 12.

In lege] Quam Caesar, vbi Romam ex Hispania reuertisset, ferre cogita-

cogitabat: scripserat autem vel ipse ante quam iret in Hispaniam, vel, post profectionem, Balbus et reliqui familiares, ex eius sententia: vt ipso in vrbem reuerso promulgaretur, et ferretur. nam, si lata fuisset, vel etiam promulgata, non e Balbo, quid in ea esset, Cicero quaesisset.

Decurionibus] Senatores vel coloniarum, vel municipiorum, *decuriones* vocabantur. et vt Romam ad senatum consules, ita in municipiis ad decuriones *quattuoruiri*, in coloniis *duumuiri* referebant. Ac nomine quidem ipso *decuriones*, decem tantum videntur: sed plures fuisse constat ex eo, quod in secunda agraria c. 35. centum nominantur.

Qui hodie haruspicinam facerent] Pungebat bonos viros delata a Caesare haruspici Ruspinae senatoria dignitas. Haruspicinam et extispicinam professione artes esse, re vera non esse, tradit Sextus Empiricus aduersus Mathematicos c. 14.

Pompeium] Cnaeum, Magni filium: qui, ad Mundam victus, paullo post interfectus est.

Paciaeci] L. Iunii Paciaeci, Hispani hominis, Romana ciuitate donati: quod praenomen et nomen indicant. cognomen vero Hispanum fuisse, satis constat: cum hodie quoque multi in ea prouincia Paciaeci nominentur. de hoc in libro de bello Hispaniensi c. 3.

Ipsas ERN. *Illi XI. esse legiones*] De copiis Pompeii sic in libro de bello Hispaniensi c. 30. *Erat acies XIII. aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus sex. Praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum.*

Oratorem meum] Librum de perfecto Oratore, quem Caecina nominauit epist 7. et ipse lib. 15. epist. 20.

De dicendo] De ratione dicendi. Sic locutus lib. 1. de Orat. c. 24. *Quid est ineptius, quam de dicendo dicere?*

Tantundem] Imperite nonnulli scribunt, *tantumdem*. nam Priscianus lib. 1. admonet, *m* transire in *n*, sequentibus *d*, *t*, *c*, *q*, vt *tam tandem*, *tantum tantundem*, *idem identidem*, *num nuncubi*.

Tulliae meae] Cum qua diuortium fecerat Dolabella. paullo enim post mentio fit de prima pensione ab eo exigenda: eademque de re lib. 16. epist. 24.

Partus] Ex partu Tulliam decessisse, Plutarchus auctor est. bis igitur peperit, semel ante pugnam Pharsalicam, cum in Graeciam ad Pompeium Cicero iturus esset; vt lib. 10. ad Attic. epist. vlt. iterum, cum in Hispania Caesar contra Pompeii liberos pugnaret: quod hic locus ostendit.

Primam pensionem] Triennio, tribus pensionibus, post diuortium dos reddebatur: quod tempus *annuam*, *binam*, *trimam diem* vocabant. dotis exactionem, *annua*, *bima*, *trima*, *die* celebrari vetuit Iustinianus, vt est L. vn. §. 7. C. de rei vxoriae actione. Sic et Vlpianus fragm. tit. 6. §. 8. et Pomponius locuti sunt. *tertiae pensionis* mentio lib. 11. ad Attic. epist. 23.

Aedificia] Villae.

Domus] In Palatio. lib. 5. epist. 6.

Ediscat] Aeschines: Δεῖ παῖδας τῶν ποιητῶν γνώμας μανθάνειν, ὦν ἄνδρες

ἄνδρες χρῶντα. Isocrates quoque sententias Hesiodi laudat.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα] Sic Mediceus liber: reliquos versus non habet. recte. satis enim est, primis verbis locum indicare. quem saepe morem Cicero seruauit. Hesiodi versus hi sunt Oper. et Dier. v. 289.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν

Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὰ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπὴ περ ἐοῦσα.

Simonides etiam, apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Stromatum, habitare virtutem in rupibus difficillimis, dixit.

EPISTOLAE XIX.

ARGVMENTVM.

Lepta significauerat, diuersatum se esse apud Maculam, beneque ab eo acceptum. deinde petierat a Cicerone, vt a Balbo curam sibi eorum ludorum impetraret, quos Caesar, deuictis iam in Hispania Pompeii liberis, per singulas regiones dare cogitabat; eaque iam de re ad Balbum et Oppium scripserat. De Macula, respondet Cicero, gaudere se, quod officio functus esset, amicitiae humanitatique debito: eiusque Falernum laudat. Ludorum curationem non probat. Scripta est reuertente ad vrbem Caesare post Hispaniense bellum.

EXPLANATIO.

Maculam] Fortasse Pompeium Maculam, amatorem Faustae, L. Sullae filiae: de quo Macrobius lib. 2. Saturn. c. 2.

Eius Falernum] Villa in agro Falerno: de quo Plinius lib. 14. c. 6. *Falernus ager a ponte Campano lacua petentibus vrbanum coloniam Sullanam, nuper Capuae contributam, incipit.* sic Tusculanum, Albanum, Pompeianum, Cumanum, villae, nomine sumpto a propinquis opidis, vel ab agro, vbi opida olim fuerant.

Diuersorio] Etsi *diuertere* verbum commune est, pertinetque ad omnia loca, siue aliena, siue nostra, ad quae de via defleximus, paullo post discessuri: *diuersorium* tamen appellari non solet, quocumque diuertimus. aliquid enim habent proprium, quo differant, *diuersorium*, *hospitium*, *taberna*, quam opinor cum *caupona* idem esse. *Diuersorium* potest et alienum esse, quo diuertimus amicitiae caussa, nec pretio soluendo, nec diu mansuri; et nostrum, nostri commodi caussa emptum, aut aedificatum; ne vel ad hospitem, cui molesti esse nolimus, vel ad cauponem diuertere cogamur. itaque lib. 7. epist. 23. *ista summa*, ait, *nae ego multo libentius emerim diuersorium Tarracinae, ne semper hospiti molestus sim. Hospitium* duabus rebus cum diuersorio congruit, vna, quod modo nostrum est, quo hospites excipimus; modo alienum, quo ipsi excipimur; altera, quod gratuitum: duabus item differebat; et quod sanctiora quaedam iura obtinet,

obtinet, vnde *hospitales dii*, *hospitalis Iuppiter*; et quod diuturnioris interdum commorationis est. *Hospites* autem Cicero in orat. pro Cluentio c. 59 vsurpauit pro iis, qui diuersantur in caupona. *Hominem*, inquit, *multorum hospitum, A. Binnium quendam, coponem, de via Latina, subornatis: qui sibi a Cluentio, seruisque eius, in taberna sua manus allatas esse dicat.* Quo loco accepit *hospites* pro peregrinis, vt alibi quoque, non pro iis, quorum sancta iura sunt. *Taberna* et *caupona*, vt verba Ciceronis, proxime recitata, demonstrant, idem sunt inter se, non idem tamen cum *hospitio*, et *diuersorio*. siquidem illa et amicos tantum, et gratis accipiunt: hae vero amicum a peregrino non distinguunt, sed alienis etiam ignotisque hominibus quaestus gratia patent. Hoc tamen animaduertendum, *tabernae* significationem latius patere, quam *cauponae*. nam tabernarum plura genera, in quibus merces venduntur, vt *taberna libraria*, orat. 2. in Antonium c. 9. *tabernae sutrinae*, apud Tacitum lib. 15. Annal. c. 34. *argentarias* etiam *tabernas* Liuius appellauit lib. 26. c. 11. non in quibus veniret argentum, sed pretio permutaretur, vel de manu, quod aiunt, in manum, vel vt alibi tantundem redderetur: quod hodie quoque fit. nec dubito, quin eisdem in tabernis fenori pecunia daretur. *Tabernae veteres* et *nouae*, circa forum, ex Plauto, Varrone, Cicerone, Liuio, Plinio, cognoscuntur. ideo Plautus in Men. Act. 2. Sc. 3. v. 81. et in Truc. Act. 3. Sc. 2. v. 29. *diuersoriae* cognomen addidit, vt a reliquis tabernis distingueret. Sunt etiam *tabernae*, humiles aedes, ex tabulis fere confectae, in quibus pauperes habitant, vnde Horatius lib. 1. Carm. od. 4. v. 13.

Pallida mors aequo pulsat pede
pauperum tabernas,
Regumque turres. ——

Caupona vendit ea tantum, quae comeduntur, aut potantur.

Petrinum tuum] Villae nomen, a vico Petrino, qui fuit in Sinuessano. Horatius lib. 1. epist. 5. v. 5.

—— *Sinuessanumque Petrinum.*

Commorationis est, non diuersorii] Ergo diuersorii commoratio non est. quod supra ostendimus.

De curatione aliqua] Hac de re, vt opinor, sic lib. 13. ad Attic. epist. 46. *Balbum conueni. Lepta enim, de sua vini curatione laborans, me ad eum perduxerat.*

Munerum regionum] Et antiquus liber, et Suetonii testimonium, in Caesare c. 39 ipsa etiam sententia me hortatur, vt, *regionum*, legam. ludi enim significantur, quos Caesar, superatis iam in Hispania Pompeii liberis, per singulas regiones dare cogitabat: id quod e Suetonii cognoscitur historia. Ac, ne quis, mentione a me regionum facta, contradicendi occasionem arripiat, quod ante Augustum diuisa vrbs non fuerit in regiones: ait enim de Augusto Suetonius c. 30. haec: *Spatium vrbis in regiones, vicosque diuisit:* moneo lectorem, vrbis *regiones* hic vocari quasdam vrbis partes a locis, licet earum certi fines nondum essent, qui postea statuti sunt ab Augusto, Italiam vrbemque in regiones diuidente. propterea et Suetonius dixit, ludos regionatim vrbe tota a Caesare,

confectis bellis ciuilibus, datos esse. Aliis placet legere, *munerum regiorum:* vt munera Caesaris regis dicantur. quod nec improbo, nec tamen satis probo: licet *regem* appellari Caesarem videam lib. 13. ad Attic. epist. 37. non enim arbitror Ciceronem in vllis, praeterquam ad Atticum, litteris ausum esse *regem* Caesarem appellare. sed Attico nihil occultat, sensus omnes aperit, fretus eius amore, fide, summaque sapientia.

Balbum] Quae Balbus et Oppius, absente Caesare, agebant, ea solere illi rata esse, dictum est epist. 8.

Assequi vis] Sperabat ita se beneuolentiam Caesaris ea curatione consecuturum, vt intimorum in numerum peruenire.

Praeter operam] Qua excepta, tu quoque nihil afferes.

Si modo id ipsum sciet] Te ludos curasse: quod ignorare potest, in tanta maiorum rerum occupatione.

Non accepisse] Hoc ipsum Cicero monet lib. 2. de Offic. c. 20. *Qui se*, inquit, *locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi, quamuis magnum aliquod, acceperint.* Eiusdem generis illud in epist. ad M. Antonium, lib. 14. ad Attic. epist. 13. *Litterae tuae sic me affecerunt, vt non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te.*

Aliquid videbimus, in quo sit spes ERN. *spes*] In hac enim curatione spes ponenda non est. nam, quod eo labore assequi vis, nullo modo assequere. aliquid igitur videbimus, vnde sperare liceat, in eorum numerum, qui Caesaris intimi familiares sunt, posse te peruenire. Hanc ego loci huius esse omnino sententiam arbitror: ad eamque pertinent verba, quae sequuntur. Non modo, inquit, non appetendum, sed fugiendum arbitror, quidquid eiusmodi sit, vt, quod tu assequi vis, id ex eo assequi non queas. Sunt, quibus placeat, *species*, non *spes:* quod ita scriptum videant in Mediceo libro. qui si vbique esset emendatus, non tam saepe ab eo discederent. Hic quidem vt omittam eos libros, quibus olim vsus sum, tredecim exemplaria, quorum nonnulla haud parum antiqua sunt, habent, *spes*. quare, cum nec obscura sit sententia; nec libri veteres dissentiant; mutandum nihil statuo.

Asturae] Lib. 13. ad Attic. epist. 38. significat, velle se Asturae Caesarem ex Hispania redeuntem exspectare.

EPISTOLAE XX.

ARGVMENTVM.

Accurate multa colligit, vt Toranio exsulanti persuadeat, ne se commoueat. Consolationem vnam illam affert, qua etiam vsus est in epist. 4. ad Torquatum, nihil iis horribile aut extimescendum videri, qui tum recte vixerint, tum aetate etiam eo iam peruenerint, vt vitae non multum supereesse videatur. Scripta belli Hispaniensis tempore.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Cn. Plancii] Pro quo exstat oratio.

Quod vitauerit] Toranius antea scripserat, velle se nescio quo accedere, vt aduenientibus ex Hispania se offerret, quos ad impetrandam a Caesare salutem suam, conciliare sibi cupiebat.

Ne illud quidem non quantiuis, subito ERN. *Ne illud quidem non, quamuis subito*] Sic veteres libri omnes, recte: nam duae negantes particulae, *ne non*, affirmant: quod ignorat nemo: quasi dixerit, et praeter illud, quamuis subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Mendo locus vacat, contra quam nonnullis visum est: modus tamen loquendi, *ne illud quidem non*, parum vsu tritus. sed nec omnia Ciceronis ad hanc aetatem scripta peruenerunt; nec ea, quae singularia sunt, qualia et in Cicerone ipso, et in aliorum libris multa animaduertimus, damnare statim et eiicere, nostri iudicii est.

Proficisci] Ad vrbem, cum de tua salute certi aliquid audieris.

Nihil est praeterea] Improbat eam rationem, qua Toranius adductus de loci mutatione cogitabat. cur, inquit, aduenientibus te offeras?

Cilone ERN. *Chilone*] Sic malo, vt est in Maffei libro, quam *Cilone*. *Chilo*, cognomentum eorum fuisse, qui labris essent maioribus, Festus docet. nam a Graeco χείλος deducitur.

Quodsi recipiet ille se] Si Caesar ex Hispania redibit. Haec verba nondum Hispaniense bellum esse confectum demonstrant: quod e sequenti etiam epistola intelligitur.

Vel impediet, vel morabitur] Ne veniat, vel ne cito veniat.

Vbi omnia scire possis] Ex litteris amicorum. non longe igitur Toranius aberat.

In hac caussa] In eo, quod ad Pompeianos omnes, belli ciuilis caussa exsulantes, pertinet. non enim interpretor, *in hac caussa*, quae ad te vnum pertinet.

Praeter communem casum ciuitatis] *Praeter vniuersae reipublicae interitum*, dixit in epistola sequenti. et ad Torquatum, epist. 1. idem scripsit. *Reliquum est*, inquit, *vt te id ipsum, quod ego qui si consolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reipublicae.*

Ita viximus, et id aetatis iam sumus] Egregie sententiam hanc explicauit epist. 4. *Adiuuat*, inquit, *etiam aetas; et acta iam vita, quae cum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura ipsa paene perduxerit.*

Pietate] Vide lib 1. epist. 1.

EPISTOLAE XXI.

ARGVMENTVM.

Consolationis loco praeterita colligit: et, quid ipse, amissa reipublicae salute, sentiat, quasi exemplum ad imitandum proponit. plurimum quidem ad leuandum dolorem valere mentis optimae conscientiam,

tiam, ostendit: Toranio autem, praeter communem casum ciuitatis, nihil timendum: se quidem pro virili curaturum omnia, quae ad salutem eius ac liberos pertinere videbuntur. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Commemorabam] Aliis, an sibi? sibi potius, et cogitatione, non voce. quasi dixerit: memoria repetebam, in memoriam redigebam.

Solosque nos vidisse] Gratiae caussa cum vno Toranio communicat hanc laudem. sed, quantum esset in ciuili bello mali, non soli viderant Cicero et Toranius, sed et Sulpicius, et Marcellus, et Varro. lib. 4. epist. 2. et 7. lib. 9. epist. 6.

Spe pacis exclusa] Quorundam Pompeianorum culpa, qui, Pompeio duce freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. lib. 4. epist. 1. lib. 6. epist. 6. et lib. 7. epist. 3. et lib. 9. epist. 6.

Seruitutem] Ob contumaciam et arrogantiam Pompeianorum. iisdem tamen crudelitatem tribuit lib. 4. epist. 9. 14. et lib. 9. epist. 6. et Coelius lib. 8. epist. vlt. et lib. 11. ad Attic. epist. 6.

Fortes illi viri et sapientes] Cum ironia dictum. *Fortes*, qui me timidum vocarent: *sapientes*, qui de belli euentu nihil timendum iudicarent.

Domitii et Lentuli] L. Domitius Ahenobarbus, et L. Lentulus consul.

Timidum] Cum pacem quauis tuta conditione cupiebam. lib. 5. epist. vlt. epist. 4. et 6. huius libri.

Cum omnium rerum mors sit extremum] Horatius lib. 1. epist. 16. v. 79.

— *Mors vltima linea rerum est.*

Hoc significat, mala omnia morte terminari. epist. 4. *Cum impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit,*

Salutem] Ipsius reipublicae, cuius antea dignitas, bello autem ciuili salus etiam concidit. significat illud tempus, cum accipiendas, quas tulit Caesar, conditiones censuit, ne reipublicae salus, quando iam dignitas amissa erat, in discrimen adduceretur.

Voluisse] Quod consequi non potuit, ob nonnullorum pugnandi cupiditatem. epist. 6. *Victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio, etc.*

Sententia et voluntate] Vtramque coniungit et epist. 13.

Praeter vniuersae reipublicae interitum] *Praeter communem casum ciuitatis*, dixit in epistola proxima.

Praesto semper futurum] Tale illud epist. 5. *A me vero tibi omnia liberisque tuis paratissima esse, confidas velim.*

EPISTOLAE XXII.

ARGVMENTVM.

Victo in Thessalia Pompeio, boni ciues multi ab armis discesserunt: quorum alii, spe veniae a Caesare impetrandae, in Italiam reuersi sunt, vt Cicero, et hic Domitius: alii eodem consilio in Asiam ierunt, aut in Achaia

Achaia remanserunt, ituri obuiam Caesari ex Alexandrino bello redeunti: alii vero, vel quia victori supplicare nollent, vel quod ei se committere non auderent, in opida libera, bello vacua, secesserunt, vt M. Marcellus, qui Rhodi vel Mitylenis aliquandiu maluit viuere, quam Romae. Sed in Italiam primi Cicero et D. Laelius venere: vnde illud lib. II ad Attic. epist. 7. edixit ita, vt me exciperet, et Laelium nominatim. *Domitii serior aduentus fuit: quod et ex hac epistola, et ex ea ad Atticum scripta, quam appellaui proxime, cognoscitur. Excusat igitur Cicero officium suum, quia litteras ad eum antea non miserit: oratque et obtestatur, vt, cum reipublicae iam satisfecerit, incolumitati suae consulat, amicorumque, quos belli casus eripuit, desiderium aequo animo, aut forti saltem ferat. In extremo pollicetur, se omnia facturum studiosissime, quae saluti illius et dignitati conducere arbitrabitur. Caesare III. et Lepido coss.*

EXPLANATIO.

Deterruit] Remouit. sic lib. 5. epist. 2. *Vt eum ab illa iniuria deterrerent.*

Ipse egens rebus omnibus] Eadem sententia lib. 4. epist. 13. et alibi.

Plus conatum esse] Plus conatus esset muneris suscipere reipublicae caussa, quam praestare posset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renouare voluisset. quod non fecit, desperata victoria.

Quam quantum praestare posse] Post Pharsalicum proelium ideo nihil muneris suscipere voluisti, quod optime intelligeres, id praestari a te non posse, amissa prorsus vincendi spe.

Quae daretur] Licet non optima.

Sed cum consilii tui] Argumentum huiusmodi est: si mansisses in bello, vt mansere multi; tamen hortarer te, vt aequo animo fortunam tuam ferres, eaque viuendi conditione, quae daretur, vtereris: cum vero statim, victo in Thessalia Pompeio, belli finem tibi statueris eum, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluisset; multo magis hortari te debeo, ne moerori te totum dedas, sed incolumitati tuae consulas.

Voluisset] Quasi suam tota de re voluntatem Pharsalico bello fortuna declarasset.

Parenti] Matri, non patri. infra.

Qui ex te pendent] Quorum incolumitas in tua sita est.

Iis hoc tempore vtare] Id enim tradidere sapientissimi viri, culpa qui careat, ei magnopere dolendum non esse.

Eorum desiderium] Quo Domitium angi, videtur Cicero audiisse.

Si non aequo] Non dolere enim non possumus: sed dolorem premere et vincere fortitudine possumus.

Ego, quid possim, nescio] Epist. 1. *Qui sim hoc tempore, intelligo.*

Quae tibi vtilia esse arbitrabor] Explicat diuersis verbis eandem sententiam, quam paullo ante, cum dixit, *quaecumque saluti dignitatique tuae conducere arbitrabor.*

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM VII.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Cn. Pompeius Magnus, iterum consul, in theatri a se exstructi consecratione, vt Pedianus, Plinius lib. 7. c. 48. Plutarchus, Dio scriptum reliquerunt, ludos dedit. Sed idem Plinius lib. 8. c. 7. datos ait in dedicatione templi Veneris Victricis: at Gellius lib 10. c. 1. in aede Victoriae dedicanda. quae controuersia ita sedatur, si templum Veneris Victricis cum theatro dedicatum putemus. nam, etsi de templo Veneris Plutarchus, vbi de theatro et ludis loquitur, mentionem nullam facit; idem tamen infra Pompeium ait, in campis Philippicis, nocte, quae proelium proxima anteceſſit, somniasse, ire se ad theatrum, et Veneris Victricis templum spoliis exornare. Quod autem Gellius Victoriam, non Venerem, appellat: non differre, opinor, existimauit Victoriam a Venere Victrici; quoniam vtrique cognomen idem esset, Caeligenae. Itaque Varro lib. 4. de L. L. hinc, *inquit*, comicus: Victrix Venus, videsne haec? non quod vincere velit Venus, sed quod vincire, et vinciri ipsa. Victoria ab eo, quod superati vinciuntur. vtrique testis poesis, quod et Victoria et Venus dicitur Caeligena. *Ludorum igitur duo genera Pompeius dedit, vnum in theatro ipso, alterum in Circo. Graeci ἀγῶνας, id est, certamina, vocauerunt. Certamen autem in theatro vel scenicum erat, vel gymnicum. scenicum Pompeii fuit actione duarum tragoediarum; Clytemnestrae Attii poetae, et Equi Troiani Liuii Andronici, additis Graecis Oscisque ludis: gymnicum, athletae. In Circo, qui et Hippodromus et Stadium dictus est, equorum cursus, venationes binae per dies quinque, in quibus leones quingenti caesi sunt, pugna elephantorum XX. vt ait Plinius, vel XVIII. vt Dio. Nec vero dissentire quisquam putet aut a Cicerone Plutarchum et Dionem,*

quod

quod neque de duabus tragoediis, neque de ludis Graecis et Oscis, a Cicerone nominatis, mentionem vllam faciunt; aut Ciceronem ipsum a Plutarcho et Dione, quod musicum certamen, ab ipsis nominatum, non appellat. nam et tragoediae, et Graeci Oscique ludi in scena dabantur: scenicos autem ludos Graeci scriptores in musicum certamen incluserunt. qua de re Pollux lib. 3. τῶν ἀγώνων οἱ μὲν γυμναστικοὶ, οἱ δὲ καλούμενοι σκηνικοὶ, ὀνομασθείεν ἂν Διονυσιακοί τε καὶ μουσικοί. *Latine sic:* certaminum alia quidem gymnastica, alia vero scenica vocata, Dionysiaca, et musica nominari possint. *Obscurene docet, scenica et musica idem esse? sequitur:* οἱ δ' Ἀττικοὶ οὐ ῥᾳδίως λέγουσιν, ἀγῶνας μουσικούς, ἀλλὰ μουσικῆς· *id est,* Attici autem non facile dicunt, certamina musica, sed musices. *Non igitur Attice locutus est Plutarchus, cum dixit,* ἀγῶνας μουσικούς. *nec mirum: natus enim Chaeroneae, Boeotiae vico. at Dio Attice,* θέαν καὶ μουσικῆς, καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ. *Idem Pollux paullo post:* χωρία δὲ, τῶν μὲν στάδιον, τῶν δὲ θέατρον, *id est,* loca vero, *inquit,* aliorum quidem stadium, aliorum autem theatrum. *Ludos enim dari solitos vel in stadio, id est, Circo, vel in theatro, significat etiam Varro in prooemio lib. 2. de re rust.* Manus, *ait,* mouere maluerunt in theatro ac circo patres familiae, quam in segetibus ac vinetis. *Partes epistolae quattuor praecipuae sunt. Prima, gratulatio, quod ludos Marius, omnis leporis expertes, non spectauerit; secunda, ludorum descriptio; tertia, Caninii defensio, eiusque tamquam appendix, cupiditas discedendi a iudiciis. Postremus excusationis locus est, quia prolixior ludorum narratio fuerit. Annum epistolae constat esse, quo Pompeius et Crassus alterum consulatum gesserunt.*

EXPLANATIO.

M. *Mario*] Arpinati: quod illa indicant verba: *cum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis. Marium Gratidium* nonnulli vocant, vt sit Gratidius ille, qui legatus fuit Q. Ciceronis. quod falsum puto. non enim et Mariae gentis et Gratidiae idem potest esse. aut igitur non is est: aut, si est, *Marius Gratidianus* appellari debet: et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Gratidiano* legendum, non *Gratidio.*

Dolor aliquis corporis] Tum ex podagra, qua laborabat: vt epist. 4. tum ex alio morbo: erat enim Marius et valetudine et natura imbecillior: vt lib. 2. ad Q. Fr. epist. 10. nam, si de podagra sola loqueretur, *dolor aliquis pedum,* non *corporis* dixisset.

Infirmitas valetudinis] Sine dolore, infra: *tu mihi modo istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta et tuere.*

Fortunae magis tribuo, quam sapientiae tuae] Cum fortuna ratio non miscetur: et, quod a fortuna est, id praeter rationem esse, dixit Aristoteles. nam ratio est earum rerum, quae vel semper, vel plerumque sunt: fortuna vero earum, quae nec semper, nec plerumque. distinguit etiam fortunam et casum idem Aristoteles. sed, haec quia non sunt huius loci, omittantur. Gratulor quidem tibi, ait Cicero,

cero, sed ita, vt te non laudem. vnde enim abest consilium, ibi laus locum non habet

Animo valuisse] Quasi animo aegrotent, qui ludos mirentur.

Modo, vt] Sic lib. 16. epist. 12. *Videtur, si insaniet, posse opprimi, modo vt vrbe salua.* et Terentius in Andr. Act. 2. Sc. 4. v. 6.

Modo vt possim, Dave. —

Et in Phorm. Act. 1. Sc. 2. v. 8.

—— *Scies:*
Modo vt tacere possis. ——

Constiterit fructus otii tui] In isto otio non fueris otiosus. quod solitum dicere maiorem Africanum, scripsit Cato: *numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset.* Cicero lib. 3. de Offic. c. 1.

Paene solus] Cum te reliquerint ii, qui ad ludorum spectacula in vrbem se contulerant.

Ex illo cubiculo tuo] Subaudi, prospectans ad ea loca, quae tibi perforasti, et patefecisti.

Stabianum] Plinius lib. 3. c. 5. *In Campano*, inquit, *agro Stabiae opidum fuere vsque ad Cn. Pompeium et L. Catonem coss. pridie Kal. Maii: quo die L. Sulla legatus bello sociali id deleuit: quod nunc in villas abiit.*

Perforasti] Prospectum in Stabianum agrum aperuisti.

Seianum] Alii libri, *Senium*, vel *Senum:* quidam, *Scenam:* vnus, *Semini;* plerique, *Seianum:* quod placet. sunt enim loca hodie in agro Etrusco, *Stabianum* et *Seianum*, hodie quoque nominata, quamquam Seiani pauca apparent vestigia, nomen remansit.

Communes] Qui spectari solent ab omnibus. quid igitur mirum, si nihil nouum spectantibus somnus irreperet?

Semisomni] Vel quia nihil novum, vt dixi, spectarent: vel etiam, quia matutino tempore. nam verbum *interea*, ad matutina referri tempora satis constat. vt eos dicat matutina tempora spectandis communibus mimis consumpsisse, quae Marius multo et sapientius et iucundius legendo traducebat.

Tibi ipse ERN. *ipsi*] Quinque libri veteres, *tibi ipse*. quod nonnullis placuit, vt Ciceroni magis vsitatum. Ego vtrumque probo.

Scilicet] Cum stomacho dixit.

Sp. Maecius ERN. *P. Maecius*] Qui poemata a mimis in scena recitanda prius iudicabat. est enim hic, vt opinor, P. Maecius Tarpa, de quo Horatius in epistola ad Pisones v. 386.

—— *Si quid tamen olim*
Scripseris, in Maeci descendat iudicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum.

Maeci, pro *Maecii*. Quo loco inquit Porphyrio: *Maecius perdiligens carminum fuit aestimator.* et lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 38.

Quae nec in aede sonent certantia iudice Tarpa.

Ludi apparatissimi] De his ludis in orat. in Pison. c. 27. his verbis: *Instant post hominum memoriam apparatissimi, magnificentissimique ludi, quales non modo numquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possum vllo pacto suspicari.* Quo loco Pedianus, *Cn. Pompeii ludos*, inquit, *significat, quibus theatrum a se factum dedicauit, quibus ludis elephanto-*

phantorum pugnam primus omnium dedit in circo.

Honoris cauſſa in ſcenam redierant] Vt ludos Pompeii honorarent, mimi veteres in ſcenam redierant, qui antea, ne quid aetatis vitio peccarent, in ſcena agere deſierant. in his Galeria Copiola Emboliaria ſignificatur, de qua Plinius lib. 7. c. 48. *reducta eſt*, inquit, *in ſcenam, C. Poppaeo Q. Sulpicio coſſ. ludis pro ſalute diui Auguſti votivis, annum* CIV. *agens: quae producta fuerat tirocinio a M. Pomponio aedili plebis, C. Mario, Cn. Carbone coſſ. ante annos* XCI. *et a Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta.*

Deliciae tuae] Qui tibi in deliciis et amoribus eſt. Titus, Veſpaſiani filius, *amor ac deliciae generis humani*, dictus eſt. *Deliciae* quoque vocabantur, vt ait Plutarchus in Antonio, feſtiui ſerui, quibus maxime domini delectarentur.

Aeſopus] Tragoedus; quem ex arte mimica H-S ducenties filio reliquiſſe, Macrobius lib. 2. Saturn. c. 10. prodidit. huius luxum ita notat Plinius lib. 10. c. 51. *Inſignis eſt in hac memoria Clodii Aeſopi, tragici hiſtrionis, patina* DC *H-S taxata: in qua poſuit aues cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, nummis* VI. *ſingulas coemptas.* Alibi cum laude a Cicerone nominatur.

Vt ei deſinere per omnes homines liceret] Nemini enim placuit.

Si ſciens fallo] Verba iurisiurandi per Iouem lapidem. *Lapidem* enim *ſilicem*, vt ait Feſtus, *tenebant iuraturi per Iouem, haec verba dicentes: ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalua vrbe arceque, bonis eiiciat, vti ego hunc lapidem.* Huc ſpectat illud lib. 4. Acad. c. 47. *Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primum iurare ex ſui animi licentia quemque voluerunt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quod inſcientia multa verſaretur in vita.* Et hic epiſt. 12. *Quomodo tibi placebit,* IOVEM LAPIDEM *iurare, cum ſcias, Iouem iratum eſſe nemini poſſe?* Et Liuius lib. 21. c. 45. *Eaque vt rata ſcirent fore, agnum laeua manu, dextera ſilicem retinens, ſi falleret, Iouem ceterosque precatus deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet. ſecundum precationem, caput pecudis ſaxo eliſit.* Et lib. 22. c. 53. *Stricto ſuper capita conſultantium gladio, Ex mei animi ſententia, inquit, vt ego rempublicam populi Romani non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. Si ſciens fallo, tum me, Iupiter Optime Maxime, domum, familiam, remque meam peſſimo leto afficias!* Et Gellius lib. 1. c. 21. *Iouem lapidem, quod ſanctiſſimum iusiurandum eſt habitum, paratus ego iurarem, Virgilium hoc numquam ſcripſiſſe.* Quibus locis mendum cognoſcitur in hiſtoria Polybii lib. 3. non enim διὰ λίθα, legendum eſt, vt Perotus interpres credidit, qui vertit, *per lapidem*, ſed Δία λίθον, id eſt, *Iouem lapidem.* Graeca verba ſubſcribam; vt hoc etiam teſtimonio perantiquus in foederibus percutiendis iurandi mos comprobetur. Ῥωμαίους Δία λίθον, κατά τι πάλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν ἄρνα, καὶ τὸν ἐνυάλιον. ἔχει δὲ τὶ, Δία λίθον, τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος

μενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὴν ὁμόσῃ δημοσίᾳ πίσει, λέγει τάδε· Εὐορκοῦντι μέν τ' ἀγαθὰ· εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι, ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν τοῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων, ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι ὅτως, ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν, ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός.

Reliquos ludos] Quos cum saepe videris; quales hi fuerint, potes coniicere. quamquam hi quidem hilaritatis minus etiam, quam mediocres ludi, habuerunt.

Sexcenti] Numerus finitus pro infinito: vt Asinius lib. 10. epist 31. *Sexcentis locis excutiuntur: deinde etiam retinentur a Lepido tabellarii.* et Cicero saepe.

Muli] Troica praeda onusti. nam in Clytemnestra, Attii poetae tragoedia, vt ex Nonio cognoscitur, reditus ostendebatur Agamemnonis in patriam ab excisa Troia.

In Equo Troiano] Tragoedia Liuii Andronici. nominatur et epist. 16. *In Equo Troiano scis esse in extremo, Sero sapiunt.*

Craterarum tria millia] Ex eadem praeda. *Cratera craterae*, hic, et lib. 4. in Ver. c. 59. *Crateras ex aere pulcherrimas ex omnibus aedibus sacris Syracusis abstulit.* at *crater crateris* apud poetas, vas fuit et potorium, et quo diis libabatur.

Armatura varia] Pro genere armorum posuit, vt lib. 6. ad Attic. epist. 1. *Habet cohortes quadringenarias, nostra armatura triginta.* Et Hirtius de bell. Alex. c. 34. *Adiungit Cn. Domitius legioni* XXXVI. *duas ab Deiotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat, equitesque centum.*

Operam dedisti Protogeni] Legentem Protogenem audisti. Sic in Bruto c. 89. *Ego, iuris ciuilis studio, multum operae dabam Q. Scaeuolae, P. F.* Et ibidem infra: *Moloni Rhodio Romae dedimus operam.*

Haud paullo plus] In exprimendis rebus perspicue maioribus, hoc Cicero delectatur genere loquendi, vt lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Alexander, imperator haud paullo melior, quam aut tu, aut ego.* Et in Oratore c. 44. *Haud paullo maior scriptor, Plato.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 12. *Ciuis haud paullo melior, quam isti nostri ἀδικαίαρχοι.*

Non enim] Non connexio eiusdem rei, quasi caussa exponatur superioris sententiae, sed transitus est ad aliam, vt post: *Nam quid ego te athletas putem desiderare?*

Graecos] De ludis Graecis lib. 16. ad Attic. epist. 5. *Rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorum, frequentiam non fuisse: quod quidem me minime fefellit. scis enim, quid ego de Graecis ludis existimem.* Sed ludos illos Bruti praetoris absentis nomine, hos a consule Pompeio video datos esse. quo licet intelligere, ordinarios non fuisse, verum arbitratu magistratuum, vt Oscos etiam, communis laetitiae caussa dari solitos.

Oscos ludos] Tria ludorum genera Pompeius dedit, Latinos, Graecos, Oscos, diuersos scilicet lingua, sermone, et amictu. itaque Ennium gloriari solitum ait Gellius lib. 17. c. 17. tria corda se habere, quia tres linguas calleret, Latinam, Graecam, Oscam. *Osci* a regione

regione Campaniae, quae est Oscos, vocati sunt, vt inquit Festus. Oscum ludicrum leuissimae apud vulgum delectationis appellat Tacitus lib. 4. Annal. c. 14.

Cum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis] Duae sunt caussae, quibus neque Graecos neque Oscos ludos Marius desiderare debuerit: prior in ipsis ludis, quod indigni sint, qui a viro graui doctrinaque expolito spectentur. altera non in ipsis ludis est, sed petitur extrinsecus: quia Osca verba Marius vel in senatu Arpinati audire posset; (non enim Oscos ludos fieri in Arpinati senatu Cicero dicit, sed iocatur in Arpinatum senatorum linguam, Osca mistam propter vicinitatem) a Graecis autem alieno animo esset, vsque eo, vt Graecam viam, cum ad villam suam iret, libenter vitaret.

Athletas] Quos in theatro certasse, Dionis testimonio iam probauimus. Athleticum autem certamen Olympiae Hercules inuenit. Graece πένταθλον, Latine *quinquertium* dicebatur, quia certationes corporum essent, vt in Polluce legitur, quinque rebus, cursu, lucta, pugilatu, saltu, disco. ideo πένταθλος dictus est Democritus Abderita, quod exercuisset physica.

Ipse] Dator ludorum.

Confitetur] Quia pauci eo certamine delectati.

Operam et oleum] Laborem et sumptum. oleo enim vngebantur athletarum corpora. id primo dictum in vna re, de athletis scilicet, qui labore et sumptu exercitati, mox interdum parum probarentur; deinde ad omnia similia translatum est, in quibus et operae et sumptus iacturam factam esse constaret. Plautus in Poen. Act. 1. Sc. 2. v. 119.

—— *Tum pol ego et oleum et operam perdidi.*

Venationes] In quibus leones quingentos interfectos esse, auctor Plutarchus, et Dio lib. 39.

Binae per dies quinque] Binae, quia mane datae, post meridiem instauratae sunt.

Homini polito ERN. *politico*] Si veteribus libris habenda fides est: in omnibus, et quos olim vidi, et quibus nunc vtor, ita legitur. si de sententia laboramus: caussae nihil video, cur non placeat, *homini politico*. valet enim, viro graui, et in republica versato. Mediceus liber, *homini polito*: quod est, eleganti.

A valentissima bestia] A leone.

Venabulo] Telum venantium, lato ferro. Virgilius lib. 4. Aen. v. 131.

Retia rara, plagae, lato venabula ferro.

Transuerberatur] Transiicitur.

Elephantorum] Quos XX. vt Plinius ait, vel, vt Dio, XVIII. Pompeius in Circo dedit.

Admiratio] Tantarum belluarum adspectu.

Quin etiam] Contrarium subiungitur: nam delectatio cum laetitia est, misericordia cum dolore.

Misericordia quaedam] *Quaedam*, dixit, quia proprie miseremur nostri similium, non brutorum. Caussam huius misericordiae Plinius exponit his verbis lib. 8. c. 7. *Amissa fugae spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicauere, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi*

puli dolore, vt oblitus imperatoris ac munificentiae honori suo exquisitae, flens vniuersus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur. Eadem fere Dio, Plutarchus hanc rem breuiter attigit.

Ludis scenicis] Ludos scenicos vocat, Clytemnestram, et Equum Troianum, itemque Graecos et Oscos ludos. Hic quaero: si ludi sunt inter dies festos, quod Macrobius lib. 1. Saturn. c. 16. scriptum reliquit; et festi dies, iidem sunt nefasti: quod idem tradidit; qui potuit Caninii caussam Cicero ludis scenicis, id est, nefastis diebus, agere? nam iudicia fastis tantum diebus fiebant: nefasti autem fastis oppositi. Non deest, quod respondeam. Ludi non omnes, sed anniuersarii tantum inter dies festos fuere, ludi autem Pompeii non anniuersarii, sed extra ordinem dati, cum theatrum templumque Veneris Victricis dedicaret. itaque per eos dies iudicia fieri licuit. Exoritur altera quaestio: si ludos Cicero spectauit, quo modo Caninium defendit? Potuit ante meridiem defendere, post meridiem spectare.

Ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse] Ne tu me putes ludorum diebus, non dicam beatum, sed omnino liberum fuisse.

Dirupi] Prae labore, et contentione.

Galli Caninii] Quem Athenis postea vidit in Ciliciam proficiscens. lib. 2. epist. 8.

Tam facilem] Facilem populum non habeo, quia non licet mihi a caussis discedere: cogor enim defendere, quos nolim.

Ambitio] Caussis enim agendis multorum sibi amicitias comparavit; quorum ope summos honores consecutus est: vt in Commentario Q. Ciceronis de petitione consulatus c. 6.

Vita nulla est] Prorsus iniucunda vita est: vt mihi viuere non videar.

Neque enim fructum vllum laboris ex his exspecto ERN. *exspecto*] Sic olim restitui, cum in omnibus antiquis libris viderem, sicuti nunc etiam video, *ex his peto.*

Homines non optime de me meritos] Gabinium significat, quem rogatu Pompeii defendit, cum ab eo consule oppugnatus et eiectus esset. In oratione pro Postumo c. 8. defensum a se Gabinium, ait, non tam vt Pompeio gratificaretur, quam vt bona fide rediisse videretur in gratiam. Ad Vatinium quoque spectauit, quem, Caesare contendente, reum defendit. lib. 1. epist. 9. *De Vatinio*, inquit, *primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium. — post autem Caesaris, vt illum defenderem, mira contentio est consecuta.* Et ipse Vatinius, cum Ciceroni odio fuisset, mox eo se patrono absolutum, fatetur lib. 5. epist. 9. Et Valerius lib. 4. c. 2. *Cicero Gabinium, repetundarum reum, summo studio defendit, qui eum in consulatu suo vrbe expulerat. idemque P. Vatinium, dignitati suae semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est.* Et Quinctilianus lib. 11. c. 1. *Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos oratio-*

orationes etiam scripserat. Diuus etiam Hieronymus contra Rufinum recitat locum ex oratione Ciceronis pro Gabinio.

Et laudo vehementer, et probo] Vide illud lib. 5. epist. 20. *Quam omnes non solum probant, sed etiam laudant.*

Lepore tuo] *Lepor* in verbis proprie dicitur, ad alia tamen transfertur, quae delectationem afferant: vt, *homo omni lepore ac venustate affluens.* et, propter cultum amictumque lasciuiorem, *pueri lepidi ac delicati* vocantur orat. 2. in Catil. c. 10. Et *fit lepide illa ἔκχυσις radiorum.* lib. 2. ad Attic. epist. 3. quod refertur ad iucunditatem eorum, qui ex angustis fenestris prospicerent.

Molestissimas] Huius molestiae praecipuam causam dixit, quod eos etiam, quos nollet, defendere cogeretur.

Quibus si me relaxaro] Lib. 16. ad Attic. epist. 16. *Si te occupatione ista relaxaris.*

Exsoluam] Non omnino occupationibus expediri, sed impediri minus vult. plus enim, *exsoluere*, quam *relaxare*; contraria vero, *relaxare*, et *adstringere*, vt lib. 10. ad Attic. epist. 6. *Pater nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat.*

Quid sit humaniter viuere] Non refero *humaniter*, ad eam virtutem, qua qui praeditus est, facilem se omnibus praebet, comiter excipit benignum, complectitur, vultu, verbis, re neminem laedit: sed accipio *humaniter*, pro iucunde simul et honeste, cum iis voluptatibus et studiis, quibus animus quidem remittitur, numquam tamen a virtute disiungitur. *humaniter* et *humane* dixit Cicero: sed vsitatius esse *humane*, et cum quadam licentia dictum *humaniter*, sicut a Terentio in Andr. Act. 1. Sc. 1. v. 47. *duriter* pro *dure*, ostendit Augustinus in libro de Grammatica.

Istam imbecillitatem valetudinis] *Valetudinem istam infirmam*, dixit lib. 14. epist. 2.

Sustenta] Apte et proprie: nisi enim sustentetur quod imbecillum est, facile concidit.

Villas obire] Pro *adire:* quamquam voluntatis et studii plus est in *obire*, quam *adire:* vt cum alibi dixit, *obire cenas, obire colonias.* Interdum valet exsequi.

Haec ad te pluribus verbis scripsi, quam soleo, non otii abundantia, sed amoris erga te] Dixi iam, similitudine locorum indaganda, copiam ali, et ingenium excitari. quare, si quid in hoc genere pro nostro instituto, studii operaeque ponimus; non οἴχεται, vt opinor, nostra industria, sed cum aliquo fortasse studiorum fructu collocatur. In epistolarum clausula solet excusationem Cicero aliquam afferre, vel quia longior fuerit, vel quia liberior in scribendo. prioris generis exemplum est hoc, et illud lib. 6. epist. 4. *Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit. facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas.* Et lib. 3. epist. 10. *Sed haec hactenus. pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt.* Cato etiam lib. 15. epist. 5. excusationem quaesiuit, quasi longior fuisset. *Haec ego,* inquit, *idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, vt, quod maxime*

maxime volo, existimes, me laborare, vt tibi persuadeam, me et voluisse de tua maiestate, quod amplissimum sim arbitratus; et quod tu maluisti, factum esse gaudere. In posteriore genere sunt illa, lib. 2. epist. 4. *Hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui caussa, sed testificandi amoris mei.* Et lib. 10. epist. 3. *Haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis et praeceptis egere Sciebam enim, ex iisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Nunc tantum significandum putaui; vt potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam.*

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

Emere M. Marius nescio quae bona cupiebat, quae Cicero et alii, hereditate relicta, possidebant. eam curam Ciceroni per litteras dederat; et simul, condemnato Planco Bursa, eius inimico, gratulatus erat. De Marii negotio primum iocatur Cicero, deinde se diligenter curaturum confirmat. De Bursa, rem non mediocri gratulatione dignam esse significat: praeterea calere iudicia, nouas leges ferri: vtrisque se vehementer distineri. Scripta Ser. Sulpicio, M. Marcello coss. nam T. Munatium Planeum Bursam, de cuius damnatione in hac epistola fit mentio, damnatum ait Dio, cum primum exiit magistratu, id est, tribunatu plebis, quem gessit Pompeio Magno tertium consule: quem secuti consules sunt Sulpicius et Marcellus. neque vero hoc solum constat, scriptam esse hanc epistolam Sulpicio et Marcello coss. sed illud etiam, primis fere diebus eius anni, ante quam senatus Ciceroni Ciliciam prouinciam decreuisset. nam extremo Aprili mense, aut ineunte Maio, ab vrbe discessit, vt in prouinciam iret: quod indicant epistolae ad Attic. lib. 5. at, cum has ad Marium dedit litteras, nondum ei decreta prouincia fuerat: nec tamen, ea decreta, statim discessit. quo argumento, et magis etiam damnatione Bursae, quam Dio, vt dixi, confert in primos anni dies, videor posse confirmare, scriptam epistolam paucis diebus post initum a Sulpicio et Marcello consulatum.

EXPLANATIO.

Homo acutus] Cum ironia. minime enim acutus, qui mandat ei, vt aliquid emat, cui expediat illud venire quamplurimo.

Sed eo vidisti multum] Ergo non multum viderat in emptione mandanda: quod correxit pretio definito. *Videre* autem oculorum est proprium: sed ea vis, quae in oculis est ad cognoscendum, apta similitudine ad mentem, animum, ingenium cum laude transfertur. vnde *acies mentis, animi, ingenii* dicitur: et *videre* aut *cernere animo, ingenio, coniectura, etc.* lib. 2. epist. 16. *Non eam cognoui aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id vt non putem videre.* Et lib 6. epist. 4.

epist. 4. *In quo prima illa consolatio est, vidisse me plus, quam ceteros, cum cupiebam, quamuis iniqua conditione, pacem.* Et epist. 28. huius libri: *Vidisse mihi multum videris.* Et lib. 9. epist. 2. *Tu enim ipse, qui et me, et alios prudentia vincis, omnia, credo, vidisti, nihil te omnino fefellit.* Et in Oratore c. 64. *Paeona qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum.*

Quo ne pluris emerem] Mandaverat enim Ciceroni Marius, vt vel suam venderet, vel aliorum coheredum partem emeret.

Qui meus amor in te est] Pro meo in te amore. lib. 5. epist. 20. *Quodsi mihi expensa ista H S centum tulisses, tamen, quae tua est suauitas, quique in me amor, nolles a me hoc tempore aestimationem accipere.* Et epist 13. huius libri: *Moriar, ni, quae tua gloria est, puto te malle a Caesare consuli, quam inaurari.* Et lib. 8. epist. 3. *Qui, quae mea negligentia est, multos saepe dies ad te, cum hic eras, non accedebam, nunc quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior.* Et lib. 13. epist. 78. *Cognitum, per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio iudicabis.*

Confeciſſem] Transegissem, negotium absoluissem.

Licitatorem ERN. *Inlicitatorem potius ponam, quam illud minoris vaeneat*] Sic veteres aliquot libri. alii, *illicitatorem.* nonnulli, *in licitationem:* vel, *in licitatione.* placet, *in licitationem:* vt sit: conferam illud potius in contentionem licitantium, quam minoris veneat: non patiar illud minoris venire, quam quanti vt emerem, permisisti. ita neque contra mandatum tuum agam; non enim pluris emam, quam tu vis: et consulam vtilitati meae; quia, minoris ne veneat, in licitationem ponam. Tota iocatio est, praeter illud primum, *mandatum tuum curabo diligenter.* quod infra quoque, remoto ioco, iterat. *Ponere* autem cum accusandi casu alibi quoque dixit Cicero, vt Phil. 3. c. 11. *Longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.* Et lib. 5. de Fin. c. 2. *Quacumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus.* Et lib. 5. ad Attic. epist. 3. *Apud Lentulum ponam te in gratiam.*

De Bursa] Hic est T. Munatius Plancus Bursa, frater L. Planci oratoris, ad quem sunt Ciceronis epistolae lib. 10. tribunus plebis anno proximo acerbissimis concionibus in inuidiam rapere Milonem Ciceronemque conatus erat: eoque incitante plebs curiam incenderat. quo crimine anno sequenti, statim post depositum magistratum, lege Pompeia de vi damnatus est. lib 8. epist. 1. et Plutarchus in Pompeio et Catone, Dio lib. 40. et Pedianus. Restitutus a Caesare post victum Pompeium. qua de re sic Phil. 13. c. 12. *Sequuntur alii, tribunicii, T. Plancus in primis: quî si senatum dilexisset, numquam curiam incendisset. quo scelere damnatus, in eam vrbem rediit armis, e qua excesserat legibus.*

Gaudere] Tum, quia de vi damnatus esset; tum etiam, quia Cicerone ipso accusante. Dio lib. 40.

Hominis sordes] Ad vitia refertur: quibus inquinati homines contemnuntur vt sordes. In Pisonem c. 26.

c. 26. *O lutum, o sordes!* Lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Iudicum sordes.*

Morte inimici] Clodio a Milone interfecto.

Quam calamitate] Non tanti mihi est inimicorum exitium, vt eos perditos velim cum amicorum calamitate. quod accidit in Clodio. cum enim occidit Milo, et eo crimine calamitatem subiit exsulii.

Bonorum] Iudicum, qui Bursam damnauerant.

Contentionem] Summum studium pro salute Bursae. nam *contentio* plus est, quam *studium.* lib. 1. epist. 1. *Sic egit caussam tuam, vt neque eloquentia maiore quisquam, neque grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit.* Et epist. 9. eiusdem libri: *Caesaris, vt illum defenderem, mira contentio est consecuta.*

Clarissimi] Pompeium significat. quem et lib. 1. epist. 8. *clarissimum* vocat. *A senatu,* inquit, *ordinem coniunctissimum, et hominem clarissimum abalienauerunt.*

Potentissimi] *Contra tantas opes eius,* dixit infra.

Oderam multo peius hunc] Lib. 14. ad Attic. epist. 1. *Non dubito, quin me male oderit.* Et M. Brutus in epist. 16. ad Ciceronem: *Pati contumelias, peius odero malis omnibus aliis.* Phil. 11. c. 5. *Neminem veterani peius oderunt.* Terentius in Adelph. Act. 4. Sc. 1. v. 7.

Et illud rus nulla alia caussa tam male odi, nisi quia prope 'st.

Horatius: *Odi cane peius et angue.*

Hunc defenderam] Reum. ingratus igitur. in quo vitio nihil mali non inest; vt lib. 8. ad Attic. epist. 4.

Discrimen esset habitura] Periclitatura esset: cum in mea salute reipublicae salus ageretur.

Eorum auxilio] Improborum omnium. non enim praecipue Caesarem, Pompeium, Crassum notari crediderim: de quibus in orat. pro Sextio c. 17. 18. nam hoc tempore Caesari et Pompeio non vulgari Cicero coniunctus erat amicitia.

Qui, me stante, stare non poterant] Perditis enim illorum consiliis aduersabar acerrime. lib. 6. epist. 6 *Cum me ex republica expulissent ii, qui illam cadere posse, stante me, non putarunt.*

Simiolus] Plane contemnendus, non homo, sed simiolus. homini enim simia quibusdam rebus similis. lib. 5 epist. 10 *Simius, non semissis homo, contra me arma tulit.* Et Horatius lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 17.

—— *Quos neque pulcher*
Hermogenes vnquam legit, neque simius iste
Nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum.

In quem inueheretur] Quem iniuriis afficeret. in hoc verbo illud notandum, duo participia, *inuehens* ab agente verbo, *inuectus* a patiente deductum, tempore magis, quam significatione, differre. Phil. 2. c. 29. *De quo Caesar in senatu, aperte in te inuehens, questus est.* Lib. 1. de Nat. deor. c. 28. *Maritimus Triton pingitur natantibus inuehens belluis, adiunctis humano corpori.* Eiusdem generis illud est in Bruto c. 97. *Cuius in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transuersa incurrit misera fortuna reipublicae.*

Emissa-

Emissarium] Qui meorum inuidorum arbitrio et voluntate in me emitteretur, similitudine locorum, quibus, cum volumus, aqua emittitur. lib. 6. epist. 18.

Contra tantas opes eius] Contra contentionem potentissimi viri Pompeii: qui cum, imperii caussa, ad vrbem esset, Plancum per tabellas absens laudauit. Dio lib. 40. idem confirmat Plutarchus in Catone. quamquam in Pompeio non ab ipso absente, sed a praesente laudatum esse Plancum significat. ait enim, λύσας νόμῳ τὰς γινομένας περὶ τῶν χρημάτων ἐπαίνους, αὐτὸς εἰσῆλθε Πλάγκον ἐπαινεσόμενος.

A quo ipsi lecti iudices erant] Pompeius duas tulit iudiciarias leges, vnam in secundo consulatu, vt e censu amplissimo e centuriis aliter, quam antea, lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus, de quibus L. Aurelius Cotta praetor legem tulerat, res iudicarent; de qua Pedianus ad orat. in Pison. c. 39. alteram in tertio consulatu, quam Velleius nominat, vt essent CCCLX, quos ipse legit. tot enim et Velleius lib. 2. et Plutarchus in Pompeio nominant. vide Coelii lib. 8. epist. 8. quo loco trecenti tantum iudices appellantur. Lectionem autem illam consulis Pompeii fuisse, non Velleii modo, sed Ciceronis etiam testimonio cognoscitur. sunt enim haec in oratione pro Milone, in extremo: *Vestram virtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque legit.* Idem ostendit Pedianus in eius orationis argumento.

Nisi iis dolori meus fuisset dolor] Susceptus ex multis Planci iniuriis: qui me animi caussa, in quem inueheretur, delegerat. Non dissimile illud Phil. 14. c. 6. *Dolorem ferre non potuit doloris mei.* sic enim eum locum distinguo.

Celebritate iudiciorum] Ob magnitudinem rerum, quae iudicabantur.

Nouis legibus] Quas proximo superiore anno Pompeius Magnus, tertium consul, tulerat. duas nominat Pedianus, vnam de vi, qua Bursam eiectum esse in exsulium diximus, alteram de ambitu, qua Hypsaeum damnatum Plutarchus in Pompeii vita videtur indicare.

Vota faciamus] Vota facit is, qui se aliquid cum honore Dei facturum ita promittit, si, quod optat, ex animi sententia successerit.

Ne intercaletur] Ne dierum interpositione tempus protrahatur. Indicat hic locus, pontifices interkalare solitos arbitratu suo. nam, si annus hic esset interkalaris ex instituto Numae, frustra Cicero vota faceret, ne interkalaretur. metuebat igitur, ne interkalaretur extra ordinem. quod idem timuit in administratione Ciliciae lib. 5. ad Attic. epist. 9. 13. 11. Contra sequenti anno C. Curio tribunus plebis, vt diem haberet longiorem ad ea perficienda, quae pro Caesaris caussa cogitabat, interkalare cupiebat. quod quia non obtinuit, a senatu ad populum transfugit, et pro Caesare loqui coepit, vt ait Coelius lib. 8. epist. 6.

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Vituperatorum quorundam voces, discessum eius a ciuili bello reprehendentium, iniquo animo ferebat. causſam igitur exponit, cur, deuicto acie Pharſalica Pompeio, in patriam redire maluerit, quam, vel bellum renouare, vel capere tamquam exſulio locum, vel mortem ſibi conſciſcere voluntariam. Scripta poſt bellum Africanum, vt Iubae regis mentio declarat, Caeſare III. et Lepido coſſ.

EXPLANATIO.

Perſaepe mihi cogitanti] Narrationem ordiri interdum ſolet a dandi caſu, vt lib. 1. de Orat. *Cogitanti mihi ſaepenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quinte frater, illi videri ſolent, etc.* Et lib. 2. ad Attic. epiſt. 1. *Kal. Iun. eunti mihi Antium, et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, venit obuiam tuus puer.* Et ad eundem epiſt. 16 ibidem: *Cenato mihi, et iam dormitanti, prid. Kal. Mai. epiſtola eſt illa reddita.*

De communibus miſeriis] Afflicta ciuili bello republica.

Tot annos] Initio ſumpto ab eo anno, quo Caeſar primum conſul fuit. leges enim multae contra maiorum inſtituta, contraque libertatem publicam latae ſunt: quod poſtea res ipſa declarauit: itaque ſcripſit Cicero in quadam ad Axium epiſtola, quae non exſtat, ſed a Suetonio nominatur in Iulii vita c. 9. *Caeſarem in conſulatu confirmaſſe regnum, de quo dedilis cogitarat.* Horatius anno ante, id eſt Metello Celere et Afranio coſſ. factum eſſe motum ciuilem ait, lib. 2. Carm. od. 1.

Motum ex Metello conſule ciuicum:

fortaſſe ob eam cauſſam, quia, Metello ipſo conſule in carcerem a Flauio tribuno plebis ducto, ſeditio commota eſt. lib. 2. ad Attic. epiſt. 1. et Dio lib. 37. Dixit igitur Cicero, *tot annos*, ad originem belli ciuilis reſpiciens, non ad primum eius belli annum, quo Lentulus et Marcellus conſules fuere, quadriennio ante, quam haec epiſtola ſcriberetur. nam de hoc tempore, *tot annos*, opinor, non diceret.

Vt video] Spes enim fortunae melioris nulla ſupereſſe videbatur, deuicta iam duobus proeliis Pompeianorum cauſſa, Pharſalico primum, deinde Africano.

Solet in mentem venire illius temporis] Modo cum generandi, modo cum nominandi caſu dixit Cicero, *in mentem venire.* lib. 5. de Fin. c. 1. *Venit mihi Platonis in mentem.* Pro Amerino c. 34. *Venit mihi in mentem oris tui.* At lib. 2. epiſt. 18. *Quae mihi veniebant in mentem.*

Proxime] Anno primo ciuilis belli: vt infra patet, ex mentione conſulum Lentuli et Marcelli. quo modo igitur, *proxime?* cum ſit hic tertius belli ciuilis annus. nimirum, cum ſaepe fuiſſet cum Mario,

proxi-

proxime, dixit de postremo inter eos habito sermone.

Praesto fuisti] Villam et Marius habebat in Pompeiano. epist. 4.

Sollicitum te habebat] Sollicitabat. Sic locutus lib. 2. epist. 16.

Tum officii, tum etiam periculi mei] Hoc explanatur sequentibus verbis.

Si manerem in Italia] Profecto in Graeciam Pompeio.

Officio] Erga rempublicam et Pompeium de me bene meritum.

Vt non explicarem, quid esset optimum factu] Vtilitas enim cum honestate pugnabat. lib. 4. epist. 2. *Si, quid rectissimum sit, quaerimus; perspicuum est: si, quid maxime expediat; obscurum.* Et lib. 5. epist. 19. *Est res profecto maxima, quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est.*

Pudori tamen malui famaeque cedere] Lib. 6. epist. 6. *Vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiaraus, sic ego, prudens et sciens, ad pestem ante oculos positam sum profectus.*

Neque magnas copias] Non magnas, cum Cicero in Graeciam venit; magnas autem postea, coniuncto Scipionis exercitu, et multorum auxiliis. Caesar ipse lib. 3. de bell. ciu. c. 88. in exercitu Pompeii ait fuisse millia LV, praeterea euocatorum circiter duo millia, et cohortes sex. Plutarchus in Caesare, peditum XLV millia in Pompeii numerat exercitu, equitum septem millia. vide illa verba lib 4. epist. 7. *Neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus, probare.*

Neque bellicosas] Tirone et collectitio exercitu. quod infra dicitur, et lib. 4. epist. 7. lib. 10. epist. 24.

Ducem] Pompeium, belli ducem.

Rapaces] Maxime P. Scipio, Pompeii socer, Syriae proconsul: de cuius infinita rapacitate, vide quae scripsit Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 32.

Crudeles] Lib. 4. epist. 14. et lib. 9. epist. 6. et lib. 15 epist 19. et lib. 11. ad Attic. epist. 6.

Aes alienum] Hoc significatur lib. 6. epist. 6. in eo loco: *Qui, duce Pompeio freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant.*

Amplissimorum virorum] Praesertim L. Lentuli consulis, P. Scipionis, Pompeii soceri, Fausti Libonis. de Lentulo Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 4. *Lentulus aeris alieni magnitudine, et spe exercitus, ac prouinciarum, et regum appellandorum largitionibus mouetur.* De tribus reliquis lib. 9. ad Attic. epist. 11.

Praeter caussam] Esse enim in castris Pompeii respublica, et libertas defendi videbatur.

Semper] Etiam ante quam iretur ad arma. lib. 4. epist. 1. et lib. 16. epist. 12.

Valde abhorreret] Vel superbia quadam, qui parem sibi Caesarem ferre non posset: vel quia certam de victoria spem susceperat, confisus exercitum se habiturum multis partibus maiorem exercitu Caesaris.

Quadam ex pugna] Ad Dyrrhachium facta: ex qua Pompeius imperator est appellatus. Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 45.

Nullus imperator fuit] Nihil egit egregio imperatore dignum.

Tirone et collectitio exercitu] Collectitio exercitu belli ciuilis initio. Tusc. 2. c. 16. *Tantum interest inter nouum, et veterem exercitum, quantum experti sumus.*

Robustissimis] Quarum nonnullae per nouem annos in Gallia pugnauerant.

Victus] In Pharsalia.

Turpissime] Vtpote qui et amissis castris, et solus fugerit.

Nec putaui] Eadem in sententia fuit M. Marcellus: ad quem Cicero lib. 4 epist. 7. ita scripsit: *Tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abiecisti certandi etiam cupiditatem.*

Integri] Nondum aduersa pugna fracti: translatio. firmiora enim sunt integra, quam fracta.

Iubam] Mauritaniae regem, ad quem Scipio, Pompeii socer, post Pharsalicum proelium confugit. lib. 9. epist. 6. *Quasi vtilius reipublicae fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quam vel emori, vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen viuere.* Hic est ille Iuba, de quo Caesar triumphavit, eiusque filium, qui postea inter scriptores doctissimos, vt ait Plutarchus, connumeratus est, et ad Caium Augusti filium, teste Plinio lib. 12. c. 14. de Arabiae rebus libros conscripsit, in triumphum duxit, admodum infantem.

Aut capiendus tamquam exsulio locus] Quod M. Marcellus et alii fecere. *Tamquam exsulio*, non proprie exsulio: nam exsules damnati legibus patria carent: qui vero patria caret, sed non legibus damnatus, is non exsul, sed tamquam exsul est. in epistola tamen ad Marcellum lib. 4. 8. dixit, *hunc aptissimum esse etiam ad exsulandum locum:* quasi exsulium sit, adspectu patriae frui non posse. et hic, paullo post, simpliciter exsulium appellauit. *Ex omnibus*, ait, *iis, quae dixi, incommodis, nihil tolerabilius exsulio.*

Aut conscisvenda mors voluntaria] Quod M. Cato, audita Caesaris Africana victoria, Vticae fecit: vnde illi cognomen Vticensi. Conscisce mortem, e sex incommodis vltimum posuit, seruiens videlicet causae suae, qui discesserit ab eo bello, in quo nihil prosperum exspectari posset, aduersa omnia imminerent. alibi tamen praeclaram vocat Catonis mortem, quam sibi ille conscinerat voluntariam. lib. 9. epist. 18.

Nolles, aut non auderes] *Nolles*, quia turpe: *non auderes*, metu potestatis.

Committere] Quod Cicero fecit, statim a pugna Pharsalica in Italiam reuersus.

Praesertim innocenti] Hac de re praeclare disputat in Parad. 4. aduersus Clodium, a quo exsul appellatus erat.

Cum meis] Propinquis et amicis.

Si quidquam] Correctio: quasi omnia plane sint in vnius potestate.

Etiam in meis esse malui] *Etiam*, vim quandam indignationis et doloris habet: quasi dixerit: omnia sunt in vnius potestate, nihil cuiusquam praeterea: hoc tamen cum scirem, in meis esse malui. Particula *in*, seiungere videtur ab illo possessionem, quam tribuebat particula *cum*. nam, *cum meis*, rei possessae

sessae significationem habet: *in meis*, fructum potius, quam possessionem, demonstrat. Venustas non abest: cum meis non ero; quia nihil cuiusquam est: at in meis ero; quod in malis aliquod solatium affert.

Si nulla, tamquam in exsulio] Lib. 4. epist. 8. *Si sit aliqua respublica, in ea te esse oportere, iudicio hominum reque principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse etiam ad exsulandum locum.*

Multae caussae (*caussae* abest in ERN.)] Amissio libertatis, dignitatis, honestatis, amicorum, omnium denique rerum, quae, republica stante, iucundissimae fuerant.

Vetus est enim] A veteribus dicta sententia. lib. 6. epist. 3. *Ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est.*

Sustentem] Litterae sustentant, aberrante animo a dolore, et memoria calamitatum: rerum gestarum gloria solatium affert in miseria, cum recordamur, non omnia tamen erepta nobis esse, manere gloriam, mansuramque post obitum etiam, ab omni tutam iniuria.

Mihi viuo numquam] Morbo tantum, perturbata memoria, viuis eripi scientia potest: manente memoria, non potest.

Tum reipublicae] Cuius consulebam saluti, cum pacem suadebam.

Quemquam] Aut Caesarem, aut quemuis alium. lib. 5. epist. vlt. *Ego sum, qui nullius vim plus valere volui, quam honestum otium.*

Alicuius culpa] Pompeius notatur: cuius affinitate Caesar, quae voluit, pro sua potentia consecutus est. quod saepe queritur Cicero in epistolis ad Atticum, et hic lib. 6. epist. 1. et 6. et Coelius lib. 8. epist. 14. et omnes historici.

Vnus] Quis hoc de Caesare dici non videt?

Vt obsisti non posset] Quis enim obsisteret habenti robustissimas legiones, nec petenti, nisi quod iam ei, latis legibus, populus concesserat? vt etiam honestae caussae speciem quandam ostenderet.

Me voluisse etiam reliquis omnibus] Ita hunc locum distinximus, qui antea male distinctus erat.

Reliquis omnibus] Facere finem belli. pacem enim, victo Pompeio, suasi: qua non probata, vsus ipse meo consilio sum. lib. 9. epist. 6. *Erant nobis perirati, quasi quidquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus.*

Rhodum, aut Mitylenas] Quo se, tamquam ad liberas ciuitates, nonnulli ex Pharsalico proelio, qui se victori nollent, aut non auderent committere, contulerunt. lib. 4. epist. 7.

Sed, quia longius fiebat] Lib. 9. epist. 8. *Sed, cum tu tardius faceres.*

Vituperatores meos] Crimini dabant, quod a bello discessisset. Eodem modo *amatorem tuum*, dixit lib. 9. epist. 15.

Cum meus interitus nihil fuerit reipublicae profuturus] Hoc interponit, vt suspicionem timoris auertat; ne videatur ob viuendi cupiditatem boni ciuis officio defuisse. Mortem, inquit, non timui: sed, cum ea nihil esset reipublicae profutura, mori cur mallem, quam viuere?

Si me audiſſent] Pacem ſuadentem. ſupra, et lib. 4. epiſt. 1. et lib. 6. epiſt. 21.

Quamuis iniqua pace] Lib. 6. epiſt 6. *Cum vel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem.*

Honeſte tamen viuerent] Hoc dicit, ne quis obiiciat, eum turpiter viuere. non enim ſatis fuit, oſtendere, nihil reipublicae mortem ſuam fuiſſe profuturam: ſed vitam quoque ipſam nulla cum turpitudine coniunctam demonſtrat.

Non caduſſi] Honeſte igitur vivit, quicumque bene ſentit; nec honeſtatem vel afferunt arma, vel cripiunt.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Praemonet Marium de aduentu ſuo in Pompeianum. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Cum Libone] Scriboniae gentis, plebeiae.

Tuo, vel noſtro potius] Similis loquendi modus lib. 9. epiſt 2. *Canius tuus idem, et idem noſter.*

In Pompeianum] Villam ſuam, prope opidum Pompeios.

Faciam ante te certiorem] Erat enim et Marius in Pompeiano ſuo.

Hic] In vicinis praediis, vteſque enim villas habebat in Pompeiano. lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 10. *Illorum praediorum ſcito mihi vicinum Marium, lupien eſſe.*

Vides] Ideo vides, quia Pompeianum prope Cumanum eſt. lib. 4. ad Attic. epiſt. 9. et lib. 5. ad eundem epiſt. 2.

Quanto poſt] Diſſentio ab iis, qui, *multo poſt*, ſignificari putant: nam ſe breui cum eo futurum, in extrema epiſtola Cicero demonſtrat.

Si quod conſtitutum] Libri aliquot veteres habent, *ſi quid;* alii tamen, *ſi quod.* quos ſequor. nam, *conſtitutum*, tranſiit in naturam nominis: vt lib. 12. ad Attic. epiſt. 1. *V. Kal. igitur ad conſtitutum.* Et pro Caecina c. 12. *Qui ad conſtitutum experiundi iuris gratia veniſſent.* Et pro Coelio c. 8. *Cum ſit his confitendum, numquam ſe, ne congreſſu quidem et conſtituto coepiſſe de tantis iniuriis experiri.* Apparet, verbum iuris eſſe. Si tu, inquit, curare podagram his diebus conſtituiſti; differ in alium diem, vt interea ſimul cenare aliquanto hilarius poſſimus.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

C. Trebatium Teſtam, iurisconſultum, familiarem ſuum, commendat C. Caeſari, Galliarum proconſuli. Scripta Domitio et Appio coſſ. quod ex lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 14. intelligitur.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Vide, quam mihi perſuaſerim] Facilius impetratur, impetrandi ſpe propoſita. parit enim benevolentiam humanitatis commemoratio. quo hic artificio vtitur Cicero.

Quocumque exirem] Legatione non frumentaria, vt nonnulli putarunt, ſed Hiſpanienſi, cum Pompeio proconſule: cui lege Trebonia, vt omnes hiſtoriae narrant, vtriusque Hiſpaniae adminiſtratio in quinquennium demandata erat.

Commoratio] Ad vrbem. numquam enim Pompeius iuit in provinciam: quae belli ciuilis origo fuit. lib. 6. epiſt. 6. *Eundum in Hiſpaniam cenſui: quod ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet.* Hic autem de curatione frumentaria qui poteſt intelligi, cum ea iam ante biennium demandata Pompeio eſſet; nec ea res tam diuturnam Pompeii commorationem ferret? quin etiam, frumenti comparandi cauſſa, iuit Pompeius in Sardiniam et Africam, Marcellino et Philippo coſſ. vt lib. 1. epiſt. 9. demonſtrat. at haec ad Caeſarem, ſcripta biennio poſt, nondum ab vrbe Pompeium diſceſſiſſe oſtendit. praeterea epiſt. 17. eandem manifeſte rem attingens, ait: *quoad opinatus ſum, me in prouinciam exiturum.* Ire in prouinciam non opinor diceret, ſi ad frumentariam curationem iturus eſſet.

Dubitatio] Verebatur, ne Clodius abſenti negotium faceſſeret. Eadem legatio ſignificatur lib. 5. ad Attic. epiſt. vlt. et lib. 3. ad Q. Fr. epiſt. 1.

Exſpectare a te, quae ſperaſſet a me] Plus eſt *exſpectare*, quam *ſperare*. nam in ſpe dubitatio videtur ineſſe aliqua, in exſpectatione nulla. parem igitur ſibi, quod ad iuuandi Trebatii voluntatem attinet, Cicero Caeſarem facit: ſic enim exorſus eſt epiſtolam: *Vide, quam mihi perſuaſerim, te eſſe alterum me:* ſuperiorem autem in opibus agnoſcit, quia longe maiorem, cum vtramque Galliam proconſul adminiſtraret, ornandi augendique Trebatii facultatem haberet.

Prolixe] Liberaliter. lib. 3. epiſt. 8. prolixam beneficamque Appii naturam vocat.

Mirificus] *Mirificus, mirus, mirandus, admirandus, mirabilis, admirabilis*, ſynonyma ſunt.

Quaſi] Quia, quod hominum eſt, ad caſum transtulit, ideo, *quaſi*, dixit.

Teſtis opinionis meae] Cuius teſtimonio comprobaretur id, quod ego de te exiſtimaram.

Sponſor humanitatis tuae] Cui, tamquam ſponſori, de tua credendum humanitate videretur.

Cum Balbo noſtro] Hic eſt L. Cornelius Balbus, Gaditanus, Caeſaris et Ciceronis amiciſſimus, pro quo exſtat oratio. peruenit Caeſaris beneficio ad maximas diuitias, et conſulatum poſtremo eſt adeptus. Plinius lib. 7. c. 43.

M. Orfium ERN. *M. Irfium*] Antiquos libros inſpexi multos. alii habent, *M. Irfium:* alii, *M. Iffium:* alii, *Mirfium:* alii, *Idfium:* quidam, m. v. *Finium.* nonnulli, *M. Ilfinium:* vel, *M. Itifium:* vel, *M. Infium:* vel, *M. Infinium:* vel, *M. Lifium:* vel, *M Rufum:* alii aliter: nullus, *Orfium:* quod ta-

men nonnullis placuit, opinantibus eum esse, de quo lib. 2. ad Q. Fr. epist. 14. fit mentio, qua de re scripsi olim, tempora non congruere: nam hunc, qui nominatur in hac epistola, iuisse ad Caesarem, constat, ante Trebatium, illum autem post; cum in ea sit epistola in extremo, *Trebatium vt valde ames, vehementer te rogo.* Hic a coniectura subsidium quaerunt; et aiunt posse fieri, vt Orfius in Galliam antea sit profectus; deinde, sui negotii caussa, vel ab ipso Caesare missus, Romam venerit; vnde cum litteris Ciceronis ad Q. fratrem in Galliam redierit. haec facile possunt excogitari: sed nihil cogimur credere, nisi quod ratio persuadeat. nam illa verba, quae sunt in ea ad Q. Fr. epistola, *est tribunus militum in exercitu vestro*, mihi quidem argumentum afferre non videntur, cur ille Orfius antea fuerit in exercitu Caesaris. fortasse etiam contrarium significant. nam si fuerat antea tribunus militum in exercitu Caesaris: cur, quasi de homine ignoto, scriberet ad fratrem Cicero, *est tribunus militum in exercitu vestro?* quis putet a legato legionis Quinto ignoratum esse tribunum militum cuiuscumque legionis? Dicit igitur Cicero, vt opinor, hoc: venit ad Caesarem tribunus militum creatus. Non enim soli imperatores tribunos militum creabant, vt iidem credunt; sed ea potestas populi quoque fuit. *Tribunorum militarium*, inquit Asconius in Act. 1. in Ver. c. 10. *duo sunt genera; primum eorum, qui Rufuli dicuntur; hi in exercitu creari solent. alii sunt Comitiati, qui Romae comitiis designantur.* Idem legitur apud Festum. idem et a Liuio lib. 9. c. 30. significatur. Erat igitur Orfius e comitiatis. quo refellitur illud argumentum: non potuisse Ciceronem diuinare tribunum militum Orfium a Caesare creatum iri: itaque antea creatum esse, et in exercitu fuisse.

Vel regem Galliae faciam] Hoc non faciam, ergo id, quod cupis. Modus loquendi, cum vel hoc, vel illud promittentes, alterutrum nos facturos esse, credi volumus. excluditur enim difficilius.

Leptae delega] Video scriptum esse, *dilegam*, in quattuor antiquis libris, in aliis omnibus, *delega*. vtroque modo locus, vt arbitror, mendo non vacat: nec ipse mihi in coniectura satisfacio.

Sustulimus manus] Ob admirationem. manus enim tollere consueuimus, aliquid admirantes. lib. 4. Acad. c. 19. *Hortensius vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, vt etiam manus saepe tolleret.* Catullus carm. 53.

Admirans ait haec, manusque tollens:
Di magni, Salicippium disertum!

Nescio quod ERN. *Nescio quid*] Sic malo, quam *nescio quod:* idque videtur vsus postulare Latinae linguae. vtrumque habent veteres libri.

Non fortuitum, sed diuinum] Fortuitis diuina praestant. nam, quae a fortuna sunt, ratione carent. Deus autem summa ratio est. Non igitur casu, inquit, accidisse videbatur, vt eo tempore litterae mihi abs te darentur, cum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loque-

loquerer; sed ita, Deo volente, factum, vt opinio mea de tua erga me voluntate confirmaretur.

Inuitatu tuo] *Inuitatus, inuitatio; permissus, permissio; concessus, concessio; consensus, consensio; discessus, discessio;* aliaque similiter dicuntur.

Per me] Non propter me; (non enim se ponit vt caussam, quo spectetur) sed, mea opera et commendatione; vt sit ipse caussa efficiens. Sic lib. 13. epist. 8. *Magna me affeceris non modo laetitia, sed etiam quodammodo gloria, si P. Sextius homini maxime necessario satisfecerit per me, vt ego illi vni plurimum debeam.*

In meos] Non modo propinqui, sed amici etiam significantur. lib. 16. epist. 11. de Curione non propinquo dixit: *Curio meus illum incitabat.* et epist 3. de solis propinquis non scripsit illud: *Ego cum meis (si quidquam nunc cuiusquam est) etiam in meis esse malui.*

Spondeo] Ita promitto, vt me sponsorem constituam, et in me ipsum recipiam, si secus acciderit. lib. 1. ad Attic. epist. 8. *Tulliola, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat, et me, vt sponsorem, appellat. mihi autem abiurare certius est, quam dependere.* Sponsor, praes, vas, in quo differant, ostendit Varro lib. 5. de L. L.

Vetere verbo meo] Quo antea vsus eram in Milone commendando. Cum infra videam subiungi, *sed more Romano;* et, *more Romano commendare,* sit exquisite laudare, et praestanti quodam vti genere commendationis: quod hic locus demonstrat; et ille in epist. 18. *Ego te Balbo, cum ad vos proficiscetur, more Romano commendabo:* facile possum coniicere, frigidum fuisse verbum illud Ciceronis, quod scriptum de Milone Caesar luserat. itaque sequitur minime frigida laudatio, *probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem.*

De Milone] Hoc anno P. Clodium nondum occiderat Milo. qua porro in caussa eum Caesari Cicero commendauerit, suspicari difficile est. in magistratus petitione, non puto. nam praeturam non petiit Milo; sed, ea omissa, consulatum petiit Caluino et Messalla coss. cum aedilitatem gessisset biennio post tribunatum, id est, Pompeio et Crasso iterum coss. fortasse igitur Milonem in aliqua contentione, quae illi cum Clodio esset, eum Cicero commendauit. nam Caesar, licet absens, gratia et opibus in vrbe plurimum valebat.

More Romano] Grauissime. epist. 17. *Sic ei te commendaui et tradidi, vt grauissime diligentissimeque potui.* Epist. 18. *Ego te Balbo, cum ad vos proficiscetur, more Romano commendabo.*

Quomodo homines non inepti loquuntur] Ineptorum igitur hominum est, frigide laudare: siquidem non inepti exquisite laudant.

Probiorem hominem, meliorem virum] Coniuncta notentur: *probus homo, bonus vir,* potius, quam, *bonus homo, probus vir.*

Pudentiorem] Epist. 7. *Multum te in eo frater adiuuabit meus, multum Balbus: sed, mihi crede, tuus pudor et labor plurimum.*

Quod familiam ducit in iure ciuili, ERN. *Quod familiam ducit*] Hoc non ad ipsum Trebatium re-

fero; vt dicatur, suos habere sectatores; verum ad eius excellentem in iure ciuili memoriam atque scientiam. cum enim laudare Trebatium Cicero coepisset, adiunxit ea, quae in eius laudibus ita prima sunt, vt quasi familiam ducere et excellere videantur. laudatur enim, et necessaria in primis est, in iurisconsulto memoria; sine qua scientia non consistit: nec tamen memoria sola laudem habet, sed ita, si cum intelligentia coniungatur: ex vtraque enim fit scientia. itaque post memoriam adiunxit Cicero scientiam, vt optimum iurisconsultum describeret. Quod ad loquendi genus attinet, confirmatur exemplo lib. 4. de Fin. c. 16. *Primum*, inquit, *illud vide, grauissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum: honesteque viuere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in vna virtute constituunt finem bonorum.* Et Phil. 5. c. 11. *Lucius frater eius, vtpote qui peregre depugnauit, familiam ducit.* Translatio ab iis, qui ceteros ducunt, quia potestate, aut honore, scientiaue antecellunt.

In iure ciuili singularis memoria] Necessariam esse iurisconsultis memoriam, et eorum maxime propriam, ostendit lib. 1. de Orat. c. 28. cum ait: *In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus.*

Tribunatum] Militum. qui, post consulem et legatos, honor in castris erat maximus, et post eum praefectura equitum, de qua sequitur mentio. vide quae de tribunis militum diximus lib. 5. epist. 20.

Certum nomen] Modestiam servat, quia nihil petit nominatim: et plus tamen petit, quam si nominatim peteret: quia nihil est, quod a Caesaris beneuolentia et liberalitate exspectari non possit.

Peto] Repetit hoc verbum elegantiae caussa, similiter vt lib. 5. ad Attic. epist. 15. *Denique haec non desidero; lucem, forum, vrbem, domum, vos desidero.*

Gloriolae] Quasi non omnino verae ac solidae gloriae sint insignia vel tribunatus, vel praefectura, sed aliquam tamen gloriae imaginem habeant.

De manu, vt aiunt, in manum tuam istam] Curam suam et cupiditatem ornandi Trebatii significat; quia, non contentus eo, quod dixerat, *mitto ad te Trebatium*, subiungit, *totum hominem tibi trado*: plus est enim *tradere*, quam *mittere*. idque etiam atque etiam magis exprimitur hoc addito, *de manu, vt aiunt, in manum tuam.* quod vero intulit, *istam*, ex laude Caesaris beneuolentiam quaerit: quod ipsum Trebatii caussa facit. Ingeniose autem, quia dixerat, *in manum tuam*, de victoria et fide subiunxit; manus enim et victoriam parit, et fidem promittit. quod vtrumque ostenditur in orat. pro Deiot. c. 3. *Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, et in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem.* Terentius de fide, in Andr. Act. 1. Sc. 5. v. 54.

Quod ego te per hanc dextram
oro, et ingenium tuum.

Nec

Nec ab re fides hic in Caesare laudatur: sed exigitur quodam modo, vt quem ad se mitti voluerit, eum pro sua fide tractet. scripserat enim, *si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem.*

Simus ERN. *Sumus enim putidiusculi*] Excusat se, quod in Trebatio commendando plura verba consumpserit, quam Caesaris humanitas patiatur. *Putidum* appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, vt lib. 3. de Orat. c. 11. *Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari diligentius.* Et lib. 1. de Offic. c. 37. *Litterae neque expressae, neque oppressae, ne aut obscurum esset, aut putidum.* Vidi scriptum in quibusdam antiquis libris, *blandiusculi:* sed in plerisque, *putidiusculi:* quod magis probo. et fortasse, *blandiusculi*, glossema fuit.

Quamquam ERN. *Quam per te vix licet*] Non vis me tam diligentem esse in eo commendando, quem et scis diligi a me non mediocriter, et vides mitti ad te invitatu etiam tuo. dicit autem, *vix licet:* quod quasi medium est inter *licet*, et, *non licet.* ita excusat suam diligentiam, et eam tamen parum necessariam ostendit.

Verum, vt video, licebit] Accipies in bonam partem officium meum: non tibi molestiam afferet haec nostra, quamuis nimia, in Trebatio commendando diligentia.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Trebatium, desiderium vrbis vix ferentem, hortatur, vt vrbis vrbanitatisque curam et memoriam, quasi quasdam ineptias, abiiciat; operamque det, vt, quod ei ab vrbe discedenti propositum fuerat, id assiduitate et virtute consequatur. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Legitima] Vsitata, vt quae lege fiunt.

Cum aliquo insigni indicio meae erga te beneuolentiae] Id, *more Romano commendare*, dicitur epist. 5. et 18.

Vrbanitatis] Hic *vrbanitas* non est virtus, sed pro rebus vrbanis accipitur, quarum desiderio Trebatius flagrare se significauerat. epist. 17. *Mihi interdum leuis in vrbis vrbanitatisque desiderio videbare.*

Quo consilio profectus es] Profectus erat eo consilio, vt beneuolentiam Caesaris assiduitate et virtute adipisceretur.

Medeae] Hunc locum vir excellentis ingenii Angelus Politianus primus illustrauit. nam illud, *quae Corinthum arcem altam habebant;* et *matronae opulentae optimates;* et quae sequuntur, recte vidit ex Ennio poeta, verborum ordine nonnihil immutato, esse sumpta. Graecos etiam versus Euripidis, (in Medea 214. seqq. ab Ennio conuersos, adduxit: quos hic subscribere visum est.

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
Μή μοί τι μέμψησθ'. οἶδα γὰρ πολλὰς βροτῶν

Σεμνὰς

Σεμνὰς γεγῶτας, τὰς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τὰς δ' ἐν θυραίοις. οἱ δ' ἀφ' ἡσύχω ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο, καὶ ῥαθυμίαν.

Corinthum arcem altam] Vrbs ipsa, Achaiae caput, quam cepit euertitque L. Mummius, Corinthus dicta, arx vero Acrocorinthus; quod editiore loco exstructa immineret vrbi. hic tamen eodem, quo vrbs, nomine appellatur; quia scilicet pars vrbis est arx; et potest, quod in toto, idem in parte nomen vsurpari. Medeam cum viro suo Iasone Corinthum exsulem deuenisse, demonstrat hic locus; et ex ipsa, quae exstat, Euripidis tragoedia cognoscitur. habitasse ibi diutius, Pindari significat interpres. nam, ἐν τῷ εἴδει ιγ τῶν Ὀλυμπ. vbi Xenophon Corinthius laudatur, ad illa verba v. 74. καὶ τὰν πατρὸς ἀντία Μήδειαν θεμένα τὸν γάμον αὐτᾷ, interpres haec affert: Μηδείας μέμνηται, ὅτι ἐν Κορίνθῳ κατῴκει, καὶ ἔπαυσε Κορινθίους λιμῷ κατεχομένους, θύσασα Δήμητρι, καὶ νύμφαις Λιμνίαις. Alia quoque, vt Pindari verba explanet, adducit idem interpres, vt solet obscuris in locis esse varius: verum ea referri ad exsulem Medeam, de qua hic sermo est, mihi non videntur. nam Euripides, et eum secutus Ennius, veniisse Corinthum Medeam exsulem, ostendunt: interpres autem ille, Corinthum, Aeaetae, Medeae patris, fuisse patriam ait, ideoque in laudibus Corinthi Medeam nominari. quod ego absurdum puto. Plutarchus etiam in Theseo, veniisse Medeam Corintho Athenas, auctor est.

Habebant] Pro, *habitabant*. Plautus in Bacch. Act. 1. Sc. 2. v. 6. *Quis istic habet?* Et Varro lib. 4. de L. L. *Cispius mons, vbi aeditumus habere solet.* Et L. 12. D. de seru. praed. vrban. *Quidam Iberus, qui habet post horrea mea.*

Optimates] Nobiles, principum virorum vxores. *Optimatem* Cicero describit in orat. pro Sextio c. 45. qui se ita gerit, vt sua consilia optimo cuique probet; quique nec natura improbus est, nec furiosus, nec malis domesticis impeditus. hic propter opes et claritatem familiae dicuntur *optimates*.

Manibus gypsatissimis] Verbum opinor Ennianum, pro *candidissimis*. nam Ciceronem ita locutum, numquam crediderim. in hac quidem, quae exstat, Euripidis Medea gypsatarum manuum nulla mentio.

Ne sibi vitio illae verterent, quod abesset a patria] Quaerit excusationem apud mulieres Corinthias Medea, quod egressa domo sit, id est, quod patriam reliquerit. id enim sequentes duo versus indicant. vtrum autem Euripidis verba, vnde hoc Ennius transtulit, id ipsum significent, an errauerit Ennius, et eum secutus Cicero; dubitari fortasse potest, e doctorum hominum sententia. nos tamen, qui Ciceronem interpretamur, disputare de Euripidis mente non debemus: illud quidem, ἐξῆλθον δόμων, de patria, non de priuatis aedibus, Ciceronem intellexisse, satis constat: quemadmodum et epist. 5. *Vt eum, meis omnibus studiis, beneficiis quam ornatissimum, domum reducerem.* Et epist. 17. *Domum redire properabas.* Et epist. 30. *Te nec hortor, nec rogo, vt domum redeas.* Iam illud, *domi forisque, domi militiaeque*, quam saepe

saepe dicatur, omnes norunt. Nec sane video, si, ἐξηλθον δόμων, de privatis aedibus accipiatur; cur mulieres Corinthias Medea rogaret, vt sibi ignoscerent, quia prodiissent; cum earum nomine, vt prodiret, rogata iam esset. Apte vero dicitur: ne mihi vitio detis, quod ex patria discessi: quando, idem qui fecere, multi gloriam sunt assecuti. vt verbum σεμνὸς, Ennius verterit, *qui rem suam et publicam bene gessere:* recte fortasse: cum σεμνὸν, tam ad laudem, quam ad infamiam referatur: vt exempla, non modo quae Suidas collegit, verum alia quoque non pauca demonstrant. nam, quod in hoc ipso Euripidis loco, σεμνὸς, idem Suidas accepit pro ὑπερηφάνους, id est, arrogantes: equidem, quod ad me attinet, sequor libentius veterem poetam Ennium, quam recentiorem Grammaticum Suidam: cum praesertim Cicero noster, qui Euripidis verba et videre potuit, et, opinor, vidit, Ennii sententiam probauerit.

Nam multi suam rem — sunt improbati] Duo videntur esse versus: nec tamen, quae mensura sit, apparet. itaque vir acuti ingenii distinguendum ita censuit:

—— Nam multi suam
Rem bene gessere, et publicam
patria procul:
Multi, domi qui aetatem egerunt, propterea
Sunt improbati. ——

in quo assentirer, nisi viderem scriptum esse in omnibus antiquis libris, *qui domi aetatem agerent;* non, *domi qui aetatem egerunt.* itaque tentare volui, an alia sit probabilior, id est ab antiquis libris minime dissentiens, distinguendi ratio. occurrit autem haec:

Nam multi suam rem bene gessere, et publicam
Patria procul: multi, qui domi aetatem age-
Rent, propterea sunt improbati.

Primi versus pes secundus, *ti suam,* spondeus est, more satis noto, ex tragicorum comicorumque consuetudine. in secundo versu extremam syllabam transfero ad mensuram tertii: quemadmodum dixit Virgilius lib. 1. Georg. v. 295.

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis vndam trepidi despumat aheni.

translata ad sequentem versum postrema syllaba. et Catullus carm. 40.

Quaenam te mala mens, miselle Rauide,
Agit praecipitem in meos iambos?

Et Horatius lib. 1. Carm. od. 2. v. 18.

—— Vagus et sinistra
Labitur ripa (Ioue non probante)
Vxorius amnis:

cum primam syllabam, *V*, transferri necesse sit ad superiorem versum: quod apud comicos ac tragicos, quorum est maior licentia, vsitatum fuisse, negari non potest. Nam illud in eodem versu, *qui domi*, dactylum esse, nemo, opinor, ignorat: licet in verbo, *domi*, secunda syllaba produci soleat. hic enim idem accidit, quod in illo Virgilii ecl. 8. v. 108.

Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

quo

quo loco non modo omittitur synaloephe, verum etiam quae sua natura producitur syllaba, ob sequentem posterioris verbi vocalem contrahitur; et fit dactylus, *an qui a.* Sic idem poeta lib. 1. Georg. v. 281.

Conati ter sunt imponere Pelio Ossam.

Et lib. 5. Aen. v. 261.

Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.

Et lib. 6. v. 507.

Nomen et arma locum seruant: te, amice, nequiui
Conspicere. ——

Antiquior etiam poeta Lucretius lib. 5. v. 75. dixit:

Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur.

Nec simplices modo vocales, sed diphthongi quoque naturam mutant, vt lib. 4. Georg. v. 461.

—— *Flerunt Rhodopeiae arces.*

Et lib. 3. Aen. v. 211.

Insulae Ionio in magno. ——

Ceteris cauere] Cum iurisconsultus sis: iurisconsultorum enim est, aliis cauere. Idem iocus epist. 10. *In re militari multo es cautior, quam in aduocationibus.* Et lib. 3. epist. 1. *L. Valerium, iureconsultum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est iurisconsultus. Melius enim ei cauere volo, quam ipse aliis solet.* Et ad eundem Trebatium Topic. c. 1. *Cum tu mihi meisque multa saepe cautisses.* Et lib. 2. de Offic. c. 19. *In iure cauere, consilio iuuare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet, et ad gratiam.*

Didicisti] A legibus, et iure ciuili.

In Britannia] Iuisse Trebatium, vel iturum cum Caesare in Britanniam, Cicero arbitrabatur. non iuisse constat ex epist. 10. et 14.

Ab essedariis] Iis, qui pugnant ex essedis. epistola sequenti: *Essedum aliquod suadeo capias.* Epist. 10. *Neque spectare essedarios.* Et Caesar de Britannis ita loquitur lib. 5. de bell. Gall. c. 9. *Ii equitatu, atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore nostros prohibere, et proelium committere coeperunt.* Et paullo post c. 15. *Equites hostium essedariique acriter proelio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt.* Videntur et apud Belgas esseda fuisse. Virgilius lib. 3. Georg. v. 204.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Romae quoque, vt peregrina per luxum saepe amamus, essedo vtebantur ditiores. Phil. 2. c. 24. *Vehebatur in essedo tribunus plebis.*

Decipiaris] Turpe est iurisconsulto decipi; cum ipse, ne alii decipiantur, sua scientia praestare soleat. caue igitur, ne te laedant.

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, (non quit ERN.*) nequidquam sapit*] Quaerendum est, cuius poetae Latini sit hic versus, ex quo poeta Graeco translatus, ex qua fabula. Versus est Ennii. dixit enim Cicero lib. 3. de Offic. c. 15. *Haec est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. ex quo Ennius, nequidquam sapere sapientem, qui sibi ipsi prodesse nequiret.* Graecum autem Euripidis versum conuertit Ennius, recitatum a Cicerone in epistola ad Caesarem lib. 13. 15.

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Ex

Ex Medea tragoedia sumptam esse hanc sententiam, quis dubitet? cum dicat Cicero: *et, quando Medeam agere coepi, illud semper memento: Qui ipse sibi, etc.* Nunc scrupulus remanet, sane molestus et difficilis. nam in has, quae exstat, Euripidis Medea non reperitur hic versus: vt necesse omnino videatur, vel ex altera eiusdem Euripidis Medea sumptum esse, vel duos Euripides fuisse, qui Medeam conscripserint. Duas fuisse eiusdem Euripidis Medeas diserte nemo dixit, quod equidem sciam: contra, potius vnam fuisse, ostendit Suidas, cum de Nephrone ait: ἔ φασιν εἶναι Εὐριπίδου Μήδειαν. Praeterea, si duas idem scripsisset, notasset vtramque inscriptione diuersa, vt in Iphigenia fecit, et Sophocles in Oedipo, Aeschylus etiam in Prometheo. Interpres etiam Aristophanis in eo loco eius comoediae, quae inscribitur, Εἰρήνη, v. 1012. Εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας: Ὀλόμαν, ὀλόμαν ἀποχειρωθείς: vnam videtur legisse Euripidis Medeam, quae exstat. subiungit enim: Μήποτε ἐκ τῆς Εὐριπίδου Μηδείας παραγράφει ἐκεῖναι. ὦ δύστηνος ἐγώ, μελέα τε πόνων, πῶς ἂν ὀλοίμαν; Rursus, oritur coniectura de duabus non modo, quia non est, vt dixi, versus hic in ea, quae nunc est in manibus, Medea; sed etiam quia Stobaeus Euripidem bis appellat in Medea, recitatque versus, qui ab hac absunt tragoedia, quam nouimus, quos etiam subscribam:

Πόλλ' ἐν κακοῖσι θυμὸς εὐνηθεὶς δρᾷ,
Μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσι.

Et alio loco:

Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις
Πλείω πορίζει φίλτρα τῶ φύσαι τέκνα.

Latini quoque veteres Grammatici modo Ennii Medeam simpliciter, modo Medeam Exsulem appellant. in quo quaerendum, si sunt duae Medeae, vtra sit, quae vocatur *Exsul*. Sane Nonii testimonio Exsul videtur ea, quam ab Euripide scriptam habemus. quis enim non videt, duos illos versus,

Antiqua, herilis, fida custos corporis,
Quid sic ante aedes exanimata eliminas?

quos ex Ennii Medea Exsule recitat Nonius, ex illo Euripidis loco v. 49. translatos esse?

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,
Τί πρὸς πύλαισι τὴν δ' ἄγυδ' ἐρημίαν,
Ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά.

Ecce aliud eiusdem Nonii de Medea Exsule, ab Ennio conscripta, testimonium:

Nam ter sub armis malim vitam cernere,
Quam semel modo parere.

Eadem sententia legitur in Euripide v. 250. his elata verbis:

Τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Accedit Probus, et Eclogarum Virgilii antiquissimus, et idem eruditissimus interpres. is ex Ennii Exsule Medea adducit hos versus:

Iuppiter, tuque adeo summe Sol, qui res omnes inspicis,
Quique tuo lumine mare, terram, ac caelum contines, inspice

Hoc

Hoc facinus: priusquam fiat, prohibe scelus.

Quod ex Euripide v. 1252. mutatione quadam, Ennio vsitata, conuersum est: ait enim chorus:

Ἰὼ γᾶ τε, καὶ παμφαὴς ἀκτὶς
Ἀελίου, κατείδετε, εἴδετε τὰν
Ὀλομέναν γυναῖκα, πρὶν φονίαν
Τέκνοις προσβαλεῖν χέρ' αὐτοκτόνον.

Praeterea videtur Iason post interfectum a filiabus, fraude Medeae, Peliam, Thessaliae regem, Corinthum vna cum Medea profugisse, ibique al quandiu, tamquam exsulem vixisse. atque ipse querenti Medeae, quod, se repudiata, Glaucam, Creontis filiam Corinthii regis, duxisset vxorem, factum suum excusat his verbis:

Τί τῶδ' ἂν εὕρημ' εὖρον εὐτυχέστερον,
Ἢ παῖδα γῆμαι βασιλέως, φυγὰς γεγώς.

Medeae quoque nutrix, initio fabulae v. 11. exsulium herae suae nominat, haec dicens:

Ἀνδάνουσα μὲν
Φυγῇ πολιτῶν, ὧν ἀφίκετο χθόνα.

Et alibi. Argumentum igitur Medeae, quae exstat, post ipsius Medeae fugam ex Thessalia, natum videtur, vt exsul vere nuncupari possit. Quod si haec Euripidis Medea, quam omnes norunt, Exsul est: cur eadem non vocatur Exsul a Donato et Prisciano, versus illos ex Ennii Medea recitantibus?

Vtinam, ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.

et quae sequuntur. Qui versus hanc aggredientibus legere occurrunt primi. Et apud Nonium appellatur Ennius in Medea, Exsulis cognomine praetermisso: verbaque illa ipsius Medeae subiunguntur suos liberos ad complexum inuitantis:

Saluete, optima corpora: certe manus vestras, measque accipite.

Quem locum ex illo Euripidis v. 1070. conuersum esse, licet non plane Graecis Latina respondeant, satis liquet:

Προσειπεῖν βούλομαι· δότ' ὦ τέκνα,
Δότ', ἀσπάσασθε, μητρὶ δεξιὰν χέρα.

Quare in Exsulis Medeae cognomine, modo addito, modo omisso, cum tamen eadem tragoedia significetur, valde conturbor. Quod si obscura difficilique in re sententiam licet dicere: crediderim omnino, duas fuisse, quas conuertit Ennius, Graece scriptas Medeas, non ab eodem Euripide, vt satis iam videor probasse; sed vnam ab Euripide maiore, quae exstat, alteram ab Euripide minore, qui ex maioris fratre natus est. nam Suidas haec prodidit: Εὐριπίδης, τραγικὸς, τῷ πρωτικὸς, τῷ πρωτέρῳ ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν χρονικοῖς. δράματα αὐτοῦ ταῦτα, Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη. Et Cicero, cum illum versum Μισῶ σοφιστὴν, tribuit Euripidi, de posteriore alterius Euripidis Medea, quae desideratur, locutus est: quam cum videret, Euripidis nomine inscriptam, non quaesiuit homo, ad maiora natus, duone, an vnus fuisset Euripides; et vtrum, quae tunc erant duae Medeae, ab vno maiore Euripide, an a duobus factae essent: satis habuit, Euripidem nominare, cuius erat ille versus. Sunt igitur duae Medeae Graece scriptae, quarum alteram habemus integram: ex altera, quae amissa est, versus

versus quosdam, praeter proxime nominatum, ponit Stobaeus: duae item Latinae, vtraque ab Ennio conuersa; quarum ex priore sunt illi versus:

Nam multi suam rem bene gessere, et publicam patria procul,
Multi, qui domi aetatem agerent, propterea sunt improbati.

et illi,

Vtinam, ne in nemore Pelio:

et quos praeterea iam recitaui: qui reperiuntur omnes in Euripidis Graeca peruulgata. Ex posteriore autem, praeter illum,

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequidquam sapit;

qui de Graeca, quam nobis ademit temporis iniuria, translatus est, alii quoque sunt, vt ille apud Varronem et Diomedem,

Quis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine?

et ille, quem idem Varro ponit,

Contempla, et Cereris templum ad laeuam adspice.

et qui est in Nonio,

Sol qui candentem in caelo sublimat facem.

et qui apud eundem:

Vtinam, ne vmquam me de cordis cupido corde pedem extulisse.

et alio loco:

Fructus verborum aures aucupauit.

Item alibi:

Adsta, atque Athenas, antiquum, opulentum opidum, contempla.

Qui versus cum in Ennii Medea nominentur, ab hac tamen Medea Graeca, quae integra legitur, absunt omnes. Hic posset aliquis credere, vnam ab Ennio Medeam de Graeco in Latinum sermonem translatam, alteram vero ab ipso confictam; idcoque versus illos non reperiri in Graeca, quae hodie in manibus est. Infirmat hanc opinionem illa ratio, quod is Ennii versus,

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequidquam sapit,

tamquam versus Euripidis agnoscitur a Cicerone, vt supra docuimus. Medeam praeterea scripsere inter Graecos Euphorion et Sophocles: de quibus Aristophanes Grammaticus, πρῶτος, inquit, Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Scripsit et Neophron; ex qua luculentos admodum versus, ex persona interfecturae filios Medeae, recitat Stobaeus: item Melanthius, vt interpres Aristophanis demonstrat. De Latinis autem, praeter Ennium, Attius Medeam fecit, secutus fortasse Euphorionem, aut Sophoclem, aut Neophronem, aut minorem etiam Euripidem. nam, vt apparet, maiorem, cuius tragoediam habemus, in aliqua parte potuit imitari, in toto argumento certe non potuit: quippe cum hic a Glaucae nuptiis et Medeae ira, Attius autem a profectione Argonautarum suam tragoediam sit exorsus: recitat enim Cicero lib. 2. de Nat. deor. c. 35. versus illos Attianos de Argo naui, qua delecti heroes cum Iasone, vellus aureum petente, vehebantur:

— — Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti sonitu, et spiritu:
Prae se vndas voluit: vortices vi suscitat, etc.

Ex qua Attii tragoedia sint hi versus, Priscianus ostendit, quod omisit Cicero: ait autem esse ex Medea. Quartam tragoediam de Medea scriptam a Pacuuio, ne quis credat. nam, etsi apud Nonium saepe appellatur, *in Medea:* tamen vbique veteres libri habent, *in Medo:* quod esse rectius, minime dubito. fuit enim filius Medeae Medus: tragoediaeque de eo a Pacuuio conscriptae, Festus ter, Carisius bis, testimonium afferunt. Quod attinet ad mensionem versus: ego nihil desidero: nec video caussam, cur nonnulli legere maluerint, *prodesse non quit:* cum praesertim antiqui libri, quibus quidem vtor, omnes sine vlla varietate habeant, *nequit.* Est autem tetrameter catalecticus, e septem pedibus, et vna syllaba, quae trocheum, extremum pedem, sequitur, hoc modo, *Qui ip* — spondeus est; *se sibi,* tribrachus; *sapiens,* anapaestus; *prodes-* spondeus; *se nequit,* anapaestus; *ne quid-* spondeus; *quam sa-* trochaeus; *pit,* vltima syllaba, propter quam Catalecticus dicitur versus. deest enim altera syllaba, quae si adesset, octonarius esset integer, et diceretur, Acatalecticus. Sunt, qui distinguant, legantque sic: *Qui ipsus sibi Sapiens prodesse non quit, nec quidquam sapit.* Quos neque reprehendo, neque sequor: hoc tantum dico, me nondum in vllo vetere libro, *ipsus,* pro *ipse,* hoc in loco scriptum animaduertisse. Etiam illud confirmo: vbi ipsi legunt, *non quit,* in meis antiquis esse, *nequit.* At senarius esse non potest, si legatur, *nequit.* Intelligo: et mutationis hanc opinor fuisse caussam. Sed in tragoedia, aut comoedia, non solis senariis locus est. Eodem modo lib. 3. de Offic. c. 15. dixit Cicero: *Ex quo Ennius, nequidquam sapere sapientem, qui sibi ipsi prodesse nequiret.* Sic enim est in libro viri integerrimi, et incredibili quadam ingenuarum artium doctrina referti, Gulielmi Sirletti, non, *non quiret,* vt ipsi dicunt esse in suis exemplaribus. Quod si ita esset in omnibus, non tamen admodum mouerer; nec putarem, fracti et dissoluti versus testimonio, mutationem in versu integro beneque constituto, qualis est in hac epistola, faciendam esse. Quod ad sententiam attinet, similem animadvertimus apud Isocratem, ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τῆ βασιλεύειν· Ὁ μηδὲν ὢν αὑτῷ χρήσιμος, ὐδ' ἂν ἄλλον φρόνιμον ποιήσειεν.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Studium suum in commendando Trebatio significat: monet, vt assiduam Caesari operam nauet, ab eius liberalitate exspectet omnia. Eodem anno.

EXPLANATIO.

In Britannia] Putat in Britanniam iuisse Trebatium, aut certe brevi esse iturum. Idem existimat epist. 8. non iuisse tamen, cognoscitur ex epist. 10. et 14. et 16. et 17.

Nihil

Nihil neque auri, neque argenti] Lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse vllum in illa insula, neque vllam spem praedae, nisi ex mancipiis.*

Ad nos quam primum recurras] Iocatur. nam omnino vult ab ipso Caesare Trebatium exspectare omnia: quod ex epistolae clausula cognoscitur.

Sin autem] Dubitatio videtur: sed affirmatio est per dubitandi speciem inducta. quasi dicat: cum vero sine Britannia id, quod volumus, assequi possimus; perfice, etc.

Tuus pudor] Epist. 5. *Pudentiorem esse neminem.* Et epist. 17. *Saepe etiam, quod a te alienissimum est, subimpudens videbare.*

Imperatorem] De hoc nomine supra diximus. infra etiam imperator Caesar vocatur, epist. 17.

Aetatem opportunissimam] Rebus gerendis, et conciliandae tibi imperatoris beneuolentiae.

Singularem] Vel totum, quo vsus est in multis ad Caesarem litteris, officium significat: vel illam notat epistolam, qua Caesari Trebatium more Romano commendavit. epist. 5. et 10.

Vnum timendum] Adsunt enim cetera. epist. 8. *Quin tu vrges istam occasionem et facultatem, qua melior numquam reperietur?* Similis sententia epist. 17.

Ne ipse tibi defuisse videare] Epist. 9.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Quid Caesar ad se de Trebatio scripserit, quid ipse Caesari responderit, officiose significat. deinde Trebatium quasi molli brachio reprehendit, quia delatum a Caesare tribunatum militum recusauerit: hortaturque, vt in occasione et facultate optima sibi ne desit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Liberalitatis] Plus in officio, quam studio, plus in liberalitate, quam officio, continetur.

Tribunatus] Militum: quem Caesar honorem, cum vacatione militarium onerum, Trebatio detulerat. Est autem, vt diximus iam, in castris prima dignitas consulis, altera legatorum, tertia tribunorum militum, quarta praefectorum equestrium turmarum, quinta centurionum, deinceps minorum ordinum.

Vacerra] Cognomen est Romanae familiae. Accusabo te, inquit, apud amicos tuos. Videntur fuisse iurisconsulti, Vacerra, Manilius, Cornelius: vt infra cognoscitur epist. 9.

Manilio] Epist. 10.

Cornelio] *Q. Cornelio* epist. 17.

Nihil audeo dicere] Ne magistrum offendam, reprehenso discipulo. A Cornelio ius ciuile Trebatius didicerat: vt, sine praeceptoris culpa, stultus esse non posset. L. 2. §. 45. D. de orig. iur.

Sapere] Tu autem stultus es. itaque nec magister videtur sapere.

nam a sapientibus magistris insipientes discipuli fieri non solent.

Quin tu urges] Cur non urges? modus loquendi Ciceroni familiaris.

Occasionem et facultatem] Plus est *facultas*, quam *occasio*. nam facultas, posse rem fieri, demonstrat; occasio suadere videtur, vt fiat.

De illo Preciano iureconsulto] Qui erat apud Caesarem gratiosior, vt videtur, quam Trebatius; cum ipsum Trebatium ei Cicero commendet. Praeciorum gens Romae fuit, vnde Praecilii. fortasse hic ex Praeciis in aliam familiam adoptione transierat.

Gratias agere] Quia suo te iuverit officio. quod cum ignoraret Cicero, subiunxit: *de eo quid sit, cura, vt sciam.*

Vestras] Opinatur in Britanniam cum Caesare iuisse Trebatium, vt epist. 7. non iuit tamen. epist. 10. 14. 16. 17.

Britannicas] Litterae nominantur a loco, vnde dantur; vnde *Olbiensis epistola*, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Epiroticae litterae*, lib. 12. ad Attic. epist. 53. *Britannicae*, lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Litterarum officium a Trebatio requirit: monet, ne reditum in vrbem praepropere cupiat.

EXPLANATIO.

Hiematurus] Hiemabant legiones diuersis in locis, vt commodius vtiliusue putabat imperator. quod, Caesaris commentarios qui legerit, animaduertet.

Propter eius occupationes] Soleo, quam maxime possum, ad antiquorum librorum testimonium opiniones meas accommodare. itaque olim, cum in nullo vetere libro hoc verbum, *occupationes*, reperirem; desiderari Graecum aliquid, aut mendosum esse locum existimaui: quod etiam nunc arbitrarer, nisi viderem in quattuor veteribus libris diserte scriptum esse, *occupationes*. idque recium puto. notae sunt autem, et nominantur saepe in his epistolis occupationes Caesaris Gallico bello, omnium maximo. Nam, quod a multis hoc verbum abest antiquis libris: non est, cur miremur. nota librorum varietas est: ex varietate autem, quod speciem veritatis maiorem prae se ferat, id eligimus in emendando; si modo veritatem ipsam potius, quam coniecturas nostras, amamus. *Luctum* autem, quod verbum alii ex ingenio reposuerunt, in vetustis libris, cum paene innumerabiles viderim, nondum inueni.

Ad Balbum] Vt eius opera hiemares cum Caesare. Id Cicero cupiebat, quo facilius in Caesaris familiaritatem Trebatius perueniret. nam et epist. 7. *perfice*, inquit, *vt sis in familiaribus Caesaris.*

Tu deesse tibi noli] Idem monet epist. 7.

Plenior]

Plenior] Ditior. sic *tenues* dicuntur ii, qui domesticam rem non habent.

Battara ERN. *Vacerra*] Cum quo suauiter viuere solebas.

Quid constitueris] De mansione vel reditu.

Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidam] Notat hominis ignobilitatem, cuius prope certum nomen ignoretur. propterea cum ironia subiunxit, *summo genere natus:* et, *terrae filius:* quod in obscurissimi loci homines confertur. itaque lib. 1. ad Attic. epist. 13. *huic*, inquit, *terrae filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.* Arnobius autem lib. 8. sic de Saturno: *Terrae et Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus, proditus: vt in hodiernum inopinato visos*, caelo missos; *ignobiles et ignotos*, terrae filios *nominamus.* Omitto, quae alii, vt adagium confirmarent, exempla coniecerunt: sunt enim in promptu. Lusit in eundem Octauium epist. 16. *Oro te, quis tu es?*

Crebro ad cenam inuitat] Ineptum hominem carpit, qui crebro Ciceronem, summis honoribus functum, homo ignotus ad cenam invitaret, quia sciret esse Trebatii, communis amici, familiarem.

Non potuit perducere] In quo habuit Cicero rationem suae dignitatis, quam non habebat, cum eum crebro inuitaret, Octauius.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Obiicit haec Trebatio vitia per iocum, ambitionem, insciti am, paupertatem, timiditatem: deinde petit, vt quam primum significet, quid profecerint litterae ad Caesarem de eo diligenter scriptae; et omnino de toto statu suo consiliisque omnibus certiorem se faciat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Valde iureconsultum videri] Hoc significauerant litterae Trebatii: in quo notat eius ambitionem cero.

Aliquid sapere] Quasi nihil sapere Romae videretur, vbi peritiores plurimi essent.

Peritior te] Laudare videtur, et vituperat. nam in Britannia iuris ciuilis nulla peritia. quis igitur eum laude dignum putet, qui sapere videtur inter stultos, aut esse doctus inter ignaros litterarum? ea demum vera laus est, cuius praestantia cognoscitur ex comparatione similium. itaque nec Homerus Achillem cum ignauo, sed cum omnium Troianorum fortissimo Hectore committit: et Virgilius certamen facit inter Aeneam et Turnum; vt, superato Turno, cui primas fortitudinis partes tribuit, magis Aeneam extollat. Alterum igitur hoc est, in quo Trebatium tamquam imperitum irridet.

A te inuitatus] Dupliciter hoc accipi potest; vel quod in suis litteris aperte iocatus erat Trebatius; vel quod magni se a Caesare aestimari dixerat: quo se ad riden-

dum esse inuitatum Cicero demonstrat; quasi eius gloriolam ridere merito posset. huic sententiae congruunt ea, quae statim sequuntur.

Vltro te etiam arcessitum ab eo] Id scripserat Trebatius: ideoque iocans Cicero respondit, *intellexi, te Caesari nostro valde iureconsultum videri. Vltro* et cum verbis actionem significantibus iungitur, vt, *vltro ad me venit, vltro se mihi obtulit*; cuius generis exempla satis patent; et cum verbis, quae patiendi notionem continent: quo modo dixit Cicero orat. 3. in Catil. c. 9. *Vt homines Galli ex ciuitate male pacata, — spem imperii et rerum amplissimarum vltro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent.* Et Caesar lib. 5. de bell. Gall. c. 40. *Ipse Cicero, cum tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat; vt vltro militum concursu, ac vocibus sibi parcere cogeretur.* Et Terentius in Adelph. Act. 4. Sc. 3. v. 3.

Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant;
Sibi fieri iniuriam vltro, si quam fecere ipsi expostulant.

Occupationem] Venit in mentem nonnullis, legendum, *occupationes*, contra veteres omnes libros, et consuetudinem Latinae linguae. nam *occupatio*, quamquam singulare nomen, multarum tamen rerum curam aeque complectitur, vt *occupationes*. epist. 17. *Si qua te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus, perferto.* Lib. 5. epist. 12. *Potest mihi denegare occupatio tua.*

Adspirare non possunt] *Adspirare*, pertinet ad ea, quae consequi nequimus. lib. 2. ad Attic. epist. 24. *Caesar Vettium in Rostra produxit; eumque in eo loco constituit, quo Bibulo consuli adspirare non liceret.* In Bruto c. 21. *Ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest.* Eodem spectant reliqua Ciceronis exempla.

Ne frigeas in hibernis] Quia Trebatius hiemabat, hinc occasionem iocandi sumit Cicero. *Frigere* autem est, nihil agere: nam actio calefacit. Metuo, inquit, ne non optime tecum agatur; quandoquidem opera tua Caesar in bello non vtitur. Coelius lib. 8. epist. 6. *Quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere; iam calet.*

Camino luculento vtendum censeo] Caminus non idem apud nos est, qui apud veteres. quae enim quasi gula adscendentem e foco ignem excipit, et extra tectum educit innocenter, is *caminus* a nobis appellatur. illi modo pro fornace, cui caminus Latine respondet, modo pro hypocausto, interdum pro igne vsurpabant. De fornace Virgilius lib. 3. Aen. v. 580.

—— *Ruptis flammam exspirare caminis.*

Iuuenalis sat. 14. v. 117.

Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt,
Incude assidua, semperque ardente camino.

De hypocausto accepisse videtur Galenus lib. 5. de sanitate tuenda. De camino, quo homines calefiunt, hic Cicero. nam in castris, vbi Trebatius erat, fornacibus aut hypocaustis milites vsos esse, verisimile non videtur. Et Cato de re rust.

Abena

Abena duo, haras decem, focum, ianuam maximam. Eodem sensu Horatius lib. 1. Serm. sat. 5. v. 79.

—— *Nisi nos vicina Triuici*
Villa recepisset, lacrumoso non sine fumo,
Vdos cum foliis ramos vrente camino.

Et lib. 1. epist. 11. v. 19.

Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

De hoc tertio genere, quo caminus noster vocabulo saltem refertur, nec multa, nec ita pauca dicam, vt, qui antiquitate capiuntur, aliqua ex parte contenti esse possint. Loco et forma differebant a nostro. non enim, vt nunc, in excauato pariete, quo simul cum fumo ignis excipitur, sed, vt monere videntur exempla, in medio cubiculo hiberno, quod conclaue dicebatur, (nam in aestiuis et exhedris focum non fuisse, colligitur ex Vitruuio lib. 7. c. 3.) fieri solebant. propterea dixit Cato de re rust. c. 143. *Focum purum circumuersum quotidie prius quam cubitum eat, habeat.* Quo modo enim circumuerti focus posset, si fuisset, more nostro, in excauato pariete? nostri a lateribus verruntur, a tergo nec possunt, nec opus est. Et cum ait Columella lib. 11. c. 1. *Consuescat rusticus circa larem domini, focumque familiarem semper epulari:* quid aliud significat, nisi larem et focum, circa quem epularetur familia rustica, medium in conclaui locum tenuisse? Nunc agatur de forma. Exitum ignis caminus antiquus non habebat. itaque molestia fumi vacare non poterat, nisi vel ligna vrerent, quod Cato docuit, amurca illita, vel aper-

tis fenestris vterentur: quorum alterum impensae non minimae: alterum qui ferri posset, cum per fenestras, hieme praesertim, frigori et ventis aditus pateret, non intelligo. Sed certe Horatius, *lacrumoso non sine fumo,* cum dixit, exitu caminum caruisse demonstrat. Clarior haec tota res fiet aliorum testimoniis: nam vno remanet obscurior. Columella lib. 1. c. 6. *Oleum, quod minus prouenit, si congelatur, fracescet. Sed vt calore naturali est opus, qui contingit positione caeli, et declinatione: ita non est opus ignibus, aut flammis: quoniam fumo et fuligine sapor olei corrumpitur.* Palladius quoque Columellam, vt videtur, imitatus, lib. 1. c. 20. de cella loquens, *olearia,* inquit, *si quis maiori diligentiae studet, subiectis hinc inde cuniculis pauimenta suspendat, et ignem suggerat fornace succensa. ita purus calor olei cellam sine fumi nidore vaporabit: quo saepe infectum colore corrumpitur, et sapore.* Si caminus nostro similis fuisset, quo ignis cum fumo et fuligine excipitur: quid erat, cur ignem remouerent, ne fumus et fuligo saporem olei corrumperent? Eodem loco subiunxit Columella de vtilitate camini, qui vinariis supponatur apothecis. *Apothecae recte supponentur iis locis, vnde plerumque fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tepore praecoquem maturitatem trahunt.* Et lib. 8. c. 3. de gallinariis: *Iuncta sint ea furno, vel culinae, vt ad eum perueniat fumus, qui est huic generi praecipue salutaris.* Quo modo ex culina fumus in gallinarium transit, nisi quia per cami-

num adscensum ad superiora non habet? Confirmat idem subiungens paullo post: *Huic autem focus applicetur tam longus, vt nec impediat praedictos aditus, et ab eo fumus perueniat in vtramque cellam.* Iam fuligo non inhaeret hodie quidem tecto, sed camino. fit enim ex fumo: fumum autem caminus excipit. At Columella lib. 11. c. vlt. tectis eam dicit inhaerere: nimirum quia fumus exitum non haberet. *Fuligo*, inquit, *quae supra focos tectis inhaeret, colligi debet.* Et quoniam, si fumo exitus non datur, sequitur, vt nec igni: propterea culinam altam fieri in rustica villae parte, vt contignatio careat incendii periculo, iubet idem Columella lib. 1. c. 7. Vitruuius quoque fumum et fuliginem in conclauibus, id est in hibernis cubiculis, vitari non posse, lib. 7. c. 3. auctor est. *Coronarum*, inquit, *aliae sunt purae, aliae caelatae. Conclauibus, aut vbi ignis, aut plura lumina sunt ponenda, purae fieri debent, vt eae facilius extergeantur. in aestiuis et exhedris, vbi minime fumus est, nec fuligo potest nocere, ibi caelatae sunt faciendae.* et eiusdem lib. c. 4. *Tricliniis hibernis non est vtilis haec compositio, nec megalographia, nec camerarum coronario opere subtilis ornatus: quod ea et ab ignis fumo, et ab luminum crebris fuliginibus corrumpuntur.*

Mucio] Iurisconsulto, de quo L. 2. §. 39. D. de orig. iur.

Manilio] Et hic iurisconsultus erat. epist. 8.

Placebat] Sic infra, epist. 17. *Hoc, quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelio videbatur.* Solebat enim iurisconsultorum opinio, praesertim in re dubia, aliorum testimonio comprobari. vnde illa L. 10. §. 1. D. de negot. gest. *Idque etiam Labeo probat.* L. 11. § 3. D. ad L. Aquil. *Quod et Marcello videtur, et est probabilius.* L. 47. §. 4. D. de pecul. *Idque Iuliano videtur.* L. 13. pr. D. de in diem addict. *Celsus quoque lib. 8. Digestorum refert, Mucium, Brutum, Labeonemque, et Sabinum ita existimare: ipse quoque Celsus idem probat.* L. 14. §. 1. D. eod. *Et ita Labeoni et Neruae placet.* L. 1. §. 2. D. de peric. et com. rei vend. *Si dolium signatum sit ab emtore, Trebatius ait, traditum id videri: Labeo contra. quod et verum est.* L. 19. §. 1. D. loc. et cond. *Et ita Seruio, Labeoni et Sabino placuit.* L. 17. §. 15. D. de aedil. edict. *Contra placere debere, Caelius ait: et Labeo probat.* L. 5. §. 1. D. de acquir. rer. dom. *Trebatio placuit.*

Sagis] *Sagum* vestitus militaris. itaque saepe in tumultu aliquo perturbationeque reipublicae, togis depositis, saga in vrbe sumpta.

Satis calere] Plus habere negotii, quam vellem. hoc dicit propter allatum antea nuncium de hostibus in Britannia vehementer contra Caesarem pugnantibus.

Cautior] Cauere aliis iurisconsulti dicebantur. epist. 6. et lib. 3. epist. 1.

Quam in aduocationibus] Et hic notatur insciția: quasi non optime Trebatius caueret iis, quorum esset aduocatus. Quid autem *aduocatus* et *aduocatio* sit, Asconius ad Diuin. c. 4. ostendit his verbis: *Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut*

aut aduocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico, aut procurator, si negotium suscipit, aut cognitor, si praesentis caussam nouit, et sic tuetur, vt suam. Idem ad lib. 1. in Ver. c. 49. *Vel, vti consulantur, conueniunt aduocati, vel, vt alterutri parti apud arbitros adsint, vel, vt ipsi iudices in rem aliquam capiantur.* Epist. 11. *Ego omnibus, vnde petitur, hoc consilii dederim, vt a singulis interregibus binas aduocationes postulent.* Et epist. 14. *Minus multi iam, te aduocato, caussa cadent.* Posterior aetas ad caussarum actores hoc vocabulum transtulit. Tacitus in prooemio dialogi de orat. *Horum,* inquit, *temporum diserti caussidici, et aduocati, et patroni, et quiduis potius, quam oratores, vocantur.*

In Oceano natare] Iocatur in Trebatii timiditatem, qui cum Caesare in Britanniam nauigare noluerit.

Essedarios] Quorum impetum timuerat.

Ne Andabatam quidem] Lusus fuisse genus, quo clausis oculis certaretur, existimo. nec tamen, lusisse antea, vt andabatam, Trebatium, et id a Cicerone significari, putemus. Sed hoc dicitur: antea spectare quidlibet volebas: nunc essedariorum spectaculum vitasti. Prouerbium, *ne andabatam quidem defraudare,* videtur in eos vsurpari solitum, qui omnia cernerent, vt nihil iis, non si oculos quidem andabatarum more clauderent, occultum esse posset. Eodem modo dicitur in Trebatium, nullo eum spectaculo priuari voluisse, quem admodum andabatae, licet oculis clausis, tamen interdum ludentes defraudari non possunt. Vsus est hoc prouerbio duobus in locis D. Hieronymus, aduersus Heluidium, et contra Iouinianum. Nonius Varronem appellat in Andabatis.

Quid agas] Hoc refertur ad illud, *de toto statu tuo.*

Quid exspectes] Quid commodi.

Putes] Hoc ad illud pertinet, quod proxime dixerat, *consiliisque omnibus.*

Attraham] Plus est, quam, *vocem.*

Aduoles] Et hoc plus, quam, *venias.*

Non modo hostes] Non dicam hostes: patet enim congressionem nostram esse iucundissimam, hostes autem formidabiles, et permolestos: sed ipsi Aedui, fratres nostri, quorum consuetudine delectamur. Aedui fratres populi Romani, cognita eorum fide, vocati sunt. lib. 1. ad Attic. epist. 19. *Aedui, fratres nostri, pugnant.* Tacitus lib. 11. Annal. c. 25. *Primi Aedui senatorum in vrbe ius adepti sunt. datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant.* Plutarchus in Caesare.

Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero] Senarius integer, e Terentii Heautontimorumeno translatus in hunc locum. sic enim in ea fabula Act. 1. Sc. 1. v. 32. cum Menedemo loquens Chremes inducitur:

Ne lacruma; atque istuc, quidquid est, fac me, vt sciam:
Ne retice, ne verere, crede, inquam, mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero.

Terentius porro, vt opinor, a Plauto, paucis immutatis, accepit: apud quem in Pseud. Act. 1. Sc. 1. v. 16. ita loquitur Pseudolus seruus:

—— *Fac me certum, quid tibi est.*
Iuuabo aut re, aut opera, aut consilio bono.

Ad hunc Terentii versum respexit etiam lib. 9. ad Attic. epist. 6. *Eripe*, inquit, *mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacumque re potes.*

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Primum iocatur, vt solet, occasione sumpta ab interregnis: deinde suadet, vt, si honestatem facultatesque suas auget, maneat apud Caesarem; sin minus, Romam se recipiat. Anno Vrbis DCC. in interregno.

EXPLANATIO.

Relinqueres] Ob interregna: quibus iudicia iacebant; cum nullus, qui ius diceret, in vrbe magistratus esset. nam interrex non iuris dicendi caussa creabatur, sed vt haberet comitia consulibus rogandis. Interregnum Romae primum fuit, cum, Romulo mortuo, nondum Numa rex creatus esset. inde factum, liberata regio dominatu ciuitate, vt, cum in annum sequentem extracta comitia essent, nec vlli creati curules magistratus, interrex habendorum comitiorum gratia proderetur. Liuius, Dionysius, Plutarchus, alii.

Tot interregnis] Quot interregna fuerint eo anno, facile inueniet, qui Dionem et Pedianum attente legerit. quorum ille lib. 40. scripsit, eo anno, quo Caluinus et Messalla consulatum gessere, vrbem sine magistratibus fuisse per sex menses: Pedianus autem ad orat. pro Mil. c. 5. interregni dies non plures quinque fuisse tradidit. sunt igitur hac ratione interregna XXXVI. in sex mensibus. Duo sunt praeterea, quae docet idem Pedianus, non omittenda, vt arbitror: vnum, interregem non nisi a senatoribus patriciis et ipsum patricium, prodi solitum; quod et Cicero pro domo sua c. 14. dixit: alterum, vt ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia haberentur, moris non fuisse.

Desiderat] Vere. nam interrex ius non dicit. cessat igitur opera iurisconsultorum, et iustitium in vrbe tam diu est, quamdiu interregnum. Hactenus Cicero vere et serio, reliqua iocans, vt infra demonstrabo.

Vnde petitur] *Vnde petitur*, dicebatur is, a quo pecunia in iudicio, tamquam debita, petebatur. non enim, *vnde petitur*, et *debitor*, idem sunt. nam quia vel interdum non debita pecunia petebatur; vel petebatur ante, quam esset coepta deberi; propterea debitor dici non semper poterat is, vnde petebatur; sed tum vere, cum pecuniam debebat. Atque hunc loquen-

loquendi modum antiquis iurisconsultis, quorum scripta periere, familiarem arbitror fuisse. hodie quidem exempla habemus perpauca: quorum vnum, vt mihi nunc in mentem venit, subiungam. lib. 1. de Orat. c. 37. *Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, praetoris vrbani, sedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi, vnde peteretur, vetus atque vſitata exceptio daretur,* CVIVS PECVNIAE DIES FVISSET? *quod petitoris cauſſa comparatum eſſe, non intelligebat.*

Binas aduocationes poſtulent] Quasi beneficii loco. nam, cum interreges singuli per dies tantum quinque sint, nec dies omnes fasti sint, quibus tantum iudicia fieri licet: non esset litigantibus incommoda conditio, si binas aduocationes a singulis interregibus impetrare possent. Binarum autem aduocationum mentio vnam et alteram causſae actionem significat. cum enim a patronis agitur causſa, tunc adsunt aduocati iurisconsulti, qui ius suggerant.

Satisne tibi videor abs te ius ciuile didiciſſe] Hic ostenditur, superiora per iocum esse dicta: quia scilicet de industria Cicero ita locutus est, vt ius ciuile parum didicisse videretur. in quo autem haec deprehendi possit insciticia, quaerendum est. mihi videtur in eo, quod suadere se debitoribus dixit, vt binas aduocationes ab interregibus postulent. quo quid imperitius? non enim is, qui pecuniam debet, sed is, cui debetur, a magistratu iudicium postulat eius exigendae pecuniae causſa. deinde, quis tam rudis in foro, tam ignarus iudiciorum est, qui nesciat ab interregibus aduocationes peti non solere? quippe cum interreges non iuris dicundi, sed tantum habendi comitia curam gerant. Mihi haec interim placebit sententia, donec meliora quis attulerit.

Haec ſigna] *Signa*, et indicia sunt, et statuae. hic iocus est in ambigua significatione.

In meo Tuſculano] Quam villam signis ornauerat. epist. 23. et lib. 1. ad Attic. epist. 4.

Conſuli te a Caeſare] Consuli dicuntur iurisconsulti, cum aliquis dubia in re quaerit, quid verum sit optimumue factu. In Bruto c. 26. *In eo* (P. Crasso) *induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamque gratiam, cum et conſuleretur plurimum, et diceret.* epist. 13.

Tibi ab illo conſuli] Tuis commodis Caesarem consulere. Iocus est in varia eiusdem verbi significatione. *Conſulere aliquem*, et *alicui*, quid sit, vel hic locus declarat.

Perfer] Quasi grauem, quam Trebatius non libenter ferret.

Ego enim deſiderium tui, ſpe tuorum commodorum conſolabor] Epist. 10. eadem sententia, verbis mutatis: *Sic tibi perſuadeas velim, vnum mihi eſſe ſolatium, quare facilius poſſim pati, te eſſe ſine nobis, ſi tibi eſſe id emolumento ſciam.*

Sin iſta ſunt inaniora] Infra: *Sin iſta frigebunt.*

Vna mehercule] Epist. 10. eadem sententia.

Collocutio] *Congreſſio*, dixit epist. 10.

Omnes Samarobriuae ERN. *Samarobrinae*] Non modo vna, sed omnes, quotquot esse possunt.

Vrbs

Vrbs in Gallia inter Belgas, vbi tum videtur cum Caesare fuisse Trebatius. epist. 12. et 16. vide Caesarem lib. 5. de bell. Gall. c. 24.

Laberium] Qui timendus erat vt mimus. de hoc Suetonius in Caesare c. 39. et Macrobius lib. 2. Saturn. c. 7. qui etiam praeclaros eius senarios, victum se a Publio mimo conquerentis, recitat. Eius Mimi nominantur, quos reliquit, Rector, Salinator, Scripturae, apud Gellium; Aquae, Aries, Augur, Caeculi, Creuus, Tuscus, apud Carisium; Annales, Aquae Caldae, Aululariа, Belbum, Calli, Carcer, Catularium, Centenarium, Χαῖρε, Cithera, Compitalia, Cropium, Finalia, Fullonica, Imago, Lacus Auernus, Macchus, Nuptiae, Panilica, Paupertas, Primum, Sedigitus, Sorores, Tucca, Tuscus, Virgo, apud Nonium. Horatius Laberii mimos non probat. ait enim lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 5.

Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera: nam sic
Et Laberi mimos, vt pulchra poemata, mirer.

Valerium] Non opinor significari Q. Valerium Catullum poetam, sed L. Valerium iurisconsultum, quem Cicero lib. 1. epist. vlt. et lib. 3. epist. 1. commendat. magis enim credendum, cum *sodalem* Cicero vocet, eum significari, qui vtrique familiaris erat, quam Catullum poetam, quem nec Ciceronis, nec Trebatii sodalem aut familiarem fuisse, quisquam scripsit. Praeterea, vel notam praenominis, quod eis diuersum fuit, *Lucius*, Valerio iurisconsulto, *Caius*, Valerio Catullo poetae, adiungi oportuit; vel, si modo poeta significabatur, cognomen apponi, quod iurisconsulto nullum fuit; aut etiam solum cognomen nominari: quod fecit Nepos in Attici vita c. 12. Quinctilianus lib. 10. c. 1. Gellius lib 7. c. 20. qui omnes Catulli non modo nomen, verum etiam praenomen omisere, solo cognomine contenti.

Mira] Ad risum excitandum.

Persona] Vt in scenam inducuntur ab histrionibus personae diuersorum.

Britannici iureconsulti] Ipsius Trebatii, qui noluerat in Britanniam cum Caesare proficisci. Rideri igitur duabus causis poterat Trebatius: tum quia iurisconsultus in militiam iuerat; cum ceteri suam in vrbe, magna cum laude, scientiam exercerent; tum quia, cum in militiam iuisset, Caesarem tamen ex Gallia in Britanniam transeuntem sequi noluerat. in hoc metus, in illo iuris ciuilis inscientia describitur.

Non rideo] Non contemno, etsi iocor, vt soleo: ne me tamen putes haec parui facere.

Tuam dignitatem obtinebis] Istic eris cum ea, qua te decet esse, dignitate.

Honestatem] Honorem et existimationem: vt epist. 17. *Quae ego tibi et iucunda et honesta praestabo.* sic *honestus* pro honoratus, lib. 2. epist. 15. *Emori Caesarem honestum esse cupio.*

Facultates] Paullo latius accipio, quam pro re domestica: vt lib. 3. de Offic. c. 15. *Singulorum, facultates, et copiae diuitiae sunt ciuitatis.* Et lib. 11. ad Attic. epist. 2. *Illam, miseram mea culpa et negli-*

negligentia, tueare meis opibus, si quae sunt; tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus.

Studio] Quo fit, vt te Caesari vehementer commendemus.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Iocatur more suo, et in ioco reprehendit opiniones Epicureorum, ipsumque Trebatium; quem Epicureum esse factum, ex Pansa cognouerat. Eodem anno, in interregno.

EXPLANATIO.

Indicauit] Litteris e Gallia missis.

Pansa] C. Vibius Pansa, qui consul postea fuit cum Hirtio.

Meus] Pronomen amorem indicans, vt *Curio meus*, lib. 16. epist. 11. Epistolarum libri Ciceronis ad Pansam appellantur a Nonio et Prisciano.

Tarentum] Mollem ciuitatem, nequitiaeque deditam. Horatius lib. 2. Serm. sat. 4. v. 34.

Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.

Athenaeus lib. 4. solitos dicere Tarentinos ait, aliis laborioſam vitam, sibi voluptariam placere.

Et Titius] Sic antiquus liber. ex quo fortasse legendum, *et Titus:* vt significetur T. Pomponius Atticus, Ciceronis familiaris, idemque Epicureus. alii libri varie, *Etitius, Eticius, Ericius, Etrius, Ethiceres, Eticirus, Etheius.* in nullo, *Zeius*, esse video: quod aliis placuit, ex auctoritate veteris libri. Romanae familiae nomen esse potest: mihi tamen ignotum.

Cum omnia tua caussa facias] Ex Epicuri sententia. Pertinet ad hunc locum illud ex orat. pro Sextio c. 10. *Laudabat homo doctus philosophos, nescio quos — eosdemque praeclare dicere aiebat, sapientes omnia sua caussa facere: rempublicam capessere hominem bene sanum non oportere: nihil esse praestabilius o iosa vita, et plena, et conferta voluptatibus.*

Non ciuium] Hoc non habent mei duo veteres libri: et fortasse additum ex ingenio, sententia non requirente.

Vt inter bonos bene agier oportet] Haec formula bis ponitur lib. 3. de Offic. c. 15. omisso verbo, *oportet:* secundo loco, *vt:* in Topicis c. 17. item vt hic, legitur, *vt inter bonos bene agier oportet.* Vnus omnino antiquus liber hic non habet *vt.* Sententia non obscura, siue *vt* retineatur, siue deleatur: bene agi oportere inter bonos: vel, ita bene agi oportere, tamquam inter bonos res agatur.

Quis enim est, qui facit nihil, nisi sua caussa] Et abest hoc totum a duobus antiquis libris; et mihi quidem satis frigidum videtur. iam cum superioribus formulae verbi qui cohaeret?

Communi diuidundo] Titulus est apud iurisconsultos.

Iouem

Iouem Lapidem iurare] Superiora in iurisconsultum proprie, hoc in omnes communiter conuenit. euenit enim, vt iuremus fidei faciendae gratia. at Epicurei cur iurent, non est. deos enim iratos non timent, quos aiunt non curare mortalia, neque ipsos habere molestiae quidquam, neque cuiquam inferre. Hunc morem, Iouem Lapidem iurandi, satis ostendimus in illo loco, *si sciens fallo*, epist. 1. huius libri.

Populo Vlubrano] Qui erat in Trebatii clientela. epist. 18. Vlubrae autem non colonia, non municipium, sed praefectura fuit, vt haec vetus inscriptio, ab egregio iurisconsulto, et cum humanitate, tum omni liberali doctrina politissimo, Ioanne Turritiano ad me missa, declarat.

C. OPPIVS. SP. F. COL.
RVFVS. PAGI. MAGISTER
IDEM. PRAEFECTVS. VLVBRIS.
IVRE. DICVNDO.

Praefecturae autem ius Romanae ciuitatis habebant, Romanisque tum legibus, tum magistratibus vtebantur, vel a populo creatis, vel a praetore vrbano delectis.

Πολιτεύεσθαι] *Rempublicam administrari*: vt eadem de re dixit in orat. pro Sextio. sed hic maluit Graece loqui, fortasse vt ipsum Epicuri, Graeci hominis, verbum referret. Vide hac de re sententiam Epicureorum lib. 2. de Orat.

Si plane a nobis deficis] Si non ficte, vt assenteris Pansae, sed vere et ex tua sententia Epicureus factus es.

A nobis] Qui Epicurei non sumus, et honestum rebus omnibus anteponimus.

Pansae assentari] Epicuri sectam et instituta persequenti. lib. 15. epist. 19.

Commodum est] E re tua est.

Modo scribe] Si dixisset, *modo scribas*, hortaretur: cum dicat *modo scribe*, hortatur simul, et imperat.

Aliquando] Quasi hoc Trebatius aut numquam, aut non nuper, sed multo antea scripsisset. iam enim, vt prima epistolae verba significant, litteras mittere intermiserat.

Quid agas; et a nobis quid fieri aut curari ERN. *quid agi, quid fieri, aut curari velis*] Quaeri potest, cum dixerit iam, *agi*, cur subiungat, *fieri*. Sciendum, non idem vtroque significari. nam *agere*, quasi genus est; *facere*, tamquam species. non enim, qui cogitat, aut loquitur, proprie dicitur facere, sed agere: cum tamen, quidquid fiat, id etiam agi dicatur. qua de re subiiciemus verba Varronis ex lib. 5. de L. L. quae significant actionis nomine tria comprehendi, cogitare, dicere, facere. *Actionum*, inquit, *trium primus cogitatus mentis; quod primum ea, quae sumus acturi, cogitare debemus, deinde tum dicere, ac postremo facere. de his rebus minime putat vulgus esse actionem cogitationem: tertium, in quo, quid facimus, id maximum. sed et cum cogitamus, quid et in eam rem cogitamus, in mente agimus; et, cum pronunciamus, agimus. itaque ab eo orator dicitur agere caussam: et augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant.* His verbis ostendit Varro, *agere*, genus esse; *facere* autem speciem. Idem infra,

infra, subtilius haec distinguens, diuersam vtriusque verbi significationem demonstrat. *Tertium*, ait, *gradum agendi dicunt, vbi quid faciunt. in eo, propter similitudinem agendi, et faciendi, et gerendi, quidam error iis, qui putant esse vnum. potest enim aliquis facere, et non agere: vt poeta facit fabulam, et non agit; contra actor agit, et non facit. et sic a poeta fabula fit, et non agitur; ab actore agitur, et non fit. Contra, imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit, sed gerit, id est sustinet. Proprio nomine dicitur facere a facie: quod rei, quam facit, imponit faciem: a qua facie discernitur, vt dici possit, aliud esse vestimentum, aliud vas. Qui quid administrat, cuius opus non exstat, quod sub sensum non veniat; ab agitatu, magis agere, quam facere, putatur. Sed quod magis his promiscue, quam diligenter, consuetudo est vsa; translatitiis vtimur verbis. nam et quidem, facere verba, dicimus, et qui aliquid agit, non esse inficientem.* Haec Varro: quibus constat, et genus, et speciem esse posse. nec desunt generis exempla. de specie autem sic Cicero in epistola superiore: *Quid agis? ecquid fit?* Et lib. 3. de Fin c. 17. *Est eius generis actio quoque quaedam, et quidem talis, vt ratio postulet agere aliquid et facere eorum.* Et in Lucullo c. 7. *Idem in similibus quoque artibus continget: quarum omne opus est in faciendo atque agendo.* Et Terentius Adelph. Act. 5. Scen. 3. v. 3.

Hei mihi, quid faciam? quid agam? ——

Et ibidem, Scen. 5. v. 2.

—— O Syre noster, salue: quid fit? quid agitur?

Graeci quoque πράττειν, et ποιεῖν distinguunt, illud pro *agere*, hoc pro *facere* vsurpantes. horum verborum differentia in artium quoque distinctione cognoscitur. aliae enim vocantur πρακτικαὶ, cum post actionem opus non remanet, vt saltandi vel canendi scientia; aliae ποιητικαὶ, cum opus remanet, vt quae ab Aristotele ναυπηγικὴ, et quae χαλινοποιητικὴ nominatur. quamquam Aristoteles videtur vsurpasse τὸ ποιεῖν ἀντὶ τοῦ πράττειν, initio artis Poeticae. Sed hoc ei vsitatum est, verba paullo liberius accipere, vel antequam ea definierit, vt cum pro mutatione motum accepit Phys. lib 3. licet motus et mutatio non idem sint, quae postea definiuit lib. 5. vel cum singulorum verborum exquisitam proprietatem sententia non requirit. Idem tamen Polit. lib. 1. διαφέρει, ait, ἡ ποίησις εἴδει, καὶ ἡ πρᾶξις. ὁ δὲ βίος, πρᾶξις, οὐ ποίησίς ἐστι. Et Rhet. lib. 1. Καὶ τὰς ἀρετὰς δὲ ἀνάγκη ἀγαθὸν εἶναι. κατὰ γὰρ ταύτας εὖτε διάκεινταί οἱ ἔχοντες, καὶ ποιητικαὶ τῶν ἀγαθῶν εἰσι, καὶ πρακτικαί. Hanc distinctionem comprobat Quinctilianus lib. 2. c. 18. his verbis: *Cum sint artium aliae positae in inspectione, id est, cognitione et aestimatione rerum, qualis est* Astrologia, *nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quae* θεωρητικὴ *vocatur: aliae in agendo, quarum in hoc finis est, et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quae* πρακτικὴ *dicitur, qualis est* saltatio: *aliae in effectu, quae operis, quod oculis subiici-*

subiicitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν *appellamus, qualis est* pictura: *fere iudicandum est,* rhetoricen *in actu consistere. hoc enim, quod est officii sui, perficit.* Quod igitur Cicero dixit, *quid agi,* vel tamquam genus, vel tamquam speciem accipiamus hoc verbum: genus, vt se paratum ad omnia, quae Trebatius vellet, ostenderet: quod apertius indicauit, diuidendo mox genera in species, *fieri,* et *curari:* speciem, vt tribus verbis, *agi, fieri, curari,* tria diuersa demonstrentur. aliud enim est, agi, et fieri; aliud curari, vt aliquid agatur, aut fiat. Tenuia fortasse videntur haec, neque digna satis, in quibus elaboretur. nos, quod ad vsum Latinae linguae pertineret, nihil vmquam contempsimus. nec poenitet consilii. nam, si veteribus illis in scribendo similes esse cupimus; ponderanda singula sunt, vt ex multis partibus, apte conuenientibus, egregium illud, quod quaerimus, vniuersum fiat.

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Intermissionis litterarum caussam exponit: quam non agnoscente Trebatio, inde occasionem arripit liberius iocandi. Scripta eodem anno, et in interregno: quia dies adscripta, III. non. Mart. Interregnum autem sex mensibus hoc anno fuisse, iam diximus.

EXPLANATIO.

Adeone me iniustum esse existimasti] Simile principium lib. 2. epist. 8. *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, etc.* Sic et Coelius non semel orditur lib. 8.

Primis litteris] Epist. 17. *Primorum mensium litteris tuis vehementer commouebar, etc.*

Satisfactionem] Excusationem. lib. 8. epist. 12. *Postea quam illum, ne, cui satisfaceret quidem, me dignum habere sensi.* Et lib. 11. ad Attic. epist. 13. *Quintus mihi per litteras satisfacit, multo asperioribus verbis, quam cum grauissime accusabat.*

Testa] Cognomen Trebatii, epist. 21. 22.

Quae tua gloria est] Quae ambitio tua. Interdum gloriae nomen pro inani quodam gloriae studio sumitur.

Artificium tuum] Scientia iuris ciuilis.

Non ex iure manum ERN. *manu consertum*] Enniani versus ex octauo Annali, quos lib. 20. c. 10. recitat Gellius, hi sunt:

Pellitur e medio sapientia: vi geritur res.
Spernitur orator bonus: horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Eosdem

Eosdem versus ponit Cicero in orat. pro Murena c. 14. D. Augustinus lib. 15. epist. 8. Seruius in vltima ecl. Virgilii. Istic, ait, non litibus, vt Romae, sed armis res geritur: itaque metuo, ne fructum ex artificio tuo paruum capias. *Manum conserere*, et *manu consertum vocare*, non idem esse, Gellius loco supra nominato satis ostendit. *Ex iure*, inquit, *manu consertum, verba sunt ex antiquis actionibus: quae, cum lege agitur, et vindiciae contenduntur, dici nunc quoque apud praetorem solent.* Et infra: *De qua re disceptatur, in re praesenti, siue ager, siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prendere, et in ea re omnibus verbis vindicare. Vindicia, id est correptio manus in re atque in loco praesenti, apud praetorem ex XII. tabulis fiebat. — Sed postquam praetores, propagatis Italiae finibus, datis iurisdictionibus, negotiis occupati, profici sci, vindiciarum dicendarum causa, in longinquas res grauabantur: institutum est contra XII. tabulas, tacito consensu, vt litigantes non in iure apud praetorem manum conserrent, sed ex iure manu consertum vocarent; — atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, vti vnam glebam, in ius in vrbem ad praetorem deferrent: et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent. Idque Ennius significare volens, ait, non, vt ad praetorem solitum est, agi legitimis actionibus, neque ex iure manu consertum, sed bello ferroque, et vera vi, atque solida vadi. Quod videtur dixisse, conferens vim illam ciuilem, et festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, cum vi bellica et cruenta.* Haec Gellius. Illud moneo, placere mihi quod aliis quoque placuisse video coniuncte legi, et vnico verbo *manuconsertum*. alioqui legendum videretur, *manus consertum*, ve *manum consertum*. Si enim manus conserebatur; quod Gellius aperte demonstrat: certe, *manum consertum*, id est, ad manum conserendam, vt Gellius idem interpretatur, non, *manu consertum* dici debuit est etiam vetus apud me liber, in quo legitur vnico verbo, *manuconsertum*.

Sed magis ferro] Abiicitur *s*, in *magis*, metri caussa. quod qui ignorabant, fecere, *mage*, vt in Gellio et in orat. pro Murena. in hac quidem epistola scripti libri omnes, nulla varietate, habent, *magis*.

Et tu soles ad vim faciundam adhiberi] Nonnulli veteres libri, *facundiam adhibere*: mendose: factum enim ex *faciundam*, *facundiam*: et vt facile ruit, quod inclinare semel coepit, mutatum est *adhiberi* in *adhibere*: vt esset, *adhibere facundiam ad vim*. sic deformata maculis pulcherrima sententia suam venustatem amiserat. habet enim leporem haec interrogatio, *et tu soles ad vim faciundam adhiberi?* in quo timiditatis arguitur Trebatius; qui, cum facienda vis esset, non adhiberetur. quod infra quoque demonstratur in iis verbis: *scio te non esse procacem in lacessendo.*

Neque est, quod illam exceptionem in interdicto pertimescas: quod tu prior vi hominibus armatis non veneris] Omnes antiqui libri, *non veneris*. quod ideo dictum volui, ne quis, propter obscuritatem sententiae, mutandi licentiam arripiat. *Interdictum* quid sit, do-

cuere multi. est autem praetoris actio, cum aliquem in eam possessionem, vnde vi deiectus est, restitui iubet, donec iudicio planum fiat, vter possidere debeat: exceptionem tamen his fere verbis addere consueuit: *nisi si, qui restitui postulat, prior vi hominibus armatis praesentem possessorem deiecit.* Iocatur hic Cicero cum Trebatio, tamquam cum homine bellica certamina libenter vitante: numquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua praetor in interdicto vti solet, quod tu prior vi hominibus armatis quemquam de possessione deieceris. facit enim tua timiditas, ne quem prior laedas. Huic sententiae videtur illud, *non veneris*, adversari: nam exceptio illa non solebat in eum fieri, qui prior vi hominibus armatis non venisset, sed qui prior venisset. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putauitque legendum, *conueneris*. Alii posteas, non discedendum a veteribus libris, recte censuerunt: sententiam tamen Ciceronis non omnino, vt arbitror, sunt assecuti. nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non esse Trebatio pertimescendam exceptionem illam, qua vtuntur illi ad praetorem, qui cum confessi sint se deiecisse, clamant tamen se non interdicto teneri, nec debere restituere; nam se prius ab aduersariis vi hominibus armatis deiectos esse: ego non arbitror exceptione illa eos ad praetorem vti solitos, qui aliquem de possessione deiecerant; sed ipsum praetorem, cum eum, qui deiectus erat, interdicto restitui iuberet, excipere solitum esse, nisi is, qui postularet interdictum, prior vi hominibus armatis aduersarium deiecisset. quod si probaretur, interdictum ei nullam opem ferebat; sed vetus possessor, donec lis ad exitum peruenisset, in suo statu permanebat. Non dubium est autem, cum ait Cicero, *quod tu prior vi hominibus armatis non veneris*, vsitata cum exceptionis verba recitare; sed particulam, *non*, addit de suo, ioci caussa, et immutat exceptionis morem, vt Trebatio timiditatis notam inurat: quasi minime prior venisset vi hominibus armatis. Eadem licentia, cum iocaretur, peruertit historiam Cicero, siue fabulam potius lib. 1. epist. vlt. Nam cum dicturus esset, *tamquam Vlysses, cognoscens a tuorum nemine*; (id enim Vlysse contigit, nec eum, praeter canem, quisquam cognouit) repente mutauit, et dixit, *tamquam Vlysses, cognosces tuorum neminem.* ita, quod volebat, obiecit ignobilitatem Valerio, et paucitatem propinquorum: quam obiicere non poterat, si dixisset, *cognoscens a tuorum nemine.* Cum haec legisset, admodum probauit egregius iurisconsultus, a recentiorum iurisconsultorum barbarie longe remotus, quodque multo pluris facio, moribus et probitate excellens, vetere mihi necessitudine coniunctus, Octauianus Populus Mediolanensis.

Non esse procacem] Hoc addit Cicero, quasi sensum exceptionis iam expressisset: quem tamen ostendimus ioci caussa esse immutatum.

Ego quoque] Licet iurisconsultus non sim. nam iurisconsultorum est, aliis cauere. epist. 6. et lib. 3. epist. 1.

De nostris cautionibus] Pro, e nostris cautionibus. *Nostris*, inquit, iocans: quia iurisconsultorum

rum cautiones erant: et oratorem cauere iurisconsulto, mirum videtur.

Treuiros] Galliae populos, Rheno flumini finitimos: qui, accersitis Gallorum auxiliis, cum Labienum, Caesaris legatum, obsedissent, ab eo castris erumpente fusi fugatique sunt. Caesar lib. 5. de bell. Gall. c. 58.

Capitales] Exitium ferentes, caput petere solitos. Phil. 5. c. 12. *Legi epistolam Antonii, quam ad quendam septemuirum, capitalem hominem, collegam suum, miserat.* Et lib. 4. de Fin. c. 12. *capitalis aduersarius.* Iocatur hic Cicero in verbo *capitales*, quia Romae triumuiri capitales erant.

Mallem auro, aere, argento ERN. *argento, aere essent*] Treviri erant, vt diximus, in Gallia: Treuiri item Romae, qui *monetales* dicebantur, quia monetae praeerant, id est, auro, argento, aeri, tum flando, tum feriundo: quod illa veterum nummorum inscriptio declarat, A. A. A. F. F. qua de re editam olim a nobis Petri Bembi, viri plane singularis, epistolam hic subscribemus.

PETRVS BEMBVS BERNARDINO SANDRO S.

Quod hodie mane quaerenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium verbis: Treuiros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, aere essent: *respondi, iocum esse et multiplicem, et festiuum: qui quidem iocus in antiquis et nummis et scriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in via, vt neque libros, neque nummos haberemus, reieci te in alium diem; id, ne te diutius torqueat, est eiusmodi, vt ioci caussa, quod quidem Cicero ad illum scribens more suo fere semper facit, et Treuiri, et capitales in ambigui genere sint posita. nam, cum videatur monere illum, vt vitet Treuiros Galliae populos, qui capitales bellicosique sint; ludit cum in Treuirorum, tum in capitalium verbo. erat enim Romae magistratus, Triumuiri capitales, qui etiam Treuiri dicebantur. sed, quoniam hoc ipsum Triumuirum nomen iterum in ambiguo poni poterat, cum essent etiam apud Romanos Triumuiri pecuniae cudendae: quos ita inscribebant,* A. A. A. F. F. *hoc est, auro, argento, aere flando, feriundo: iocatur iterum in hoc verbo, luditque Cicero, vt mihi quidem videtur, bellissime, addens, mallem Treuiros istos esse pecuniosos, quam bellicosos; vt, Caesare eos vincente, tu ditescere. itaque infert, mallem esse Treuiros auro, argento, aere, quam scilicet capitales. Triumuiros autem Treuiros solitos dici, Liuius satis locuples esse testis potest: cuius sunt haec lib. 40. c. 29.* Colonia Graviscae eo anno deducta est in agrum Etruscum, de Tarquinensibus quondam captum. Quina iugera agri data. Treuiri deduxerunt, C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Istra. *Quod vero Triumuiri pecuniae sic, vt dixi, inscriberentur; est apud me nummus aereus perantiquus ita inscriptus,* C. PLOTIVS. III. VIR. A. A. A. F. F. *sunt et alii nummi aliorum nominum, eiusdem tamen tituli; quos inspicies, cum voles. Haec ad te scripsi,*

cum domum rediſſem, et nummos ac librum ſumpſiſſem, amore tui admonitus. Vale. Pridie Idus Iun. MDXXXII.

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Familiariter et iocoſe Trebatium, qui litteras nullas miſerat, obiurgat. Eodem fortaſſe anno.

EXPLANATIO.

Chryſippus] Architectus. lib. 14. ad Attic. epiſt. 9.

Cyri] Et hic libertus fuit ab architectura nobilis: de quo lib. 2. ad Attic. epiſt. 3. et lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 2. hic obiit eo anno, quo P. Clodius occiſus eſt, ipſumque Clodium et Ciceronem reliquit heredem: vt ex orat. pro Milone c. 17. 18. intelligitur.

Libertus] Ergo et Cyrus Vettius, a quo nomen Chryſippus acceperat.

Scribere] Videtur loqui ſimpliciter; ſed, vt ſolet, per iocum vnico verbo duas res attingit. ſimul enim de iurisconſultorum ſcriptione ſignificat: quod ſequentibus verbis oſtenditur. et Pomponius L. 2. §. 47. D. de orig. iur. *Plerumque*, ait, *iudicibus aut ipſi ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſuluerant.* Pro Murena c. 9. *Hanc vrbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi.* ſcribebant formulas ſponſionum, ſtipulationum, actionum, teſtamentorum etiam. Nam lib. 2. de Orat. c. 6. *Si, inquam, Scaeuola, nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes vnus.* Eſt igitur, vt *cauere*, ſic *ſcribere*, iurisconſultorum.

Te aduocato] Alibi *aduocatus* eſt is, qui praeſentiam, vt ait Aſconius, reo commodat: hic eſt is, qui per formulas, praeſcripta litigandi forma, cauet iis, a quibus conſulitur. vnde illud epiſt. 10. *Tu in re militari multo es cautior, quam in aduocationibus.*

Cauſſa cadent] Litem amittent. qui enim ſcriptis tuis freti litigabant, cadebant cauſſa. nunc id non accidet: quia, ſi ſcribere oblitus es, nemo tuis in ſua re ſcriptis vtetur.

Aeſtiuorum timor] Timor futuri belli, quod aeſtate renouabatur.

Debilitat] Sic afficit, vt litteras ad amicos mittere non poſſis.

Aliquid excogita] Caue tibi quoquo modo ab armorum periculo, vt cauiſti ab eſſedariis Britannicis, cum in Britanniam tranſire noluiſti.

Beneuolentiae] Cuius iura poſtulant, vt amicos de rebus noſtris nos ipſi certiores faciamus.

EPISTO-

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Declarat suum absentis Trebatii desiderium: gratulatur de C. Matii familiaritate. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Morosi] *Morosus* est, cui non placet id, quod placere debet: vel, qui plus, quam oportet, exigit ab aliquo: vel, qui non fert, quod ferendum videtur. In Oratore c. 29. *In quo tantum abest, vt nostra miremur, vt vsque eo difficiles, ac morosi simus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.*

Ea, quae spero] Honestatem, et commoda. epist. 11.

C. Matii] Cuius exstat grauissima epistola lib. 11. 28. apud Caesarem gratia valuit, vt lib. 6. epist. 12.

Doctissimi] Quinctilianus lib. 12. c. 6. ait Matium ante quaestoriam aetatem orasse. Columella lib. 12. c. 4. et c. 44. scripsisse eum de pistore, coquo et cellario libros tres. A Gellio quoque et Macrobio laudari video doctrinam Cn. Matii. Sed ibi Cnaeus, hic Caius nominatur: vt vel duo Matii fuerint, diuerso praenomine, vterque in primis eruditus: vel, si vnus fuit, mendum sit in alterutro praenomine.

EPISTOLAE XVI.

ARGVMENTVM.

Laudare Trebatium videtur vt sapientem, qui belli discrimina vitaret: sed re vera notat vt timidum: quod saepe facit. adscribit quaedam per iocum, de Cn. Octauio, de futuris Trebatii diuitiis, de eiusdem superbia. Scripta videtur eodem anno: quod ex eo cognoscitur, quia scribit Cicero et in Britanniam ire Trebatium noluisse, et adhuc quidem Samarobrinae esse; vbi eum fuisse, cum interreges crearentur, indicat epist. 11.

EXPLANATIO.

In Equo Troiano] Tragoediae nomen, sed vtrum Liuii Andronici, quem Nonius appellat in Opitula, an Naeuii, quem Macrobius lib. 6. Saturn. c. 1. ignoro.

Sero sapiunt] Subaudi, *Phryges*: qui cum Helenam initio belli reddere noluissent, postea, fractis iam eorum opibus, et spe salutis amissa, velle se eam reddere dixerunt. inde natum prouerbium: de quo Festus.

Mi vetule] Amatorie, per iocum.

Rabiosulas] In quibus, teneri se vrbis desiderio, et cupere statim aliquid auferre, atque a bello discedere, scripserat Trebatius. id fuit primum argumentum, cur non sero, sed mature sapere visus est. alterum, quod in Britanniam ire

noluit. tertium, quod Samarobrinae diu manſit, nec vllam rei bellicae partem attigit. Inde iocandi materiam Cicero ſumpſit.

Sat fatuas] Quia, cum iuiſſet in Galliam eo conſilio, vt Caeſaris beneuolentiam obſequio officioque ſuo conſequeretur, ita ſtatim auferre ab eo pecuniam, et domum redire properabat, quaſi non litteras commendatitias, verum ſyngrapham ad eum attuliſſet.

Non nimis φιλοθέωρον] Non valde cupidum ſpectandi: quia transire in Britanniam noluiſti, neque ſpectare eſſedarios. Hic locus alio loco epiſt. 6. illuſtratur. Secutus autem ſum Politiani correctionem: licet libri veteres, pro *nimis*, *minus*, et pro φιλοθέωρον, *quam Philoctetem*, omnes habeant, vno tantum excepto, in quo eſt, *non minus philotheorum*, item vt eſſe in Mediceo libro Politianus idem ſcripſit.

In hibernis iniectus mihi videris] Hibernorum tempus nondum erat: ſed hibernare Trebatius videbatur, quia ſe Samarobrina non commouebat. epiſt. 11. 12. et in hac in extremo.

Vsquequaque ſapere oportet] Vbique: quod tu facis: qui tibi optime caues, nec periclitari, quamquam ſis in bello, de vita vis. huius aduerbii vis eadem ſemper eſt. exempla et palam ſunt, et quaedam Cariſius quoque recitat, M. Catonis, C. Gracchi, Frontonis.

Telum acerrimum] Summum eſt in ſapientia praeſidium. Serio videtur hoc dicere, ſed iocatur: quaſi dicat: nae tu rationem tuendae ſalutis tuae optimam iniiſti: et, quod alii telis acerrimis, id tu ſapientia tua conſequeris.

Non defuiſſem] Non negaſſem: obſecutus eſſem.

Quis tu es] Ineptum hominem ſignificat: qui Ciceronem, cui ne notus quidem eſſet, ad cenam inuitaret. epiſt. 9.

Homo bellus] Lepidus, quo vti iucunde quiuis poſſit. *Bellus* ad formam non refertur, ſed ad quandam venuſtatem, quae amorem conciliat.

Abduxiſſes] Nondum a ioco diſcedit; quamquam dixerit, *extra iocum*. nam *abduxiſſes*, videtur eſſe, tecum duxiſſes vt hominem bellum, voluptatis et laetitiae tuae cauſſa: ſed valet, vt hominem ineptum, quo minime delectamur. In hac autem ſtructura, *homo bellus eſt, vellem eum tecum abduxiſſes*: ineſſe quiddam ſentio, quod capiat aures meas; nec id tamen, quale ſit, explicare fatis queo: cuiusmodi multa ſunt in Latina lingua, quae malim imitari, quam docere. Huic loco reſpondere videtur ille lib. 10. epiſt. 28. *Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis inuitaſſes! reliquiarum nihil haberemus.* Et lib. 15. ad Attic epiſt. 22. *Gratulor nobis Q. filium exiiſſe: moleſtus non erit.*

In Italiam] Puto me iam dixiſſe, Italiam aliter iure naturae, aliter iurisdictione terminari: iure naturae, Alpibus; iurisdictione, Rubicone amne: vltra quem incipiebat Ciſalpina Gallia: quae cum Tranſalpina et Illyrico erat in imperio Caeſaris. Dixit igitur Cicero, *in Italiam*, id eſt, in Ciſalpina Gallia, quo ſe Caeſar quotannis ad conuen-

conuentus peragendos hieme conferre solitus erat. ipse enim Commentariorum suorum lib. 1. in extremo de se ipso ita scripsit: *Ipse in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est.* Et lib. 2. item in extremo: *Legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est.* Et lib. 5. primis verbis: *L. Domitio, Ap. Claudio coss. discedens ab hibernis Caesar in Italiam, vt quotannis facere consuerat, legatis imperat, etc.* Et lib. 6. in extremo: *Vt instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.* Quibus exemplis vtendum putaui, vt constaret, ab eodem Caesare modo citeriorem Galliam, modo Italiam vocari eam imperii partem, quae Alpibus et Rubicone amne contineretur.

Venturi sitis] Venerunt: vt Caesaris verba lib. 6. quae iam recitaui, demonstrant.

Stoici] Qui sapientis esse omnia confirmant: vt in Zenone Laertius ostendit. Iocus in Trebatium, qui nummatus esse posset sine nummis, more sapientum.

Caelo et terra frui] Fruuntur autem soli sapientes. Huc illud pertinet ex lib. 5. de Fin. c. 28. *Paupertas si malum est, mendicus beatus esse nemo potest, quamuis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam diuitem dicere ausus est.*

Postea videro] Modus loquendi, quo significamus, nondum nobis constitutum ac certum esse, quid aliqua de re sentiamus. simile illud epist. 25. *Praeter duo nos, loquitur isto modo nemo: bene malene, videro.* Et lib. 9. ad Attic. epist. 10. *Si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter; valde videro, et consideratius vtilitati nostrae consuluero.* Et lib. 1. de Leg. c. 21. *Cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox videro.*

Superbiam tuam] Non quod superbus esset, sed quod a nemine consuleretur. idem iocus lib. 1. epist. 10. *Qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas. Respondere* dicuntur iurisconsulti, cum iis, a quibus consuluntur, de iure ostendunt, qualis eorum caussa sit, quid vitandum, aut agendum. vnde in Bruto c. 30. *Rutilius magnum munus de iure respondendi sustinebat.* Et pro Murena c. 13. de Seruio: *vestra responsa atque decreta.*

Sed tamen] Quamquam nemo te consulat; hoc tamen laetare, quod istuc veneris, vbi ius ciuile melius, quam tu, nemo calleat. Iocus est: nam quae laus, Samarobrinae bonum iurisconsultum videri? Eiusdem generis illud epist. 10. *Quodsi in Britanniam quoque profectus esses: profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisset.* Et lib. 1. epist. 10. *Ibi malis esse, vbi aliquo numero sis, quam istic, vbi solus sapere videare.*

EPISTOLAE XVII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Trebatio, quod vrbis vrbanarumque rerum desiderium aliquando deposuerit: eumque cohortatur, vt Caesaris amicitiam plurimi faciat: quam fore fructuosam promittit, in seque ipsum recipit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Quinto fratri] Legato Caesaris in Gallia.

Gratias egi] Quod officiis te suis complectatur.

Leuis] Quia, cum iuisset ad Caesarem, vt honestatem augeret facultatesque suas, redire statim ad vrbem cupiebat.

Vrbanitatisque] Non est hic *vrbanitas* eadem, quae lib. 3. epist. 7. in eo loco: *Homo summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vsu, addo vrbanitatem, quae est virtus, vt Stoici rectissime putant.* Nam hic pro rebus vrbanis accipitur.

Piger] Quippe tribunatum contemserat. epist. 8.

Syngraphas] *Syngrapha* est, in qua scribimus, certam nos esse alicui pecuniam soluturos. Pro Murena c. 17. *Pergitisne vos, tamquam ex syngrapha, agere cum populo.*

Ad imperatorem] Ad Caesarem, a quo pecuniam tamquam e syngrapha debitam exigeres, et statim domum redires.

Alexandriam] Vt a Ptolemaeo, Alexandrino rege, pecuniam suam, ei Romae creditam, exigerent. Iocatur Cicero in re vera: vt ex orat. pro Postumo, in qua etiam c. 3. syngraphae in Albano Pompeii factae nominantur, satis constat. iidem Ptolemaei creditores significantur lib. 1. epist. 1.

Nummum adhuc nullum] Aliquot etiam ex iis in vincula coniecti: et nudus egensque Postumus, qui non modo suam, sed amicorum quoque pecuniam expulso regi crediderat, e regno fugit: vt eadem docet oratio.

Si mei commodi rationem ducerem] Quod Epicurei faciunt, qui suis commodis omnia metiuntur. epist. 12. et lib. 3. epist. 9.

Augendum atque ornandum] Augendum, commodis; ornandum, honoribus.

In prouinciam] In Hispaniam cum proconsule Pompeio. hac de re vid. epist. 5.

Vltro] Quod summi est amoris argumentum. itaque lib. 13. epist. 55. *cum*, inquit, *iam diu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, vt res declarat, quod vltro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem.* Et in orat. pro Coelio c. 2. *Nemini vnquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absenti M. Coelio: quem et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt, et ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt.*

Attulerim] Multis rebus potuit Cicero, si legatus cum Pompeio in Hispa-

Hiſpaniam iuiſſet, Trebatio conſulere. quod ipſe ait epiſt. 5. *C. Trebatium*, inquit, *cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, vt eum, meis omnibus ſtudiis, beneficiis quam ornatiſſimum, domum reducerem.*

Mea mutata ratio eſt] Mutaui conſilium. Sic locutus lib. 3. epiſt. 5. *Tua ratio poſtea eſt commutata.*

Honorificentiſſime] Lib. 1. epiſt. 9. *Hic multum valuit cum vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi et Q. fratri cum Caeſare fuiſſe, tum humanitas eius ac liberalitas, breui tempore et litteris et officiis perſpecta nobis et cognita.* Et ibidem infra: *Commemoranda quaedam, et diuina Caeſaris in me fratremque meum liberalitas.* Et lib. 4. ad Attic. epiſt. vlt. *Perſpice cum Caeſare ſuauiſſimam coniunctionem, (haec enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat) qui quidem Quintum meum tumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator.*

Incredibilem] Commemorandam et diuinam vocauit lib. 1. epiſt. 9.

Fidem] Qui, quos ſemel in amicitiam ſuam recepit, numquam deſerit.

Commendaui] Epiſt. 5.

Et tradidi] Plus eſt, quam *commendaui.* epiſt. 5. *Totum denique hominem tibi ita trado de manu, vt aiunt, in manum tuam iſtam, et victoria et fide praeſtantem.*

Grauiſſime] Grauiſſimis verbis, ſummum amorem ac ſtudium declarantibus.

Diligentiſſimeque] Sic, vt nihil praetermiſerim.

Accepit] Ita te eſt complexus, vt ego te grauiter commendaui.

Hunc tu virum nactus] Epiſt. 7. *Imperatorem liberaliſſimum habes.*

Si me aut ſapere aliquid, aut velle tua cauſſa putas] Si me nec iudicio falli, et fideliter tibi ſuadere exiſtimas.

Difficultate] Quae ſit in ea re, quam conſequi cupias.

Iucunda et honeſta] Iucunda quaedam ſunt, ab honore ſeiuncta: ideo addidit, *et honeſta:* ſicuti epiſt. 11. coniunxit *honeſtatem et facultates. iucunda* igitur *et honeſta*, pro vtilia et honorifica. non enim hic *honeſta*, valet, recta.

Praeſtabo] Aliter tamen ſcripſit lib. 3 ad Q. Fr. epiſt. 1. *Trebatium*, ait, *meum quod iſto admiſceas, nihil eſt. Ego illum ad Caeſarem miſi, quia mihi iam ſatisfecit. Si ipſi minus, praeſtare nihil debeo.*

Confirmandae] Iam enim eſt inſtituta, commendatione mea grauiſſima ac diligentiſſima.

Viberioris prouinciae] Hoc eſt, quod Suetonius de Caeſare ſcriptum reliquit c. 22. *Ex omni prouinciarum copia, Galliam potiſſimum elegit, cuius emolumento, et opportunitate, idonea ſit materia triumphorum.*

Aetatis] Ipſius Trebatii. epiſt. 7. *Aetatem opportuniſſimam habes.*

Si hoc amiſeris] Epiſt. 7. *Vt tibi vnum timendum ſit, ne ipſe tibi defuiſſe videare.*

In veſtris libris] Dixi iam, ſolitos eſſe veteres iurisconſultos ſuae ſententiae pondus addere, aliorum iurisconſultorum adſcripto iudicio. vide epiſt. 10. *Idem Mucio et Manilio placebat.*

Q. Cornelio] Trebatii magistro. epist. 8.

Labore] Militari, quem soles vitare tum pigritia, tum timore. Paullo ante in hac ipsa epistola dixit, *interdum piger, interdum timidus in labore militari.*

Non audiam] Gloriantem de rebus a te gestis. Festiua iocatio.

Qua spe, aut conditione] Spe futuri, conditione praesentis commodi.

EPISTOLAE XVIII.

ARGVMENTVM.

Laudat Trebatium, quod videretur certa aliquando in sententia constitisse, et velle in militia permanere. Tum iocatur in eius parsimoniam, quia scripserat in palimpsesto. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Diuersis temporibus] Eodem tamen omnes exemplo, vt infra cognoscitur.

Cetera delectarunt] Hoc pendet vsque ad illud, quod est infra: *cetera belle: illud miror.*

Fortem] Non, vt antea videbare, timidum. epist. 17.

Aestuare] Aestus est commotio vel in igne, vel in aqua; vel per translationem, in animo.

Tempore] Cum opus erit. *Tempore* et *tempori*, duobus casibus dicitur: vt e Cicerone, Plauto, et aliis cognoscitur.

Vestrae cautiones infirmae sunt] Tuum istic artificium tibi parum prodest: friget enim in bello ius ciuile. epist. 13. *Tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit.* Et epist. 16. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.* Occasionem dubitandi in verbo, *cautiones*, nonnulli attulerunt, affirmantes in antiquis libris esse, *causationes*. Ego in meis omnibus, qui sunt vndecim, plane video scriptum, *cautiones*.

Graeculam cautionem chirographi mei] Litteras commendatitias ad Caesarem graece scriptas mea manu. sic enim malo, quam, Graecis mistas versibus. *Cautionem* appellat, quod ita vtilis ei futura esset illa commendatio, vt iurisconsultorum cautiones iis vtiles esse solent, a quibus de iure consuluntur. sic epist. 13. *vt ego quoque*, inquit, *te aliquid admoneam de nostris cautionibus: Treuiros vites censeo.*

Gallici belli] Videtur iam absolutum esse bellum Britannicum: de quo in superioribus epistolis.

Ignauissimo cuique] Fortes enim rem gerunt: ignaui spectant, et singula notare solent: itaque narrantibus ignauis maior habenda fides est, quam fortibus.

Cetera belle] Redit ad id, quod coeperat dicere, *in quibus me cetera delectarunt.*

Quis

Quis solet eodem exemplo] Miror, inquit, cum tua manu scribas, eodem exemplo plures a te epistolas mitti. Hinc licet coniicere, epistolas illas, quas Cicero se diversis temporibus accepisse dixit, eodem exemplo omnes fuisse.

In palimpsesto] *Palimpsestus* membrana fuit iterum abrasa, vt aliquid rursus in ea scriberetur. vnam autem ex illis epistolis, non omnes, in palimpsesto scripserat Trebatius.

Chartula] Palimpsesto. breuem epistolam fuisse constat, quae scripta fuerat in palimpsesto.

Quam haec scribere] Cum in hoc loco diuersis temporibus innumerabiles prope inspexerim veteres libros, omnes tamen consentire animaduerti: quo magis adducor, vt dissentiam a Bernardino Rutilio, qui primus legendum arbitratus est, *quam haec non scribere*. At sententia postulare negantem particulam videtur. Esto: quis praestabit, numquam falli nos in eo, quod videtur? quod si mutandum, quod facile concesserim, et ego ipse in emendandis libris vti coniectura interdum soleo: mutatio modica sit, quaeque a litterarum similitudine non discedat. itaque crederem, non absurde legi posse, *quam exscribere*. diuinat enim Cicero, quod ex illa chartula deletum sit, exscriptum non esse: siquidem, qui scribit in palimpsesto, chartae laborat inopia: itaque delere mavult, quam exscribere. Haec ita opinabar, vt mihi ipse nec placerem valde, nec omnino displicerem.

Formulas] *Formulae* sunt ea, quae iurisconsulti litigantibus praescribunt, ne caussa cadant: quae *cautiones* etiam dicuntur. sunt et quaedam quasi normae iudiciorum, aeque omnibus obseruandae, *vt formula fiduciae*, epist. 12. et *Aquilii de dolo malo formulae*, lib. 3. de Offic. c. 14. et *dati damni formula*, apud Plinium lib. 9. c. 59. Ex hoc genere non fuere Trebatii formulae, sed ex illo superiore, cum scribebantur, hodieque scribuntur, clientibus in re controversa.

Non enim puto] Per iocum significat, pluris esse epistolas suas, quam formulas Trebatii.

Frigere te] Nullum te istic fructum capere e scientia iuris ciuilis. epist. 11. *Sin autem ista frigebunt, recipias te ad nos.*

Suppeditare] Neutrum absolutum, vt in orat. pro Scauro: *Vndique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint.* Et lib. 1. de Offic. c. 4. *Studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum.* Cum agendi vero significatione notius est, quam vt exempla requirantur.

Tecum extuleris] Nam, si eam tecum non attulisses, sine verecundia peteres: nunc, quia te pudor a petendo deterret, nihil accipis. Haec quoque per iocum. nam epist. 5. pudorem in laude posuit, cum dixit: *meliorem virum, pudentiorem esse neminem.* Et epist. 7. *Multum te in eo frater adiuuabit meus, multum Balbus: sed, mihi crede, tuus pudor et labor plurimum.*

More Romano] Grauissime et diligentissime. epist. 5.

Metrilii Philemonis] Veteres libri nonnihil dissentiunt: alii enim,

enim, *Metilli*, alii *Meuilii*, alii *Metrinii*, alii aliter habent. suspicatus sum adolescens, neque nunc muto sententiam, legendum esse, *M. Aemilii Philemonis:* vt sit libertus Aemiliae gentis, et is fortasse, de quo Pedianus haec in argumento orationis pro Milone: *Munatius Plancus tribunus plebis produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi.*

Iam audieram] Quia non longe aberant.

Fremitum] Cum ad salutandum patronum suum Ciceronem ire vellent honoris caussa.

Clientium meorum] Clientes suos Trebatius, in Galliam proficiscens, Ciceroni commendauerat. ideo sequitur: *quos quidem tu mihi conciliasti.* et epist. 12. *Quid fiet populo Vlubrano, si statueris, πολιτεύεσθαι non oportere?*

Vlubris] Vlubrae, opidum non celebre. *vicum desertissimum* appellat Porphyrio in Horatii lib. 1. epist. 11. v. 30.

Vim maximam] Maximum numerum. nota significatio.

Ranunculorum] Quia paludes Vlubris propinquae, *ranunculos* vocauit Vlubrarum incolas, iocans in Trebatii clientes.

Arruntio] Sic scribitur hoc nomen in antiquis lapidibus.

Innocentem] Cum in ea nihil scriptum esset, quod, si efferretur, nocere tibi posset.

Tam notis rebus] Gestis a Caesare in Gallia: quae leguntur in ipsius Commentariis.

EPISTOLAE XIX.

ARGVMENTVM.

Post obitum Caesaris, M. Antonio, P. Dolabella coss. cum ciuitas respirasse, et quasi reuixisse respublica videretur; repente Kal. Iun. Antonii consulis culpa, ita mutata sunt omnia, vt boni viri tum de statu reipublicae, tum de sua quisque salute vehementer timere cogerentur. Quae cum Cicero vidisset; desperata libertate, consilium cepit in Graeciam proficiscendi, discessitque ea mente, vt adesset Kal. Ian. quod initium cogendi senatus, Pansa et Hirtio consulatum ineuntibus, fore videbatur. Hanc rem attingit Cicero lib. 10. epist. 1. et lib. 12. epist. 25. et in Phil. 1. c. 1. seqq. et lib. 3. de Offic. in extremo. Cum igitur in Graeciam proficiscens Veliam peruenisset; ab ipsa vrbe, Trebatii amantissima, admonitus, Topicorum librum scripsit, de quo iam rogatus erat a Trebatio, cum in Tusculano simul essent. id significat in hac epistola: Topica vero ipsa obscuriora esse dicit, nec legenda sine interprete: exercitationem esse necessariam, si expeditam in quaestionibus habere doctrinam velit. Hanc epistolam post sequentem scriptam esse, adscripta vtrique dies ostendit.

EXPLANATIO.

Praesenti tibi] In Tusculano. vide prooemium Topicorum.

Prope subnegarem, non tribuerem certe] Cum Trebatius disciplinam

plinam et rationem peteret inueniendorum argumentorum; hortatus est eum Cicero, vel vt Aristotelis Topica per se ipse legeret, vel vt a doctissimo quodam rhetore totam illam rationem acciperet. Hoc est, quod ait: *prope subnegarem.* Vide prooemium Topicorum.

Debere non potui] Id volui persoluere. Quod ab amicis petitur, id, donec tribuamus, deberi a nobis dicimus: cum vero, id omnino a nobis tribuendum, significare volumus, deberi non posse dicimus. exemplum est hac ipsa de re in Topicorum prooemio, et lib. 4. ad Attic. epist. 2. *Oratio iuuenturi nostrae deberi non potest.* Et lib. 3. de Orat. c. 5. *An me tam impudentem esse existimatis, vt vobis hoc praesertim munus putem diutius posse deberi?* Et Tusc. 2. in extremo: *Et tibi hoc video non posse deberi.*

Aristotelea] Quod in eum librum praecepta Aristotelis multa transtulit. nonnulla tamen addidit de suo.

Ab ipsa vrbe commonitus] Similiter lib. 2. epist. 11. *Mihi, mehercule, magnae curae est aedilitas tua. ipse dies me admonebat. scripsi enim haec ipsis Megalensibus.* Quo loco vide quae diximus.

Amantissima tui] Vel quod Trebatius Veliae notus: vel quod ibi possessiones, a patre relictas, haberet.

Rhegio] Scribendum cum adspiratione: dictum enim ἀπὸ τῦ ῥαγῆναι, ait Strabo lib. 6.

Litteris] Ex ipsis tantum litteris, et quasi muto libro.

Non longe abieris] Non longe petantur exempla.

Doctorem tamen vnum quem ERN. *lumenque*] Qui doceat et illustret ea, quae obscuriora sunt. Dixit iam: *sin tibi quaedam videbuntur obscuriora.* Et cum negauerit vllam artem sine interprete et sine exercitatione aliqua litteris posse percipi: hic pro interprete, doctorem nominat: de exercitatione autem subiunget iis verbis: *vt vero etiam ipsi tibi loci, proposita quaestione, occurrant, exercitatione consequere.* Veteres libri non consentiunt. duo habent, *lumenque*, quos secutus sum: alii varie, *vsumque, vnumquemque, nonnumquam.*

Per te] Sine doctore.

Vt certe] Si non omnia, hoc certe, vt intelligas, consequere. Notanda vis vocabuli, quam et Terentius indicat in Andr. Act. 4. Sc. 1. v. 16.

Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nihil promoueris.
Multum. molestus certe ei fuero; atque animo morem gessero.

Ipsi loci] Sedes argumentorum. In Topicis c. 2. *Vt earum rerum, quae abscónditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis inuentio est: sic, cum persequi argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus: sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem: argumentum autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem.*

Nos te continebimus] Post oppressam rempublicam contulit se Cicero ad domesticas exercitationes; ne facultas dicendi, ante parta

parta in foro, exaresceret. lib. 9. epist. 18.

Redierimus] E Graecia: cogitabat enim adesse Romae Kal. Ian.

Salua ista] Res vrbanas, quas pessime affectas relinquebat; vt in argumento ostendimus.

Rhegio] Vnde discedens, librum Topicorum Trebatio mittebat. dixit enim: *eum librum tibi misi Rhegio.*

EPISTOLAE XX.

ARGVMENTVM.

Scribit de amore Velienſium in Trebatium: et hortatur, ne paternas poſſeſſiones vendat, quae, tam miſeris temporibus, perfugium eſſe poſſint. Adſcripta dies indicat, ante ſuperiorem datam eſſe.

EXPLANATIO.

Rufio tuus] Rufionem Trebatii gentilem fuisse, didici ex hoc antiquo lapide, qui est Romae ad portam Latinam.

C. VIBIVS. C. F. MACER. C. TREBATIVS. RVFIO. FACIVND. CVRAVERVNT.

Aedificationem tuam] Aedificabat Trebatius in regione Lupercali proxima.

Lupercal] Locus, vbi lupa Romulum et Remum aluit infantes.

Halethem ERN. *Heletem*] Veteres libri omnes, *Haletem:* sed ex Strabone lib. 6. et lib. 16. ad Attic. epist. 7. apparet legendum esse, *Heletem.*

Nobilem amnem] Quia Veliam ab eo nomen accepisse traditum est. Strabo.

Papirianam] Emptam de Papirio quodam a Trebatio, vel ab eius patre.

Lotum ERN. *Lucum*] Sunt, qui *lucum* ideo male legi credant, quod neque luci capax esset priuata domus; et luci, quia sacri, non sine scelere incidi possent. Vtraque ratio parum firma. primum enim, lucum illum non intra aedes Trebatii, sed ante eas fuisse, licet existimare: deinde, ne Cicero putetur impie sensisse, qui eum a Trebatio caedi vellet; docet M. Cato, quo modo recte et sine piaculo caedi lucus posset. Quod attinet ad veteres libros; vnum tantum vidi, in quo est, *lacum:* reliqui omnes habent, *locum.* ex quo, *lotum*, quidam legere maluerunt. quam coniecturam probare non possum; cum proxime sequatur, *a quo:* quod certe ad arborem lotum referri posse, nemo dixerit. Praeterea, luco magis, quam vnius arboris vmbra vel forma teneri aduenas, credibile est; quod ideo dico, quia sequitur, *a quo etiam aduenae teneri solent.* Iam illud, *multum prospexeris*, aptius pertinere arbitror ad lucum, quam ad arborem. magis enim prospectum lucus impedit, quam arbor: cum praesertim, *prospexeris*, intelligendum videatur, e toris aedibus, non ex vno tantum cubiculo, aut vna aedium parte.

Vide-

Videbis] Pro, curabis. lib. 5. ad Attic. epist. 1. *Anteceſſerat Statius, vt prandium nobis videret.*

Diis iuuantibus] Sic locutus et in Phil. 3. c. 14.

Ante brumam] Cogitabat esse Romae Kal. Ian. Phil. 1. c. 2. *Ea mente discessi, vt adessem Kalendis Ianuariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.* Bruma dictus est breuissimus Decembris mensis dies, solis hiemale solstitium. Festus.

Niconis] Medici.

Abstuli] Veliae.

Περὶ πολυφαγίας] De edacitate.

Docilem] In illo, opinor, libro documenta inerant, quo modo, incolumi valetudine, plurimum edi posset.

Increbescit] Flare incipit vehementius. creber enim venti spiritus magis intendit vela, quam rarus. Quaestio est, vtrum dici debeat, *increbesco*, an *increbresco*, et *increbuit*, an *increbruit*. Ego sequor similitudinem. nam quia *ruber* et *creber* eodem plane modo definunt; et a *ruber* fit verbum *rubeo;* a cuius deinde secunda persona, addita syllaba *co*, fit *rubesco:* sic a *creber* deductum est inusitatum hodie verbum, *crebeo;* a cuius item secunda persona factum est *crebesco*, vnde *increbesco*. non enim me mouent *nigresco*, et *macresco:* quia deducuntur a *nigreo*, et *macreo:* cum *rubesco* non a *rubreo*, sed a *rubeo* deriuetur; et cum *rubesco* et *erubesco* maiorem habeat similitudinem cum *increbesco*, quam cum ceteris verbis, quippe cum a simillimis nominibus, *creber*, et *ruber*, deducantur. Nam, quod aiunt viri docti, ideo scribendum, *increbresco*, quod a nominibus iis, quorum patrius casus exit in *ri*, vt *integri, sacri*, fiat *integrare, sacrare:* ostendi iam, sic excipi ab hac regula *increbesco*, vt excipitur *erubesco*. Quod autem iidem affirmant, *rubesco*, vnde fit *erubesco*, non a *rubeo*, sed a *rubore* formari, vt *pallesco* a *pallore*, *puteo* a *putore*, *feteo* a *fetore*, *candeo* a *candore*, *caleo* a *calore:* argumentum componitur ex dissimilibus. nam illa, *puteo* a *putore*, *feteo* a *fetore*, *candeo* a *candore*, *caleo* a *calore*, similia sunt, et recte dicuntur: at, *pallesco* a *pallore*, non eodem modo recte dicitur. fit enim *pallesco* a *palleo*, *palles:* et *palleo* a *pallore*. itidemque *rubesco*, a *rubeo*, *rubes:* et *rubeo* a *rubore*.

Velia] Cum in Graeciam iret.

EPISTOLAE XXI.

ARGVMENTVM.

Silii caussam, viri optimi, amici sui, Trebatio commendat. Incertus videtur annus epistolae: ego tamen suspicor esse scriptam, quo anno Caesar necatus est. Suspicor autem ex mentione Q. Caepionis praetoris: qui, nisi fallor, est M. Brutus, is, qui in Caesarem coniurauit. gessit enim praeturam eo anno, vt ex historicorum libris, et lib. 11. epist. 2. et 3. cognoscitur: et Q. Caepio vocatur in Phil. 10. c. 11. quod erat, vt arbitror, adoptatus ab auunculo Q. Seruilio Caepione; quem nominat Plutarchus in Catone Vticensi.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Silii] Ad quem sunt epistolae lib. 13.

Sponsionem] Ne boni viri litibus iniustis pro aliena libidine vexarentur; cogebatur et is, qui de aliqua re, tamquam sibi debita, verbi gratia, de hereditate, litem intenderet, et is, qui infitiaretur, promittere, se daturum, nisi iudicio vinceret, certam pecuniam adversario: vt, eo metu iniecto, reprimeretur litigandi libido. haec actio vocabatur *sponsio*: quia *spondere* est promittere. Simile erat, non tamen idem, *sacramento contendere*. nam pecunia vtrimque deponebatur apud pontificem: vt is, qui caussa cecidisset, duplici damno afficeretur, primum amissae litis, deinde pecuniae litis caussa depositae. qui vicerat, suam pecuniam auferebat: victi pecunia in rebus diuinis consumebatur. In sponsione similiter pecunia deponebatur: sed exitus non idem, qui in sacramento, erat. nam, qui sponsione vicerat, non modo sua, sed aduersarii quoque pecunia potiebatur. in sacramento autem suam tantum pecuniam victor auferebat: victi redibat ad aerarium, vt ait Varro. Sed de sacramento infra, in epist. 32.

Illam] Quae sequitur: *si bonorum Turpiliae, etc.*

Nos] Silium. *Nos* dicit, tamquam ageretur de sua re.

Sine periculo] Quod enim is, qui litem infert, probari a se posse putat, id in sponsione pronunciat. itaque videndum, quibus verbis sponsionem faciat.

Ni ERN. *Si bonorum Turpiliae possessionem Q. Caepio praetor ex edicto suo mihi dederit*] Hereditatem sibi a Turpilia relictam Silius ex edicto praetoris acceperat. vocatus in iudicium a Turpilio propinquo, eandem hereditatem repetente, quia Turpiliae factionem testamenti fuisse negaret, sponsionem facere cogebatur: de qua consuluit peritissimos iurisconsultos, Ser. Sulpicium, et Ofilium: et, cum Trebatii quoque sententiam scire vellet, Ciceronis opera vsus est. Videtur autem pro, *si*, legendum *ni*: vt ita sponderet Silius: ni bonorum Turpiliae possessionem Q. Caepio praetor ex edicto suo mihi dedit, spondeo me daturum aduersario tantum pecuniae, quantum in sponsionibus promitti solet. Reliquae quoque sponsiones eodem modo incipiebant, vt illa in orat. in Pison. c. 23. *Cum ego Coelimontana porta introisse dixissem, sponsione me, ni Esquiliana introisset, homo promptissimus lacessiuit.* Et lib. 3. in Ver. c. 57. *Quid? cum palam Syracusis, te audiente, maximo conuentu P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessiuit,* NI APRONIVS DICTITARET, TE SIBI IN DECVMIS ESSE SOCIVM. Et alibi.

Seruium] Sulpicium, principem iurisconsultorum, vt ait Cicero in Bruto c. 41.

Instituisset] Feciſſet.

Factionem testamenti] Ius faciendi testamenti. Ita locutus in Topicis c. 11. et Papinianus L. 3. D. qui testam. fac. poss. *Testamenti factio*, inquit, *non priuati, sed publici iuris est.*

Ofilium]

Ofilium] Clarum iurisconsultum, de quo Pomponius L. 2. §. 44. D. de orig. iur.

Testa] Cognomen Trebati epist. 13. et 22.

Veneris] In vrbe videtur fuisse Trebatius, extra vrbem Cicero.

EPISTOLAE XXII.

ARGVMENTVM.

Probat auctoritate iurisconsultorum, quod dixerat dubitari, posse tne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere. Scriptam opinor eodem anno, quo superiorem proximam.

EXPLANATIO.

Illuseras heri inter scyphos] *Scyphus* vas potorium fuit. Tibullus lib. 1. el. 11. v. 7.

—— *Nec bella fuerunt,*
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

Macrobius lib. 5. Saturn. c. 21. Herculis ait poculum fuisse, vt Liberi patris cantharum: et Virgilium Graeca poculorum nomina posuisse, carchesia, cymbia, cantharos, scyphos. Scyphos aureos conviuis appositi Claudius Caesar. vitreis in priuata mensa Ciceronem ac Trebatium vsos esse, credibile est. Incertae mensurae fuit: nam *capaciores scyphos* Horatius, Epod. 9 v. 33. et Trebellius Pollio in Claudii vita c. 17. trilibres nominat duos Claudio a Galieno donatos. quo patet, minoris etiam mensurae fuisse. Vasa autem vinaria mensurae fuerunt vel certae, vel incertae: certae, vt culeus, amphora, vrna, congius, sextarius, hemina, cyathus. culeus capit amphoras vicenas, amphora vrnas duas, vrna congios quattuor, congius sextarios sex, sextarius heminas duas, hemina cyathos sex, cyathus vnciam et bessem. quae si ad eorum vasorum, quibus hodie Romae vtimur, mensuram rediguntur; culeus barilium decem erit quae fortasse veteris bottae Romanae mensura fuit: amphora dimidium barilis capiet: vrna quartam barilis partem: congius buccalia duo: sextarius tertiam partem buccalis: hemina foliettae duas tertias capit. Incertae mensurae dolium vnde in vasa minora vinum diffundebatur, quo vsus commodior esset: nam dolia loco non mouebantur: item cadus, seria, cupa, lagena, (si tamen a lagyno differt, quod Athenaeus lib. 11. capere ait duodecim choas Atticas) praeterea, cirnea crater, scyphus, calix, cymbium, culullus, patera, cantharus, alia. Bottis nostratibus Romae olim non vtebantur, sed vina doliis fictilibus asseruabant. circa Alpes tantum, frigidissima coeli plaga, ligneis vasis, quae circulis cingerentur, vinum condi solitum, Plinius ait lib. 14. c. 21. nam cupa lignea quidem, sed inter minora vasa videtur fuisse, quibus non diu custodiendum, vt doliis, sed assidue promendum, vinum reponeretur. quod illud Ciceronis in Pisonem c. 27. declarat: *Panis et vinum a propola, atque de cupa.* Et illud Naeuii apud Nonium: *Duas cupas mero*

plenas exhauſit. quamquam aduerſari videntur illa Plinii verba lib. 23. c. 2. *Vini faeci tanta vis eſt, vt deſcendentes in cupas enecet.* Hinc enim licet opinari, magnum vas fuiſſe. nec diſſentit Lucanus lib. 4. v. 420. cum ait:

Namque ratem vacuae ſuſtentant vndique cuppae.

Vlpianus quoque L. 15. §. 6. D. de vſufr. dolia cum cupis ſimul nominat. Cupa vero a Catone nominata, diuerſum quiddam eſt.

Furti recte agere] Haberetne actionem aduerſus eum furem, qui furatus eſſet, ante quam ipſe heres eſſet. ideo enim dubitari poteſt, quia non videtur heres ea, tamquam ſua, poſſe repetere, quae nondum ad eum hereditario iure perueniſſent. Sed controuerſiam tollunt Paulli, veteris iurisconſulti, verba, L. 47. D. de furt. *Si dominium,* inquit, *rei ſubreptae quacumque ratione mutatum ſit, domino furti actio competit, veluti heredi, et bonorum poſſeſſori, et patri adoptiuo, et legatario.*

Bene potus] *Bene* pro valde, vt epiſt. 16. *bene nummatum:* et Afinius lib. 10. epiſt. 32. *bene peculiatus.*

Sex. Aelium] Acutum hominem: vnde ab Ennio *catus* vocatus eſt in illo verſu,

Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus.

lib. 1. de Orat. c. 45. ibidem lib. 3. c. 33. et in Brut. c. 20. et in Tuſc. 1. c. 9. et Varro lib. 6. de L. L. et Pomponius L. 2. §. 37. D. de orig. iur.

M. Manilium] Opinor huius Manilii praenomen fuiſſe Manius, quod ita ſcribebatur, *M'.* vnde fluxit error, ſimilitudine litterarum, et praenominis ignoratione. In faſtis etiam Capitolinis, anno 604. video conſulem eſſe M'. Manilium. nominatur lib. 1. de Orat. c. 48. et ibidem lib. 3. c. 33. et in Bruto c. 28. et apud Pomponium L. 2. §. 39. D. de orig. iur. et alibi.

M. Brutum] Qui ſeptem de iure ciuili libros, vt ait Pomponius L. 2. §. 39. D. de orig. iur. reliquit.

Scaeuolae et Teſtae] Trebatium ſuis cognominibus appellat. *Teſta* enim vocatur epiſt. 13. et 21. *Scaeuola* vero lib. 9. ad Attic. epiſt. 15. locatur Cicero, et poſt verbum *Scaeuolae*, addit copulam *et:* vt videatur de duobus loqui, cum de vno loquatur. Aut dic, P. Mucium ſignificari, quem et lib. 1. de Fin. c. 4. cum Manilio et Bruto nominat, eosque vocat principes ciuitatis: niſi ſi Mucium Scaeuolam illum notat, de quo epiſt. 10.

EPISTOLAE XXIII.

ARGVMENTVM.

Signa quaedam Ciceroni, pictas potius tabellas cupienti, Gallus emerat. ex illis emptionibus nullam a ſe deſiderari, Cicero reſcribit. Tum ſubiungit, ſibi eſſe vehementer gratum, quod proximam domum cupiat conducere. Incertus epiſtolae annus. non enim ſcripta videri poteſt eodem tempore, quo illae ad Attic. lib. 1. in quibus item de ſignis agitur. nam illae ante conſulatum, quod probauimus olim in Commentariis,

tariis, haec vero post consulatum scripta. quod, opinor, illa verba satis ostendunt: Martis vero signum quo mihi pacis auctori? *Praeterea, de Tulliola, tamquam nupta, in hac mentio fit: illae vero, nondum nuptae scriptae sunt. Accedit, quod in hac non de Xysto, verum de porticu ornanda cogitare se ostendit: in illis de Xysto, qui porticus antiquior fuit, atque etiam de palaestra et gymnasio.*

EXPLANATIO.

Tantum quod] Tempus indicatur proxime praeteritum: quod alibi et ab ipso Cicerone, et a Terentio, *commodum* dicitur.

Auiani] Statuarii, qui nominatur lib 1. epist. 2. quo loco vide, quae diximus.

Nomina se facturum] Accepti et expensi ratio in tabulas referebatur: quae vocabantur *nomina*: quia debitorum et creditorum nomina scribebantur. *Nomina igitur facere*, est, id, quod Cicero pro hoc vel illo signo deberet, in tabulas referre.

Qua ego vellem die] Vt solverem, quando vellem.

Fac, quaeso, qui ego sum, esse te] Lib. 3. epist. 12. *Suscipe paullisper meas partes, et eum te esse finge, qui sum ego.*

Plus annua] Plus annua die. lib. 12. ad Attic. epist. 3. *Delegationem a mancipe, annua die.*

Ad eam summam] Non pluris, quam volueram. In delectu enim et in pretio peccaverat Gallus. Infra: *Ista quidem summa nae ego etc.*

In omni iudicio elegantissimum] Qui nihil vulgare, nihil abiectum, aut sordidum probare solitus es, quacumque de re iudicas.

Maneat Damasippus in sententia] Scripserat, opinor, Gallus, empturum ea signa Damasippum, si Ciceroni non placerent. Horatius lib. 2. Serm. Sat. 3. v 64.

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Ex istis emptionibus] E signis a te emptis. alia enim Cicero desideraverat.

Instituti mei] Quod est huiusmodi, vt omnia signa tanti non aestimem, quantum a te in ista quattuor erogatum est.

Ista quattuor aut quinque] Bacchas tres, Martem quartum, trapezophorum quintum.

Bacchas] Musarum sacerdotes.

Cum Musis Metelli] Cum signis Musarum, quae erant apud Metellum. fortasse Metellus ille Scipio.

Quid simile] Idem loquendi modus lib. 9. epist. 15. *Catulum mihi narras, et illa tempora. Quid simile?*

Primum] Lector exspectat, *deinde:* sed hic, vt etiam alibi, desideratur: sententiae tamen nihil deest. nam quae vis in *deinde*, eadem continetur in eo quod sequitur, *sed tamen.* vide illud lib. 2. epist. 9. *Primum tibi, vt debeo, gratulor.*

Tanti] Quanti emisti Bacchas istas.

Musis omnibus approbantibus] Ipsae Musae, non aestimari se tanti, quanti a te istae Bacchae aestimatae sunt, non moleste ferrent.

Ioci genus est: *Ipsas ego Musas numquam tanti putassem: atque id feci̇ssem Musis omnibus approbantibus.* Similem in sententia venustatem quaesiuit, cum dixit in libro de Consolatione in fragm. *Te omnium optimam, doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo.* Et lib. 12. epist. 25. *Quinquatribus frequenti senatu caussam tuam egi, non inuita Minerua. Etenim eo ipso die senatus decreuit, vt Minerua nostra, custos vrbis, quam turbo deiecerat, restitueretur.*

Saepe vidi] Non illa ipsa, quae Gallus emerat, sed similia Bacharum signa. Cum et nouerim, inquit, optime Bacchas istas, et saepe viderim, nec tamen tibi, vt eas emeres, nominatim mandauerim: me non iis delectari, poteras facile suspicari.

Ea enim signa — in palaestra locum] Quae sic in palaestra villae meae Tusculanae locum exornent, vt publicis in gymnasiis, praestantium virorum aut deorum signis locus idem exornari solitus est. *Gymnasium* et *palaestra* diuerso nomine rem eandem significant. *gymnasium* enim dictum, quod in eo nudi homines luctarentur: *palaestra* vero ἀπὸ τῆς πάλης, id est, a lucta, nomen accepit. In hac tamen opinione non nihil conturbor, quod lib. 1. ad Attic. epist. 10. *palaestrae* et *gymnasii*, tamquam diuersarum rerum, mentionem fieri video. *Si quod*, inquit, *aliud οἰκεῖον eius loci, quem non ignoras, reperies, et maxime, quae tibi palaestrae, gymnasiique videbuntur esse.* Et Plautus in Rud. Act. 2. Sc. 1. v. 6.

Ex vrbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnastico et palaestrico, hoc habemus.

Et in Amphitr. Act. 4. Sc. 1. v. 3.

— Omnis plateas perreptaui, gymnasia et myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palaestra atque in foro.

Rursus idem Plautus in Bacch. Act. 3. Sc. 3. v. 20. 21. *palaestram* a *gymnasio* non distinguit: ait enim:

Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras,
Gymnasii praefecto haud mediocris poenas penderes.

Et Quinctilianus lib. 2. c. 8. *Si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit.* Dubitatio tolletur, si patere latius *gymnasii* nomen, quam *palaestrae*, existimemus: vt *palaestra* gymnasii sit pars, in qua lucta exercetur: *gymnasium* autem et palaestram, et alia loca complectatur: cum in eo disputetur etiam, et deambuletur, et alia fiant. ita nomen *gymnasii*, quamquam ab vna re natum, ad alias producitur: *palaestrae* non item. neque hanc sententiam, vt opinor, exempla, quae attulimus, infirmant. quis enim non intelligit, transire Ciceronem a parte ad totum, cum ait in epistola illa ad Atticum: *quae tibi palaestrae gymnasiique videbuntur esse?* Et hic, cum inquit, *exornent mihi in palaestra locum*; de gymnasii parte, luctae dicata, loqui videtur: in qua parte locum signis exornare cogitabat.

Aes

Aes alienum] Martis enim et Saturni signa nihil prosperum promittere, astrologi confirmant: stulte, qui diuinationem rerum futurarum, quae soli Deo notae sunt, ad suam scientiam reuocent.

Mercurii] Cuius astrum propitium putatur.

Felicius] In emptione signorum. is autem feliciter transigit, qui rem expetitam paruo emit. Video esse, qui legendum putent, *facilius*, pro *felicius*. ego, cur mutetur, causam nullam video. nam et sententia satis aperta: et omnes libri veteres habent, *felicius*. Porro, quod aiunt, nullam felicitatem in hoc negotio reperiri potuisse: dixi iam, *feliciter transigere*, quid sit. Felicitatem autem in emendis ab Auiano signis, non, vt iidem arbitrantur, in vendendis post emptionem, hic significari, nomen Auiani demonstrat, qui et supra tamquam venditor signorum appellatus est. Praefuisse Mercurium lucris, docet Plautus in Amphitr. Prol.

Transigere possemus] Transactum iam erat, vt supra constat: conuenerat enim de summa inter Gallum et Auianum: solutionis tamen dies definita non erat; sed scripserat Auianus, nomina se facturum qua Cicero die vellet. dicit igitur, *possemus*, in emptione: et praeteritum tempus reducit ad praesens, vt si dicat: liceret nobis ab Auiano minoris emere, quam tu emisti.

Destinaras] Assignaueras. Pro Sextio c. 30. *Quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus?*

Trapezophoron ERN. *Trapezophorum*] Qui mensam fert. veteres libri, *trapezephorum*: sed Graece, τραπεζοφόρος, et τραπεζοποιὸς cum ο in tertia syllaba, et γαζοφυλάκιον, vt in aliis similibus. Suidas.

Diuersorium] De diuersorio diximus lib. 6. epist. 19.

Tarracinae] Vetus nomen *Anxur* fuit, recentius *Tarracina*. Liuius lib. 4. c. 59. *Anxur fuit, quae nunc Tarracinae sunt; vrbs prona in paludes*. Plinius lib. 3. c. 5. *A Circeiis palus Pontina est, dein flumen Vfens, supra quod Tarracina opidum, lingua Volscorum Anxur dictum*. Horatius tamen lib. 1. Serm. Sat. 5. v. 26. praeter consuetudinem dixit,

Impositum saxis late candentibus Anxur,

versus commoditatem quaerens ex antiquo nomine. Prius igitur nomen mutauit, deinde etiam locum, sed infra aetatem Horatii. nam, cum dixit,

Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur:

perspicue demonstrat, sitam in monte Tarracinam fuisse. Et Porphyrio subiungit haec: *Merito* repimus, *inquit*, *et*, impositum saxis: *quia illis temporibus adhuc Tarracinenses vrbs in altissimo monte erat, inde postea in aequiorem locum deposita est; vt non solum sint adhuc vestigia aedificiorum in monte, sed et murorum*. Tacitus lib. 10. Annal. municipium vocat.

Exhedria] Loca in porticibus, vbi sedentes disputare soliti erant. Vitruuius lib. 5. c. 11. et Cicero lib. 3. de Orat. c. 5. *Exhedra* ta-

men, muliebri genere, vsitatius. sed, *exhedrium*, inde factum, ὑποκοριστικῶς.

Noua] Ergo erant et vetera, in porticula, vt haec, sed in porticu ampliore, id est, in Xysto, qui nominatur lib. 1. ad Attic. epist. 8.

Arcessantur] Si differunt *arcessere* et *accersere* vt Carisio et Diomedi placet; omnino hic legendum *accersantur*, non *arcessantur*. sin autem sequimur eos libros, qui vetustate excellunt: vnicum dicemus esse verbum *arcessere*, duplici significatione; pro accusare, et pro vocare; vel vocatum ire. mihi, quid statuam, non liquet. nam et Carisii ac Diomedis auctoritate moueor, quos de verbo *accersere*, non somniasse credibile est, sed veteres libros vidisse, in quibus ita scriptum esset: et rursus antiquissimis exemplaribus, quae nunc habemus, multum tribuo: consentiunt enim vbique omnes in verbo *arcessere*. vt eam rationem omittam, quod *arcesso* vnde formetur, apparet: *accerso* autem vnde ducatur, non video: nam si deduceretur ab *accio; accesso* esset, non *accerso*. praeterea, quae significatio ponitur a Grammaticis in verbo *accerso*; eadem mihi videtur esse posse in *arcesso*. nam, qui accusat, idem vocat in iudicium. quod si credimus; non ab *arceo*, quod nihil ad vocandum pertinet, potiusque contrarium ostendit, sed ab *accio*, vel *adcio*, deductum *arcesso*, mutatione secundae litterae, arbitrabimur.

Pseudo-Damasippum] Damasippi similem, qui omnino ea signa emat: quod se Damasippus facturum ostenderat. sic *pseudocato*, lib. 1. ad Attic. epist. 14. *Bonis vtimur tribunis plebis, Cornuto vero pseudocatone*. et Pseudophilippus, lib. 2. de Leg.

Vel cum iactura] Vel si minoris vendenda sint, quam tu emisti.

De domo] Tibi prope me conducenda.

Proficiscens] Ab vrbe in Arpinatem agrum, vnde redierat paullo ante, quam has litteras daret. itaque dixit initio litterarum: *Tantum quod ex Arpinati veneram.*

Nicia] Grammatico. Lib. 9. epist. 10. et Suetonius de clar. Grammat. c. 14.

Cassio] Cum infra soror eius *Licinia* nominetur; possumus opinari, vel, *Crasso*, legendum; quia Crassi Liciniae gentis, et feminae gentilitio nomine appellabantur; vel fororem eius quidem Liciniam, germanam tamen non fuisse: vt fratres quoque dicuntur, qui patrueles, consobriniue sunt: itaque mutatio necessaria non putetur.

Quaesiui de mea Tullia] Lib. 3. epist. 6. *Quaesiui ex Phania.*

Per Liciniam se egisse] Si potestas tradendae domus penes Liciniam fuisset: non dixisset Cicero, *per Liciniam*, sed *cum Licinia. Per Liciniam* autem *agere*, est, Liciniae opera vti, vt cum alio agat, nimirum cum eius fratre Cassio, earum aedium domino, quas Licinia habitabat: quae tamen, quod ad ipsam attinebat, audere se negabat, absente et insciente viro migrare.

Dexius] Sic in vetustioribus libris. alii recentiores varie, *Dextus*, *Desius*, *Dixi*. Dexiorum gentem nondum habeo cognitam.

Vitae victusque nostri] Non est satis, vna viuere: sed communis victus auget vitae iucunditatem.

lib. 9. epist. 24. *Moneo te, quod pertinere ad beate viuendum arbitror; vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil aptius vitae: nihil ad beate viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitae atque victus, remissionemque animorum.* Coniungi haec solent, vt lib. 1. de Offic. c. 17. *Vita victusque communis in amicitiis vigent maxime.* Et lib. 12. ad Attic. epist. 28. *Nunc plane nec ego victum, nec vitam illam colere possum.* Et in Bruto c. 25. *Tuditanus omni vita atque victu excultus atque expolitus.*

Plane mecum habitare] Fortasse, quod paries communis esset: vel quod aedes illae ita Ciceronis aedibus vicinae, vt ad eum percommode Gallus itare posset.

Migrare] In eas aedes.

Experiar] Vt hanc domum habeas.

EPISTOLAE XXIV.

ARGVMENTVM.

Exponit, quam iniuste sibi Tigellius irascatur. Caesare quartum consule, sine collega.

EXPLANATIO.

Vestigia] *Video*, subauditur.

Vel proxime] Hoc ipsum, quod proxime de Tigellio fecisti, vestigium est amoris tui. De particula *vel* pro veluti, diximus lib. 2. epist. 13.

De Tigellio] M. Tigellio Hermogene liberto, quod Hermogenis cognomen indicat. est enim is, de quo Horatius lib. 1. Serm. Sat. 9. v. 25.

—— *Inuideat quod et Hermogenes, ego canto.*

et Sat. 2. 3. 10. v. 80. quibus locis ostenditur, quod haec quoque declarat epistola, Tigellium canendi arte praestitisse. Quid autem de Tigellio scripserit ad Ciceronem Gallus, cognoscitur ex lib. 13. ad Attic. epist. 49. *De Tigellio*, ait, *si quid noui: qui quidem, vt mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameae defuisse, cum eius caussam recepissem, etc.*

Capius, opinor, olim] Recte addidit *opinor*, veritus, ne erraret in nomine: nam *Cippium* nominat Festus in huius adagii mentione, *non omnibus dormio.* libri veteres plerique habent, *Citius*, vel *Cicius*: nonnulli *Caepio.*

Olim] Ante Lucilium poetam. Festus.

Non omnibus dormio] Qui hoc dixit, dormire se simulabat, quo liberius vxor moecharetur. Seruo autem pocula clam auferente, *non*, inquit, *omnibus dormio.* Festus, et Plutarchus ἐν τῷ ἐρωτικῷ.

Non omnibus seruio] Quibusdam, apud Caesarem gratiosis, temporum caussa seruio; non omnibus tamen seruire volo: quorum in numero Tigellius est.

Olim] Stante republica.

Regnare] Cum ita floreret gratia et auctoritate ob eloquentiam ac virtutem, vt regnare videretur.

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pro Sulla c. 7. *Hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse.*

Obseruor] Lib. 9. epist. 20. et lib. 13. ad Attic. epist. 49.

In lucis pono] Simile illud lib. 13. ad Attic. epist. 49. *Est bellum, aliquem libenter odisse.*

Pestilentiorem patria sua] Tigellii patria Sardinia: de cuius pestilenti caelo illud argumento est lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites.* Et Martialis lib. 4. epigr. 60.

Nullo fata loco possis excludere: cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Addictum] Studiosum esse coepisse eorum versuum, quos contra me scripsit Caluus Licinius, more Hipponactis poetae: de quo vide Plinium lib. 36. c. 5. et Solinum.

Calui Licinii] Hic est C. Licinius Caluus, Ciceronis primum inimicus, quia patrem suum Licinium Macrum praetor damnauerat, vt ait Plutarchus et Valerius Max. lib. 9. c. 12. deinde etiam amicus, vt ex lib. 15. epist. vlt. cognoscitur.

Praeconio] Ironia. nam acerbissimum poema significat, simile Hipponactis versibus. Idem Caluus in C. Caesarem famosa scripsit epigrammata, vt in Suetonio c. 49. et 73. legimus.

Phameae] Liberti, cuius nepos Tigellius. libertorum autem cognomina Phameas, et Hermogenes; quae prius nomina seruorum fuere.

Ipsius quidem caussa] Non propter Tigellium, eius nepotem, sed ipsius caussa.

Erat enim mihi sane familiaris] Scribit ad Atticum eadem de re lib. 13. epist. 49. nec se adductum familiaritate suscepisse caussam Phameae significat, sed quia petenti sibi consulatum pollicitus erat per Atticum, si quid opus esset. quod tamen non repugnat: nam ex eius officii memoria familiaritas exorta.

Sibi operam dare] Caussam cognoscere, patronos audire de controuersia disputantes.

De P. Sextio] Quem ante multos annos reum de vi defenderat, accusabatur hoc tempore lege Pompeia, vt lib. 13. ad Attic. epist. 49. ostendit: vtrum autem de ambitu, an de vi, (nam de vtroque crimine Pompeius tertium consul legem tulit) mihi nondum liquet: suspicor tamen de ambitu potius, quam de vi. nam Sextium, qui Pompeianus fuerat in bello ciuili, et in patriam, venia a Caesare impetrata, redierat, ausum deinde esse vim vllam facere, credibile non est. de ambitu autem fortasse postulatus, quia consulatum petens pecuniam contra leges dederit. praetor enim fuerat ante bellum ciuile; lictoresque in bello habuerat, post bellum etiam beneficio Caesaris, vt supra diximus.

In consilium iri] Cum iudices, de reo sententias laturi, in vnum coeunt, *ire in consilium* dicuntur. non enim eunt in consilium, vt caussam audiant, sed vt, cum audierint, sententias ferant. id adeo ex oratione C. Titii, qua legem Fanniam suasit, potui intelligere. *Veniunt*, inquit de iudicibus, *in comitium tristes: iubent dicere. quorum negotium est, dicunt. iudex testes poscit: ipsius it minctum. vbi redit,*

ait

ait se omnia audiuisse: tabulas poscit: litteras inspicit: vix prae vino sustinet palpebras. eunti in consilium ibi haec oratio: Quid mihi negotii est cum istis nugatoribus? Haec Macrobius lib. 2. Saturn. c. 12. recitat. idem cognoscitur ex orat. pro Cluentio c. 20. nam, audito Scamandri accusatore Canutio, eiusque defensore Cicerone, iudices iuere in consilium, vt de reo pronunciarent. Et infra c. 30. vbi de iudicio agitur Oppianici. Item in orat. pro Quintio c. 19. cum audiret caussam iudex Aquilius, *quoniam*, inquit, *tibi instat Hortensius, vt eas in consilium: a me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur, priore patrono caussam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar, istam manere suspicionem, nos rem iudicari nolle.*

Necesse erat] Cur necesse esset, ostendit lib. 13. ad Attic. epist. 49. *Scis enim*, inquit, *dies illorum iudiciorum praestitutos fuisse.* Lex Pompeia praefiniebat eos dies, quibus caussam agi oporteret vide Pedianum in argumento Milonianae.

Nullo modo me facere posse, cum vellem] In voluntate obsequendi, facultatem deesse. Similiter locutus lib. 11. ad Attic. epist. 12. *Saepe ad eum scripsi, multisque mandaui, non potuisse, cum cupissem, sermones hominum sustinere.* Nec dissimile illud in orat. pro Flacco c. 4. *Nihil dixit, quod laederet eum, cum cuperet.* Videndum tamen, an rectius hoc sit: *nullo modo me facere posse: quem vellet, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum.* Sic enim habent quatuor veteres libri: et eadem de re sic plane scripsit Cicero lib. 13. ad Attic. epist. 49. *Respondi*, inquit, *non ignorare eum, quid ego deberem Sextio: quem vellet, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum.* Moueor etiam, quod antiquum librum, in quo sit, *cum vellem*, nullum vidi. alii enim habent, *quem vellem:* alii, *quem vellent:* nonnulli, *quem vellet.* quod ego sincerum existimo, nec tamen statuo quidquam, nisi consentientibus eruditis.

Nepotem] Tigellium.

Vnctorem] Sic habet vnus omnino vetus liber: reliqui omnes, *victorem.* si, quid sententia postulet, attendimus, legendum putabimus, *cantorem.* nam excelluisse Tigellium in cantu, Horatii testimonio iam probauimus: fuisse autem ob eam caussam Caesaris familiarissimum, cum idem Horatius lib. 1. Serm. Sat. 3. ostendit in his versibus:

—— *Sardus habebat*
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret. —

tum vero haec ipsa demonstrant, paullo ante dicta: *Obseruor a familiarissimis Caesaris omnibus, praeter istum.*

Habes Sardos venales] Iocum quaesiuit in Phameae patria, ex vsitato prouerbio. Sardinia enim a Ti. Sempronio primum consule capta, mancipiorum maximus numerus Romam est aduectus, et ex eorum vilitate natum est adagium, *Sardi venales.* Liuius lib. 41. c. 17. et in lib. de viris illustribus. Habes, inquit, de Phamea et Tigel-

lio; vides, quam non merito vterque mihi succenseat: et nimirum, quod de Sardis venalibus dici solitum est, alium alio nequiorem esse; id in Phameam eiusque nepotem Tigellium, qui et ipsi Sardi sunt, conferri potest. Hoc Cicero festiue significat, cum ait: *Habes Sardos venales; alium alio nequiorem.* mentionem facit huius prouerbii Festus, et Plutarchus in Probl. et is, qui scripsit de viris illustribus. De Phamea vero, deque hac re tota, vide lib. 13. ad Attic. epist. 49. De Tigellio sic Horatius lib. 1. Serm. Sat. 3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum cantare rogati;
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ouo
Vsque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa,
Voce modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe, velut qui
Currebat fugiens hostem; persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem seruos: etc.

Quid mirum igitur, qui hoc ingenio fuerit, tam vario, tam inconstanti, si is, praesertim qui gratiosus apud Caesarem esset, facile adductus est, vt Ciceroni, quasi nepotem suum destituisset, iraſceretur?

Istius Salaconis iniquitatem] *Salaconem* vocat, vel propter superbiam, vel propter mollitiem, aut vtramque. superbiam e Suida cognouimus, qui ait eum, cum esset pauper, se diuitem simulasse: mollitiem ex Aristophanis interprete: nam, cum poeta in comoedia, quae Σφῆκες inscribitur, dixisset, Τρυφερόν τι διασαλακώνισον, subiunxit, ἁβρύνθητι, καὶ διαθρύφθητι. οἱ δὲ, διασαλακώνισον, ἀπὸ τῆ Σαλάκωνος μαλακῆ, τῆ Λυτολύκυ πατρός. Hesychius: Σαλάκων, ὁ πτωχὸς ἀλαζών. Σαλακωνία, ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία. Σαλακωνίσαι, σαλακωνεῦσαι ἔλεγον τὸς διαθρυπτομένους. σαλάκωνας, ἀπὸ τῆ ἁβρῶς καὶ μετὰ θρύψεως βαδίζειν. ὁ δὲ Θεόφραστος σαλακωνά φησιν εἶναι τὸν δαπανῶντα ὅπυ μὴ δεῖ.

Catonem tuum] Non modo Gallus, sed et Cicero scripsit de laudibus Catonis Vticensis, vt patet ex lib. 12. ad Attic. epist. 40. ex Oratore c. 10. ex lib. 2. de Diuin. c. 1. ex Tacito lib. 4. Annal. c. 34. Plutarcho in Caesare, et Cicerone, Gellio lib. 13. c. 18. Macrobio lib. 6. Saturn. c. 2. Lactantio lib. 1. c. 2. Scripsit et eius sororis filius, M. Brutus, vt lib. 13. ad Attic. epist. 46. Contra Catonem vero, Ciceroni respondens, scripsit Caesar libros duos, eosque Anticatones inscripsit. testis Cicero lib. 12. ad Attic. epist. 41. Plinius lib. 3. epist. 12. Quinctilianus lib. 3. c. 7. Iuuenalis Sat. 6. v. 336. Gellius lib. 13. c. 18. Suetonius in Caesare c. 56. Plutarchus in Caesare, et Cicerone, et Seruius Honoratus in Virgilium. Hirtius quoque, Caesaris amicus, in eodem argumento ingenium exercuit: vt lib. 12. ad Attic. epist. 40. et 45.

EPISTO-

EPISTOLAE XXV.

ARGVMENTVM.

Epistolam Galli non conscissam significat. Monenti, vt de Caesare caute loquatur et scribat, gratias agit. Hortatur, ne scribendi exercitationem intermittat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Quod epistolam conscissam doles] Familiare principium epistolae, vt epist. 32. et 33.

Mones] Ne iocemur in Caesarem. sequitur enim: *videris mihi vereri, ne rideamus* γέλωτα σαρδόνιον.

Ne, si] Omnes libri veteres, *nisi*. verbum tamen, *vereri*, postulat *ne*.

Si istum habuerimus] Si Caesar dominabitur.

Rideamus γέλωτα σαρδόνιον] Risus cum dolore coniungatur. Adagium in eos vsurpatum, qui, specie boni, malum sustinent; origine ducta vel ab herba, quae nascitur in Sardinia, et gustata mortem affert, ita mutato morientium vultu, vt ridere videantur: vel a Sardone regione, in qua senes, annum LXX. praetergressi, Saturno immolabantur, ridentes a ridentibus: vel etiam, quod apud Sardoniam gentem parentes aetate confecti a filiis prope fossam, in qua sepeliendi erant, fustibus caesi, atque praecipites deiecti, cum risu perirent. Vide librum Adagiorum.

Heus tu] Huc animum conuerte, hoc attende, audi me monentem.

Manum de tabula] Omittamus, quod coeptum est: ne scribamus, quod Caesaris animum laedat. Sumptum a pueris pingendi artem discentibus prouerbium, qui, magistro absente, aliquid in tabula pingunt: magistro veniente, manum de tabula statim tollunt; ne deprehensi verberentur. ideo iocatus est Cicero in magistri nomine: cum reuera non magistrum, qui docet, sed Caesarem significet; qui dictator erat, id est, magister populi. Festus.

Adest] Reuersus ab Hispanensi bello.

Vereor, ne in Catonium Catoninos ERN. *in Catonem, Cato in nos*] Vereor, ne nos in Catonem scribamus, id est, eum scriptis nostris laudemus; (*scribere in aliquem*, non in malam tantum, sed in bonam quoque partem accipi, exemplis intelligitur) Cato autem exitio nobis sit, Caesare nos, quod eius inimicum laudemus, male multante. Liber Maffei et Fuluii Vrsini sic habent: alii autem, *in Catonium Catoninos*, vt sit: vereor, ne Caesar Catoni deditos in Catonium demittat. *Catonium* autem pro tristi exitu possumus accipere, qualis Catonis fuit, qui sua se manu interfecit.

Ab eo loco] Ab eo loco, in quo scripserat Fabius, *cetera labuntur*, vsque ad finem ita grauiter scripta erat epistola Fabii, vt nihil posset melius.

Apellae] Liberto litterato, vt Tiro Ciceronis.

Duo

Duo nos] Pro, *duos:* vt Virgilius lib. 11. Aen. v. 285.

Si duo praeterea tales Idaea tulisset
Terra viros. —

Bene malene ERN. *maleue*] Sic vnus omnino vetus liber: reliqui, *bene, malene.* magis placet *ve*, quam *ne:* vt sit: *bene, vel male.*

Videro] Nondum statuo: mihi nunc incertum est. idem loquendi modus epist. 16.

Quidquid est, nostrum est] Siue bene, siue male loquimur, dissimiles aliorum sumus: nemo enim, praeter duo nos, isto modo loquitur.

Vrge] Perge isto modo, quantum potes.

Nec transuersum vnguem, quod aiunt, a stilo] Subaudi, *discedas.* lib. 13. ad Attic. epist. 20. *In omni vita sua quemque a recta conscientia transuersum vnguem non oportet discedere.* Et lib. 4. Acad. c. 18. *Habeo regulam, vt talia visa vera iudicem, qualia falsa esse non possint. ab hac mihi non licet transversum, vt aiunt, vnguem discedere, ne confundam omnia.* Plautus in Aul. Act. 1. Sc. 1. v. 17.

Istic adstato. si hercle tu ex istoc loco
Digitum transuersum aut vnguem latum excesseris.

Latum et *transuersum* idem est. Dicitur autem eodem sensu, *vnguem, digitum, pedem non discedere*, pro minimum discedere. In hac epistola tribus adagiis vsus est Cicero, *rideamus γέλωτα σαρδόνιον, manum de tabula, nec transuersum vnguem, quod aiunt, a stilo.* quod in alia, vt opinor, non fecit. Prouerbiis autem locus magis videtur esse, cum ad familiares familiariter scribimus. nam ad spectatos viros, in re praesertim graui, sententiis quidem prouerbiorum similibus, vt Homeri aliorumue poetarum versibus, saepe vtitur Cicero: quae vero prouerbia vere et plane sunt, ea non ita frequenter attingit, arbitratus fortasse Romanae grauitatis non esse, prouerbia inculcare: cum Graeci, minus de grauitate laborantes, aliter senserint. nam Demetrius, κάλλος, ait, ἐπιστολὰς πυκνοὺς παροιμίαις· διότε δημοτικόν τι ἐστὶν ἡ παροιμία, καὶ κοινόν.

Dicendi opifex] Qui studet bene dicere, id agat prius, vt bene scribat. Stilus autem, quo scribebant veteres, lib. 1. de Orat. c. 33. laudatur his verbis: *Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: neque iniuria. nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit.* Infra vero c. 60. *Stilus ille tuus, quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est.* Et lib. 3. c. 49. *Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem cum exercitatione, tum stilo, qui et alia, et hoc maxime ornat ac limat, formanda vobis oratio est.*

Aliquantum iam etiam noctis assumo] Cum dicat, *iam etiam*, apparet epistolam scriptam esse in exitu aestatis, vel ineunte autumno, cum noctes incipiunt iam esse longiores. atque illud, *magister adest*, quod de Caesare dictum est, indicare videtur scriptam esse mense Sextili. nam lib. 13. ad Attic. epist. 47.

epist. 47. *Caesar*, inquit, *adest.* illam vero scriptam Sextili mense, cognoscitur ex ea, quae proxima antecedit. *Aliquid iam noctes te adiuuabunt*, scripsit ad Sulpicium lib. 4. epist. 4.

EPISTOLAE XXVI.

ARGVMENTVM.

Scribit se in morbum incidisse, quia suauiter conditas herbas parum caute comedisset: sibi tamen iam esse melius, et mansurum in Tusculano, quoad se reficiat. Scripta videtur epistola eo anno, quo P. Lentulus et Q. Metellus Nepos consulatum gessere. nam Lentuli filium, cuius auguris cena hic nominatur, eo anno augurem creatum, orat. pro Sextio c. 69. declarat his verbis: Video P. Lentulum, cuius ego patrem, deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei, et fratris, rerumque nostrarum, in hoc misero squalore et sordibus: cui superior annus idem, et virilem patris, et praetextam, populi iudicio, togam dederit.

EXPLANATIO.

E intestinis] Aluo profluente, dolor interdum fit in intestinis.

Mea opera] In forensibus caussis.

Probarem] Persuaderem.

Febrim] *Febrim, tussim, sitim* accusatiuo in *im* exire, cetera vero omnia in *em*, scripsit Plinius in libro de dubio sermone: si Carisio credimus. quod equidem miror. nam, hanc regulam non valere exemplo Virgilii admonemur lib. 9. Aen. v. 460. dicentis: *Turrim in praecipiti stantem*, non *turrem*.

Tuum officium] Vt me viseres.

Abs te requiri] Questus erat Gallus, Ciceronem officio defuisse, quod ipse ab eo exspectasset.

Tum quod Epicurum] Non dubito, quin *quo*, rectius legatur, quam *quod*. Timet omnes morbos, sed eum maxime, quo laborantem Epicurum Stoici vituperabant, quia diceret angi se vesicae viscerumque doloribus. Epicuri verba lib. 2. de Fin. c. 30. recitantur ex eius epistola ad Idomeneum. *Tanti autem morbi adeo sunt vesicae, et visceru, vt nihil ad eorum magnitudinem posset accedere.* Δυσεριὰ πάθη, stranguriam Graeco verbo; δυσεντερικὰ, tormina Cicero vocat Tusc. 2. c. 19. de Epicuro loquens.

Sibi molesta esse] Cum ipsi dolorem non esse malum dicerent: quod si non malum, cur molestum? Epicurus tamen illa quidem sibi esse molesta, nec tamen vinci se dolore, aut succumbere dicebat. itaque deridens eum Cicero Tusc. 2. c. 19. *forticulum*, inquit, *se in torminibus, et in stranguria sua praebeat.* Et in eadem c. 7. *Epicurus ea dicit, vt mihi quidem risus captare videatur. affirmat enim quodam loco, si vratur sapiens, si crucietur: exspectas fortasse, dum dicat, patietur, perferet, non succumbet. — In Phalaridis tauro si erit, dicet, quam suaue est hoc! quam hoc non curo!* Ergo, se quidem sentire vim doloris, aiebat Epicu-

Epicurus, nec tamen succumbere, et ex memoria suorum institutorum consolationem capere. Cur igitur, dicet aliquis, eum dolori non succumbentem, Stoici male accipiebant? vel quia causas eorum morborum spectarent, vnius edacitatem, alterius etiam turpiorem intemperantiam: quo in vtroque culpa aegrotantis agnoscitur: vel quia ne queri quidem eum de magnitudine doloris oportere dicerent: siquidem index molestiae querela est.

Edacitatis] Quae δυσεντερίαν gignit.

Turpioris intemperantiae] Veneris immodicae, quamquam δυσεντερίαν medici ad aliam caussam referant.

Pertimueram] Alui enim profluuium saepe exulceratio viscerum cum sanguine consequitur.

Loci mutatio] Tusc. 4. c. 35. *Loci mutatione, tamquam aegroti non conualescentes, saepe curandus est.*

Senescentis] Iam enim decem dies ex intestinis laborauerat. lib. 4. epist. 6. *Hoc tam graui vulnere, etiam illa, quae consenuisse videbantur, recrudescunt.*

Remissio] In Bruto c. 34. *Cum remiserant dolores pedum, non decrat in caussis.*

Lex sumtuaria, quae videtur λιτότητα *attulisse*] Cum infra dicat: *terra nata, quae lege excepta sunt:* significare videtur Liciniam legem, de qua Gellius lib. 2. c. 24. haec scripsit: *Lex Licinia, cum certis diebus centenos aeris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit, ceterisque diebus statuit aeris tricenos; cum et carnis aridae, et salsamenti certa pondera in singulos dies constituerit; sed, quidquid esset natum e terra, vite, arboreue, promiscue atque indefinite largita est.* Macrobius quoque lib. 2. Saturn. c. 13. eadem Licinia lege, quod ex terra, vite, arboreue natum esset, exceptum ostendit. Omnino post Liciniam et Sulla dictator sumptuariam legem, et, Sulla mortuo, aliam Lepidus consul tulit, vt iidem Gellius et Macrobius litteris mandarunt: sed in neutra nominari video terra nata. Cogitaui, num eadem sit lex, de qua lib. 9. epist. 15. *Domum si habebo, in denos dies singulos sumptuariae legis dies conferam.* Et epist. vlt. eiusdem libri: *Epulamur vna non modo non contra legem, si vlla nunc lex est, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto.* Sed opinari aliquis possit, diuersas esse leges, et hanc, vt dixi, Liciniam esse, illam vero Iuliam, a C. Caesare dictatore post bellum Africanum latam: de qua sic lib. 13. ad Attic. epist. 7. *Venisse a Caesare narrabat litteras; hoc scribere, sibi certum esse, Romae manere; caussamque eam adscribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria.* Mihi tamen hoc argumentum non satis certum videtur. non enim ex iis verbis, a Caesare potius quam a quouis alio latam esse legem illam sumptuariam, licet coniicere. Addo illud, quod Suetonius in Iulio c. 43. cum ait, *legem praecipue sumptuariam exercuit*, latorem eius legis Caesarem non ostendit, sed custodem et obseruatorem acerrimum. Nec vero eam legem praetermissuros fuisse Gellium et Macrobium, cum ceteras

ras omnes sumptuarias nominarent, verisimile est. Obiici tamen potest Dionis testimonium: cuius haec sunt lib. 43 Τὰ ἀναλώματα τῶν τι ἐχόντων, ἐπὶ πλεῖον ὑπ' ἀσωτίας ἐξηγμένα, ὃκ ἐν νόμῳ μόνον ἐμεζρίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποιήσατο. id est: *Sumptibus ditiorum, quos maxime luxus auxerat, non solum in lege modum statuit, sed re etiam obseruari vehementer voluit.* Quod ego sic interpretor: Caesarem veterem legem correxisse, non ipsum nouam tulisse: aut, si tulit, obseruatam esse vsque ad Augustum duntaxat; deinde exoleuisse, Augusto nouam ferente, quam Gellius appellat: ideoque nec a Gellio, nec a Macrobio nominatam. Esto: tulerit sumptuariam legem dictator Caesar: tamen haec esse non potest: siquidem scriptam esse hanc epistolam aliquot annis ante ciuile bellum, perspicue demonstrat cooptatio Lentuli in augurum collegium. est enim hic Lentulus Lentuli Spintheris filius, qui consul filium creari augurem voluit, vt ait Dio lib. 39. idem colligitur ex orationis pro Sextio extrema parte. Nec vero me illa verba minimum mouent: *Neque iis, qui mea opera vti volebant, me probarem non valere.* Suam enim operam Cicero post ciuile bellum in forensibus caussis vel nemini, vel certe pauciss imis praebuit. huc spectat illud lib. 4. epist. 3. *Tantum dicam, quod te spero approbaturum, me posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci, neque in curia, neque in foro, viderim, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse.* Et epist. 6. eiusdem libri: *Nihil in foro agere libebat.* Et lib. 9. epist. 18. *Sublatis iudiciis, amisso regno forensi, ludum quasi habere coeperim.* Et in eadem paullo post: *Ipse melior fio: primum valetudine, quam, intermissis exercitationibus, amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset.* Et epist. 20. eiusdem libri vitam suam ita describit, vt, nihil se temporis dare iudiciis et foro, non obscure significet. Praeterea libri eius tam multi de philosophia post oppressam rempublicam scripti, satis indicare videntur, agendis eum caussis impeditum non fuisse. Quod vero dictum est a me, fieri posse, vt paucis quibusdam Cicero suam operam in foro nauauerit; ideo dictum, quia in epist. 24. video P. Sextium ab eo defensum esse. quod etiam lib. 13. ad Attic. epist. 49. scriptum est. nam Ligarii et Deiotari caussam non in foro, sed intra priuatos parietes ad vnum Caesarem egit.

Λιτότητα] Frugalitatem.

Ea mihi fraudi fuit] *Ea*, videtur abundare, nec tamen abundat. valet enim ad indicandum: vt lib. 13. epist. 28. *Illud, quod supra scripsi, id in me recipio.* Idem obseruauimus in Tusc. 1. et lib. 2. de Nat. deor.

Fraudi fuit] Non decepit me: sed, mihi nocuit. nam *fraudem* pro poena et damno veteres interdum vsurpabant, Vlpiano teste: quod Ciceronis etiam declaratur exemplis. lib. 5. ad Attic. epist. vlt. *Fit gratia Bruti senatus consultum, vt neue Salaminiis, neue qui eis dedisset, fraudi esset.* Et lib. 7. ad eundem epist. vlt. *Ego me ducem in*

Franckesche Stiftungen zu Halle

in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negaui esse: non quin rectum esset; sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Et Phil. 5. c. 12. *Censeo, vt iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante Kal. Febr. ab eo discesserint.*

Terra nata] Vt herbas, fungos, similia. nam aues, pisces, quadrupedes, terra ipsa non nascuntur, sed generantur.

Heluellas] Holera minuta: vt ait Festi mutilator Paullus.

Cena augurali] Augures, sacerdotium ineuntes, collegis cenam dabant lautam in primis atque opiparam. Varro lib. 3. de re rust. c. 6. *Primus pauones augurali cena posuisse dicitur Q. Hortensius.* Eadem *adiicialis cena* vocabatur. nam Plinius lib. 10. c. 20. *pauonem*, ait, *cibi gratia Romae primus occidit orator Hortensius adiiciali cena sacerdotii.*

Apud Lentulum] Corneliae gentis patriciae, eius Lentuli filium, ad quem scribuntur epistolae lib. 1. is adoptione transiit in gentem Manliam, vt augur fieri posset. vetabat enim lex duos eiusdem gentis augures fieri. et erat eo tempore, cum auguratum petiit hic Lentulus, augur Faustus Cornelius, Sullae dictatoris filius. itaque facta legi fraus est. Dio lib. 39.

Διάῤῥοια] Profluuium alui.

Muraenis] Murena duplex est, marina, et fluuiatilis: marina, sine pinnis, paruis branchiis, vt ait Theophrastus, serpens, non natans, extra minutis distincta maculis, intra aristis valde obsita, ore, vt anguillae, in summo rostro, veterum expetita mensis: quod genus et C. Caesar triumphalibus cenis dedit, vt ait Varro lib. 3 de re rust. c. 17. eumque secuti Plinius lib. 9. c. 55. et Macrobius lib. 2. Saturn. c. 11. et Cicero videtur hic murenam, vt suauissimum piscem, nominare. Feneſtella etiam primum in mensa locum murenis tribuit. *Tripatinum*, inquit, *appellabatur summa cenarum lautitia. vna erat murenarum, altera luporum, tertia myxonis.* Nobis molestiam affert aristarum multitudo: veteres artem callebant aristas detrahendi: quod vocabant *exossare.* vnde Plautus in Amphitr. Act. 1. Sc. 1. v. 163.

Mirum ni hic me quasi muraenam exossare cogitat.

Arcessebantur ad Romanas piscinas ab vsque freto Siculo, quodibi essent omnium optimae. Graece πλωτοὶ, Latine *flutae* appellatae; quod in summo supernantes, vt ait Macrobius, torrefactae sole, curvare se et in aquam mergere non possent. recitat idem Macrobius ex libro Varronis, qui inscribitur Gallus, qui hodie non exstat, haec verba: *in Sicilia quoque manu capi murenas flutas, quod hae in summa aqua praepinguitudine fluitent.* Exeunt interdum in siccum, vt tuto fetus edant: coire eas cum viperis, vulgo creditum est: sed Aristoteles, et Andreas, ab Athenaeo nominatus, hanc opinionem confutarunt. Fluuiatilem a marina Dorion apud Athenaeum distinguit: ait enim, vnam dumtaxat ei spinam esse. quo signo, et praeterea versibus Ausonii infra scriptis Edyl. 9. 106. seqq. adducor, vt eam existimem esse, quae *lampreda* dicitur, *mustela* etiam a veteribus nuncupata.

Quae-

Quaeque per Illyricum, per ſtagna binominis Iſtri,
Spumarum indiciis caperis muſtela natantum,
In noſtrum ſubuecta fretum; ne lata Moſellae
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturae pinxit color? atra ſuperne
Puncta notant tergum, quae lutea circuit Iris,
Lubrica caeruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescis: at illinc
Vsque ſub extremam ſqualet cutis arida caudam.

Fluuiatilium duo genera, vnum, quod e mari ſubit flumina: quo de genere loquitur Auſonius. atque hae quidem maiores lampredae ſunt: quas nonnulli myrum atrum exiſtimarunt. eſt enim et ſubrufus, ſuauitate inferior. Alterum genus in fluminibus et naſcitur, et degit. quod autem de fluuiatilibus, idem de lacuſtribus, dico. eaedem enim ſunt, his notis a marinis murenis diuerſae, primum, quod latas habent maculas in atro tergo, os infra roſtrum, pinnas, et branchias, has quidem ſeptenis foraminibus incluſas, illas non ab vtroque latere, quibus vt remis alii piſces vtuntur, ſed in extremo dorſo: itaque nec ſerpunt, vt marinae, quia pinnas habent; nec natant, vt reliqui piſces, quia non habent eas in lateribus, ſed feruntur, et corporis impetu, et nonnihil tamen pinnis adiuuantibus.

Vidit] Ante quam Cicero in Tuſculanum iret.

Nauſeantem] Ob cruditatem ex beta et malua.

EPISTOLAE XXVII.

ARGVMENTVM.

Inique Gallus Ciceronem litteris accuſauerat. viciſſim igitur eum Cicero repungit. Incertus eſt huius epiſtolae annus. id tantum conſtat, ſcriptam eſſe Caeſare dominante. quod illa verba demonſtrant: et ais, fore, vt te Caeſar reſtituat. *Quod ſi Gallus hic eſt P. Sextius, vt infra iudicabitur: ſcripta videri poteſt vel quo anno Caeſar occiſus eſt, vel anno ſuperiore.*

EXPLANATIO.

Gallo] Alii credunt, hunc eſſe Q. Fabium Sangam, qui de coniuratione Catilinae, quae ab Allobrogibus acceperat, ad Ciceronem detulit. ego illi cognomen Gallo fuiſſe non arbitror. itaque libentius crediderim, hunc eſſe P. Sextium, pro quo exſtat oratio, cui cognomen fuerit Gallo: fuiſſe enim hoc Sextiae gentis cognomen, intelligitur ex orat. pro Milone c. 31 vbi ita ſcriptum eſt: *Ante ipſum ſacrarium Bonae deae, quod eſt in fundo T. Sextii Galli.* Tribunatum autem plebis et petiiſſe Sextium Ciceronis reſtituendi cauſſa, et pro eius ſalute geſſiſſe, ex ipſius Ciceronis oratione notiſſimum eſt. quod item de Fabio Sanga dici non poteſt. neque enim is, quo tempore

Cicero exsulauit, tribunus fuit. quod facile cognoscitur ex oratione post reditum, in senatu habita: in qua c. 8. nominantur octo tribuni plebis, quorum studio atque opera Cicero sit in patriam restitutus, T. Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Cispius, T. Fadius, M' Curtius, C. Mescinius, Q. Fabricius; nulla Q. Fabii Sangae mentio fit. Addo illud, et hunc exsulasse Gallum, quod illa verba declarant, *ais, fore, vt te Caesar restituat;* et P. Sextium, quem opinor eundem esse cum Gallo. accusatum enim video epist. 24. et lib. 13. ad Attic. epist. 49. damnatum autem coniicio ex lib. 14. ad eundem. epist. 1. Iam vero illa verba: *vt ipso ipso in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognoscere:* optime in Sextium conueniunt, qui salibus delectabatur. nam epist. 32. *Ais enim, vt ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sextiana, in me conferri.* Quod vero infra dicitur, *si falsa fuerunt, quae tu ad me detulisti:* quis non putet significari ea, quae Sextius, C. Antonii consulis quaestor, ad Ciceronem consulem de ipso Antonio, consule suo, detulit? sic enim in orat. pro eodem Sextio habita c. 3. *Quaestor hic C. Antonii, collegae mei, iudices, fuit forte, sed societate consiliorum, meus. Impedior nonnullius officii, vt ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa ad me detulerit, quanto ante prouiderit.*

Non liceat] Non enim habes, cur me accuses.

Non debebas] Propter amicitiam.

Ego enim te in consulatu obseruaram] Verba ex epistola Galli. *Obseruare,* minus est, quam *colere.* Phil. 2. c. 20. *Cultus sum a te, tu a me obseruatus in petitione quaesturae.* Est autem *obseruare,* cum ad aliquem honoris officiique caussa saepe accedimus. quod et locus indicat ex Phil. 2. proxime recitatus, et illud lib. 1. ad Attic. epist. 1. *Obseruat L. Domitium maxime.* Obseruamus et animo: vt cum dicimus, *mea in te beneuolentia et obseruantia.*

Restituat] Ab exsulio.

Mea caussa petisse] Vt restitueres me. quod Sextius in tribunatu maxime curauit. vide orationem pro ipso.

Intercessorem non quaereres] Me non rogares, vt pro te apud Caesarem intercederem. tribunorum enim intercessio est. Iocatur Cicero in ambiguo verbo: quae dicitur ὁμωνυμία.

Negas, me audere, quod sentiam, dicere] Contigit hoc Caesare dominante. lib. 4. epist. 9. *Dicere fortasse, quae sentias, non licet.*

Me rogares] Per litteras. lib. 14. ad Attic. epist. 1. *Cum Sextii rogatu apud eum fuissem.* Quibus ex locis exsulasse Sextium constat. rogauit enim Sextius absens Ciceronem, vt de suo reditu Caesari supplicaret.

Parum fortiter] Ex hoc intelligitur, Gallo primum roganti Ciceronem negasse.

Ipso ipso in genere] In acutis dictis.

Purgassem] Excusationem attulissem, cur de tuo reditu cum Caesare non egissem.

Quae feceris] In tribunatu, de meo reditu.

Quae

Quae scripsisti] Quae exprobrasti.

Liberi sunt] Catilinae coniuratione patefacta atque oppressa.

Tibi liberum non visum] Negas enim me audere, quod sentiam, libere dicere.

Detulisti] De C. Antonii consulis tui consiliis.

Quid mihi populus Romanus debeat] A me seruatus.

EPISTOLAE XXVIII.

ARGVMENTVM.

Probat consilium Curii, qui, republica desperata, in Graeciam se contulerit: et adiungit, se totum, postea quam libertatem amissam viderit, litteris et scriptioni tradidisse. Scripta Caesare dominante anno tamen incerto.

EXPLANATIO.

Curio] Hic est ille Curius, qui nominatur lib. 13. epist. 17. et 50. et lib. 16. epist. 4. 5. 9. 14. et ad Attic. lib. 7. epist. 2. 3. et lib. 8. epist. 5. 6.

Memini, cum ERN. *quod mihi desipere videbare*] Cum in vndecim scriptis libris videam esse, *quod*, non *cum*, vt est in impressis; testimonium antiquitatis contemnendum non putaui; et *quod* reposui, deleui *cum*. Porro, quia mutationis fortasse causam attulit inscientia Latinae linguae; cum inusitatum videretur, *memini, quod videbare:* non patiar hunc loquendi modum posthac, quasi barbarum et sordidum, reiici; et afferam illa, quae tum apud ipsum Ciceronem, tum apud alios, Romani sermonis obseruatione, collegi. ac primum a nostro Cicerone ordiamur. Lib. 13. epist. 40. *Si vlla mea apud te commendatio valuit; quod scio multas plurimum valuisse; haec vt valeat, rogo.* Et lib. 9. ad Attic. epist. vlt. *Aliquando sententiam, vt nihil noui, nisi id, quod minimum vellem spiritum reliquum esse* Lib. 10. ad eundem epist. 4. *Cum scripsisset, quod me cuperet ad vrbem venire.* Lib. 1. de Leg. c. 11. *Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod recte viuendi ratio meliores efficit.* Lib. 1. de Offic. c. 12. *Equidem illud etiam animaduerto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.* Lib. 2. c. 20. *Videndum illud est, quod si opulentum, fortunatumque defenderis, in illo vno, aut forte in liberis eius manet gratia.* Et Coelius lib. 8. epist. 6. *Illud mihi occurrit, quod, inter postulationem et nominis delationem, vxor a Dolabella discessit.* Praeterea Varro lib. 1. de re rust. c. 7. *Cato, gradatim praeponens, alium alio agrum meliorem dicit esse: et quod sit primus, vbi vineae possunt esse bono vino, et multo; secundus, vbi hortus irriguus.* Et lib. 2. c. 10. *Facile est, quod habeant conseruum in villa.* Liuius autem lib. 42. c. 33. *P. Licinius consul senatus consultum recitari iussit. Primum, quod bellum*

Senatus Perseo iussisset: deinde, quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset. Idem lib. 45. c. 41. *Quamquam et quam feliciter rempublicam administrauerim, et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror.* Suetonius in Tito c. 8. *Recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset.* Omnium autem antiquissimi, Plautus, et Cato Censorius, ille in Asin. Act. 1. Sc. 1. v. 70. inquit:

Equidem scio iam, filius quod amet meus.

Et in Trin. Act. 2. Sc. 4.

Minus quindecim dies sunt, quod pro hisce aedibus
Minas quadraginta accepisti a Callicle.

Cato autem in epistola ad Marcum filium, quam Plinius lib. 29. c. 1. recitat: *Dicam*, inquit, *de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit, eorum litteras inspicere, non perdiscere.*

Cum istis] Cum Graecis. Patris enim Curius negotiabatur: vt infra, et lib. 13. epist. 17. et alibi.

Cum quidem haec vrbs] Ὑπερβολὴ, ex indignatione orta et dolore libertatis amissae. nam ciuitas quidem, corruptis moribus, et statu reipublicae mutato, desinit esse, quae fuit: vrbs tamen eadem remanet. Hinc apparet, ipsa de ciuitate quid Cicero sentiat: cum in vrbem quoque, sensu carentem, inuehatur.

Nedum Patrae] Nisi vis, quae latet in singulis verbis, perfecte cognoscatur, tota profecto frigebit elocutio. quare, si nonnulla, quae videri possunt humiliora, prosequimur, aequus lector ignoscere debebit. *Nedum*, hanc vim habet, vt neget semper, numquam affirmet. non enim dixeris: *diligo familiares omnes tuos, nedum te:* quod esset affirmantis. nam hoc diceretur: non solum te, sed familiares etiam tuos omnes diligo. Proprie vero sic: *is ne propinquos quidem suos amat, nedum te.* Huc spectant omnia Ciceronis exempla: quorum duo tantum, praeter hoc ad Curium, quod satis patet, afferemus. Orat. 2. in Rullum c. 35. *Singularis homo, priuatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis et copiis, continet: nedum isti, ab Rullo et Rulli similibus conquisiti atque electi coloni, Capuae, in domicilio superbiae, atque in sedibus luxuriae collocati, non statim conquisituri sint aliquid sceleris et flagitii.* Pro domo c. 54. *Tamen in scelere religio non valeret; nedum valeat id, quod etc.* Audiamus Terentium in Heaut. Act. 3. Sc. 1. v. 43.

—— *Satrapes si siet*
Amator, numquam sufferre eius
sumtus queat,
Nedum tu possis. ——

Nec aliter Sallustius in bell. Cat. c. 11. *Secundae res sapientium animos fatigant: nedum illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.* Vnum videtur opponi posse Ciceronis exemplum lib. 10. ad Attic. epist. 16. *Tu, quoniam quartana cares, et nedum morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te vegetum nobis in Graecia siste.* Sed hic locus aliter legitur in antiquis libris:

itaque,

itaque, si quis eius vtatur testimonio, parum probabit. Legitur autem hoc modo: *Tu, quoniam quartana cares, et nonum morbum remouisti.* Quod ipsum carere mendo, non equidem affirmarim: sed id, quod nunc agitur, affirmo, *nedum*, in vllo non vidisse me vetere libro.

Vidisse malum] Si consilio haec potius, quam casu, reliquisti. Vide in extrema epistola, et epist. 30.

Prope desperatis his rebus] Appropinquante se ciuili bello.

Sapiens] Propter consilium. non enim redire vis.

Beatus] Qui multis rebus, quibus nos caremus, tranquillo animo fruare.

Cui licebat] Tibi licebat hinc abire: nobis idem non licet.

Vbi nec Pelopidarum] *Pelopidas* vocat malos ciues, qui rempublicam armis oppresserant. Subiungit autem, *nosti cetera:* quia non est integer poetae locus. verba omnia ponuntur epist. 30. *Quin*, inquit, *hinc ipse euolare cupio, et aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* et lib. 15. ad Attic. epist. 11. *Etsi ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minus, euolare hinc, idque quamprimum; vbi nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.* Nec dubito, quin huc respexerit, cum dixit Phil. 13. c. 21. *Moueri sedibus suis huic vrbi melius est, atque alias, si fieri possit, terras demigrare, vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos, Caesaris virtute eiectos, Bruti retentos, intra haec moenia videre.*

Idem consequimur] Abdo enim me in bibliothecam; ne Pelopidarum nomen, aut facta audiam.

Salutationi amicorum] Salutandis amicis, mane videlicet: nam lib 9. epist. 20. *Haec est nunc vita nostra. Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos laetos victores: qui me quidem perofficiose et peramanter observant. Vbi salutatio defluxit, litteris me inuoluo, aut scribo, aut lego.*

Quasi auem albam] Quasi novum quiddam. prouerbium ex eo natum, quia rarae aues albae.

Abdo me in bibliothecam] *Litteris me inuoluo*, dixit lib. 9. epist. 20.

Opera efficio tanta] Ne quis ex hoc loco putet, scripta alicuius quae dicuntur, eadem *opera* dici posse. nam, *opus* generale nomen est earum rerum, quae post operam et industriam remanent. lib. 16. epist. 18. *An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat* Et lib. 2. ad Attic. epist. 4. *Curabo, vt huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet.*

Senties] Iudicabis.

Ex meis libris] Cum diceres, non eum me esse, qui viderer in meis libris.

Tum] Ante bellum ciuile, sed republica iam desperata.

Non solum suis erga me, sed etiam meis erga se] Alii, hunc locum esse mancum in omnibus, quos ipsi viderint, paullo antiquioribus libris, affirmarunt. nos integrum videmus esse in omnibus, quos habemus.

Dies] Lib. 4. epist. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.* et lib. 5. epist. 16. *Quod allatura est ipsa diutur-*

diuturnitas, quae maximos luctus vetustate tollit.

Rem communem] Rempublicam. Sisenna hist. lib. 4. *Quondam Sabini feruntur voluisse, si res communis melioribus locis constitissent, se ver sacrum facturos.*

Nunc quidem] Quomodo res habet, vt nunc quidem est.

In eo] In Caesare.

In cuius potestate omnia sunt] Hoc varie dixit lib. 4. epist. 7. 8. 9. 13.

Id ipsum] Vt in eius potestate essent omnia.

Nostra culpa] Lib. 9. epist. 6. *Haec in voluntate fuerunt.*

Ad prima redeo] Ad primam epistolae partem: in qua dixit, cum et vidisse multum, cum in Graeciam se contulit; et beatum esse, qui abesset, non modo sapientem, quam sententiam iterauit sequentibus verbis: *Sapienter haec reliquisti, si consilio: feliciter, si casu.* lib. 1. ad Attic. epist. 12. *Vt ad prima illa redeam.*

Feliciter, si casu] Si non ideo discessisti, quod haec putares euentura. *Casus* et *consilium* opponuntur. lib. 5. epist 2. *Huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem: quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* Potest igitur felicitas esse in aliqua re sine consilio, in omni re non potest.

EPISTOLAE XXIX.

ARGVMENTVM.

Memoriam declarat accepti a Cicerone beneficii, et commendatitias ab eo litteras petit ad Sulpicii successorem. Scripta eo anno, quo primum Caesar quartum consul fuit sine collega, deinde Q. Fabius cum C. Trebonio, vt patet ex epistola sequenti.

EXPLANATIO.

Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri] Vsu quidem tuus, possessione autem Attici. Eandem sententiam lepide expressit Lucretius lib. 3. v. 984.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vsu.

Mancipium] Possessio ipsa, et, vt ita loquar, ius dominii.

Quod quidem si inter senes coemtionales venale proscripserit] Non opinor hoc dici; si me Atticus, mancipium suum, venale proscripserit inter senes, qui coemant; sed, inter senes, qui coemptiones faciant, aliud est enim *coemere*, aliud *coemptionem facere*. *coemere* notam habet significationem: *coemptionem facere*, est, cum mulier in manum viri conuenit sollemni quadam stipulatione, qua se inuicem coemebant. quo facto, sibi invicem succedebant: vt etiam domestica sacra mulierum tamen, non virorum, interirent. non enim vir in mulieris potestatem, sed mulier in potestatem viri coemptionis iure transit; itaque amittit paterna sacra. qua de re iurisconsultos Cicero exagitat in orat. pro Murena c. 12. *Mulieres*, inquit, *omnes*, *propter*

propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum caussa, reperti sunt. In omni denique iure ciuili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt: vt, quia in alicuius libris, exempli caussa, id nomen inuenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Caios vocari. Quod si quis roget, quinam sint hi senes, quos ait Cicero, coemptionum faciendarum caussa, iurisconsultorum ingenio repertos: dicam esse tutores illos, quibus patres familias eam potestatem testamento reliquerunt, vt filiae suae, cum nuberent, coemptionem sine eorum auctoritate facere non possint. id colligere licet ex orat. pro Flacco, in qua c. 34. sunt haec. *In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. sed quaero, vsu an coemptione? vsu non potuit. nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. coemptione? omnibus ergo auctoribus. in quibus certe Flaccum fuisse non dices.* Ad hoc spectat illud, quod lib. 1. de Orat. c. 56. scriptum est: *Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quae coemptionem fecerit, caussam posse defendere.* In eam igitur coemptionem, tutorum omnium, vt ostendimus iam, consensu et auctoritate fieri solitam, iocari Curius voluit, cum de se, tamquam mancipio, vendendo loqueretur. ad verbum autem potius, quam ad sententiam, respexit. nam reuera coemptio illa, a mulieribus facta, nihil ad coemptionem mancipiorum attinebat. Liuius lib. 3. c. 72. *Scaptio ne hoc coemptionali seni assignaturos putarent finitimos populos?*

Egerit non multum] Lucri parum fecerit: in quo se ipsum Curius modeste extenuat; quasi vilis et contemnenda sit Attici possessio, fructus autem Ciceronis magni pretii: subiungit enim, *at illa nostra praedicatio quanti est?*

Quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur, id omne abs te habere] Simile illud Planci lib. 10. epist. 24. *Quod viuit Antonius hodie, quod Lepidus vna est, quod exercitus habent non contemnendos, quod sperant, quod audent; omne Caesari acceptum referre possunt.* Et illud Ciceronis lib. 1. ad Attic. epist. 14. *Se, quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod viueret, mihi acceptum referre.* Nec dissimile illud Phil. 2. c. 5. *Frequentissimo senatui sic placuit, vt esset nemo, qui mihi non, vt parenti gratias ageret: qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rempublicam referret acceptam.*

Sulpicii successori] Acilio. quod e sequenti epistola cognoscitur.

De meliore nota] Diligentissime. translatio a doliis, quibus diuersae inuruntur notae, vt internoscantur vina. Eodem modo Catullus ad Manlium carm. 67. v. 27.

Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili.

Tuis praeceptis] Hac epistola Curius non respondet superiori Ciceronis epistolae: in qua praeceptum nullum est eiusmodi, vt ad vrbem Curius redeat, sed potius, vt Patris maneat. Praeceptis igitur aliarum litterarum, quas ad eum Cicero scripserat ante bellum ciuile. nam postea, mutatis temporibus, sententiam mutauit. vnde illud in epistola proxima: *Memini, quod mihi desipere videbare, quod cum istis potius viueres, quam nobiscum.*

Nostra] Fortunas nostras. Patris enim negotiabatur, lib. 13. epist. 17. et 50.

Refigere ERN. *Defigere*] Aliquot enim annos vixerat Patris, et ibi suas res ita constituerat, vt fixae viderentur.

Tuto] Concedente Sulpicio proconsule.

Duo ERN. *Duos parietes de eadem fidelia dealbare*] Putabat Atticus Curium esse omnino suum, et fructu, et mancipio. haec epistola aliter ostendit. venditat enim se Ciceroni Curius, et videtur duorum simul esse velle, vsu quidem Ciceronis, mancipio autem Attici. Adagium est a fabris natum, duos vel plures etiam vnica fidelia parietes dealbantibus.

Tironemque meum] Patris aegrum Tironem Curius familiariter cognouerat. lib. 16. epist. 5. 6. 7. et lib. 7. ad Attic. epist. 2. 3.

EPISTOLAE XXX.

ARGVMENTVM.

Improbat ea, quae Caesaris ex voluntate fiunt, contra leges, moremque maiorum: suam ab vrbe discedendi cupiditatem significat: Caninium, Q. Fabio prid. Kal. Ian. mortuo, consulem in eius locum esse surrogatum, vt in magistratu esset vsque ad Kal. Ian. Addit de litteris commendatitiis ad Acilium, Sulpicii successorem, scriptis. Caesare V. et M. Antonio coss. quo anno idibus Mart. Caesar est interfectus.

EXPLANATIO.

Ego vero] Initio epistolarum, *vero*, secundo loco positum, vel negationem demonstrat, vt hic, vel assensum, vt lib. 4. epist. 6. lib. 9. epist. 5. lib. 16. epist. 10. 23.

Iam te nec hortor] Vt hortabar antea. Respondet ad eam partem epistolae Curii, in qua scripserat, *quo facilius tuis praeceptis obtemperare possimus, teque ad ver lubentes videre.*

Nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam] Senarius ex vetere poeta cum aliqua varietate lib. 15. ad Attic. epist. 11. sic pronunciatus: *Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.* Ad hunc versiculum spectauit in illa sententia in Antonium, Phil. 13. c. 21. *Moueri sedibus suis huic vrbi melius est, atque alias, si fieri possit, terras demigrare, vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos, Caesaris virtute eiectos, Bruti retentos, intra haec moenia videre.*

Audire tolerabilius est, quam videre] Lib. 6. epist. 1. *Oculi augent*

gent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.

In campo] Martio, vbi comitia habebantur.

Hora secunda] Scire oportet, dierum plura genera fuisse, vel ab exortu solis ad exortum, vt Babyloniis; vel ab occasu ad occasum, vt Athenienſibus; vel a meridie ad meridiem, vt Vmbris; vel a luce ad tenebras, vt vulgo; vel a media nocte ad mediam, vt Aegyptiis et Romanis: quem Plinius, Gellius, Macrobius ciuilem diem vocant. Hic dies, lucem tenebrasque complexus, XXIV. horarum fuit, sic, vt lucem duodenae semper, totidemque noctem horae metirentur, diurnae circa solstitium longissimae, nocturnae breuissimae, contra vero circa brumam. Erat igitur initium ciuilis diei, post mediam noctem: quod quamquam luce careret, *mane* tamen Cicero per iocum appellat, a similitudine vulgaris diei, cuius initium *mane* dicitur. *Consulem*, ait infra, *hora septima renunciauit, qui vsque ad Kal. Ian. esset: quae erant futurae mane postridie.* Et Virgilius lib. 5. Aen. v. 738.

— *Torquet medios nox humida cursus:*
Et me saeuus equis Oriens afflauit anhelis.

Aliud igitur erat, dies nominare, vt Kalendas, nonas, idus: aliud, horas, vt primam, secundam, tertiam. qui diem nominabat, spatium illud horarum XXIV. quod a media nocte ad mediam proximam est, totum complectebatur: qui horam, non a media nocte, id est ab initio ciuilis diei, numerabat, sed ab ortu solis, vnde vulgaris dies incipit, et occasu desinit. quod spatium fuit, vt diximus, duodecim horarum, quacumque anni parte. inde licet intelligere, cum dicitur *hora secunda*, non eam horam significari, quae post mediam noctem, sed eam, quae post solis ortum secunda est. ea vero si ad horarum nostrarum consuetudinem referatur, quae pridie Kal. Ian. quindecim fere sunt ab oriente sole ad occidentem, incidit in horae tertiae dimidium. nam, vt hora secunda sextam partem notat duodecim veterum horarum: sic tertiae dimidium sexta pars est nostrarum quindecim. eadem ratione, quae septima a Cicerone nominatur, nobis incipit ab octauae dimidio, desinit in tertia nonae parte. Sic Martialis lib. 4. epigr. 8. cum dixit,

Imperat exstructos frangere nona toros;

ea veteres hora cenare solitos demonstrat, quae post ortum solis nona, ante occasum quarta esset, aestate pariter et hieme. inde fluxit ante cenam prandendi mos, post cenam comissandi: vt cibus tamen in prandio leuis et facilis caperetur: quod Plinii iunioris ad Macrum epistola lib. 3. 5. testatur; comissatio autem honesta parum haberetur.

Comitiis quaestoriis] Vt quaestores anni sequentis crearentur, comitia, Quintili mense fieri solita, in mensem Decembrem ideo protracta erant, quia Caesar abfuerat, Hispanienſi bello impeditus: post reditum autem triumphare prius voluit, quam haberet comitia. Ex hoc loco, nisi fallor, licet intelligere,

gere, postrema omnium comitiorum quaestoria fuisse. quae enim supersunt, cum haec vltimo anni die habeantur?

Institutis] A Caesare, cum iam consularia habuissent, quibus ipse, et M. Antonius designati consules erant.

Q. Maximi] Q. Fabii consulis: quem Suetonius in Iulio c. 80. *trimestrem consulem* vocat: quia Caesar, ex Hispania reuersus, abdicavit, eumque cum Trebonio consulem suffecit. Plutarchus in Caesare, et Tacitus lib. 3. Hist. c. 37.

Illi] Qui erant in campo.

Dicebant] Cum illum putarent viuere.

Posita esset] Vt intereesset comitiis.

Ille autem] Caesar consul, collega Q. Maximi, qui tunc mortuus est. habebat autem ideo Caesar comitia, quia consul priore loco creatus erat. quod quia Ciceroni quoque contigerat, vt ipse gloriatur in orat. contra Pisonem c. 1. propterea consularia comitia habuit, quibus Murenam consulem renunciavit. quod oratio pro ipso Murena habita c. 1. declarat.

Comitiis tributis] Creabantur comitiis tributis minores magistratus, aedilis plebis, quaestor, tribunus plebis, aedilis curulis; centuriatis autem maiores, praetor, consul, censor. vtraque a consule haberi solita, et locus hic, et lib. 4. ad Attic. epist. 3. declarat.

Auspicatus] Quando auspicatus, si hora secunda instituit comitia? ante lucem scilicet: nam post mediam noctem auspicari licebat: exorto autem sole id agebant, super quo auspicati erant; auspicatique esse, et egisse eodem die dicebantur. Hunc ego morem iam ex Gellio et Macrobio cognoueram: sed accessit postea Plinii iunioris testimonium lib. 3. epist. 5. in qua scripsit haec de auunculo suo: *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi, statim a nocte multa: hieme vero, hora septima, vel cum tardissime, octaua, saepe sexta.* Iam, Metellus Nepos consul, aedilitia comitia habiturus, in campum ante solis ortum veniebat, vt auspicaretur primum, deinde, orto sole, comitia haberet. lib. 4. ad Attic. epist 3.

Centuriata] Vt in locum Fabii consulem sufficeret in paucas horas.

Consulem] C. Caninium Rebilum, qui Caesaris legatus bello Gallico fuerat.

Hora septima] Post exortum solem.

Renunciauit] Qui consul comitia habebat, sequentis anni consules renunciabat. pro Murena c. 1. *Quae deprecatus a diis immortalibus sum, iudices, more institutoque maiorum, illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis, L. Murenam consulem renunciaui.*

Neminem prandisse] Consul enim renunciatus est hora septima, id est, post horam prandii: quod a cena non minus tribus horis distabat.

Somnum non viderit] Posteriores enim sex horae noctis, habita ciuilis diei ratione, pertinent ad Kal. Ian. id est, ad sequentis anni consules: priores vero, quae pertinent ad pridie Kal. qui consulatus vltimus dies est, insomnes ab occupato praesertim consule ducuntur. itaque perbelle Cicero, iocum quaerens,

rens, breuitatem consulatus ad vigilantiae laudem conuertit. vide Macrobium lib. 2. Saturn. c. 3. Plutarchum in Caesare, Dionem lib. 43. Tacitum lib. 3. Hist. c. 37.

Phil sophiae portum] A quo qui absunt, iactari eos assidue rerum humanarum fluctibus necesse est.

Mancipio et nexu] Hic locus Boetii verbis explanabitur: qui cum illud in Topicis Ciceronis c. 5. interpretaretur: *Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt;* haec subiunxit: *Omnes res, quae abalienari possunt, id est a nostro ad alterius dominium transire, mancipi dictae sunt. Mancipi vero res veteres appellabant, quae ita abalienabantur, vt ea abalienatio per quandam nexus sollemnitatem fieret. Nexus vero est quaedam iuris solleminitas, quae fiebat eo modo, quo in Institutionibus Caius exponit: cuius haec verba sunt: Mancipatio est imaginaria quaedam venditio; quod ipsum ius proprium Romanorum est ciuium: eaque res ita agitur. adhibitis non minus, quam quinque testibus, Romanis ciuibus, puberibus, et praeterea alio eiusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is, qui mancipio accipit, aes tenens ita dicit:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO: ISQVE MIHI EMPTVS EST HOC AERE, AENEAQVE LIBRA, *deinde aere percutit libram, indeque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. quaecumque igitur res lege* XII. *tabularum aliter, nisi per hanc sollemnitatem, abalienari non poterat.* Plura Sigonius in Ciue Romano lib. 1. c. 11.

Acilius] Hic est Sulpicii successor, cui commendari Curius optabat. epist. 29.

In Graeciam] Cui praefuerat Sulpicius. Lib. 6. epist. 6. *Cassium sibi legauit: Brutum Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae.* Alibi prouinciam Sulpicii Cicero vocat Achaiam, vt lib. 4. epist. 4. lib. 13. epist. 26. 28.

Cum legionibus] Non enim omnes in prouincias ibant cum legionibus.

Maximo meo beneficio est] Maximum a me beneficium habet: vt cum dicitur, *summo ingenio est:* et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 3. *Cicero tuus nosterque summo studio est Paconii sui rhetoris.* Quae si quis diuersa iudicat, accipiat *est*, pro, *viuit.* locum certe simillimum, qui hunc maxime confirmat, ostendemus. nam Phil. 8. c. 6. ita dixit Cicero: *Negat se illi amicum esse debere: cum suo magno esset beneficio, venisse eum contra se.*

Iudicio capitis] Iudicium capitis illud est, quo damnatus vel ciuitatem, vel libertatem amittebat. nam vita non nisi perduellionis crimine adimi potuit. qua de re affatim diximus in libro nostro de Legibus.

Rebus saluis] Aut, republica incolumi, vt lib. 4. epist. 1. *Vtinam, Serui, saluis rebus, (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos!* Et lib. 4. Acad. c. 18. *Hoc accepimus, Deli fuisse complures, (saluis rebus illis) qui gallinas alere permultas quaestus caussa solerent.* Aut, *rebus saluis*, nullo suo damno: est enim absolutus.

Quam

Quam ille quomodo acceperit, et quid ERN. *cum acceperit, ecquid tibi pollicitus sit*] Nonnulli veteres libri, *quo modo acceperit, et quid.* alii, *quando acceperit, quid.* Mihi omnino rectius videtur, *cum acceperit, ecquid.* nam pro *cum*, scribebant veteres, *quom:* vnde factum, *quo modo.* eodemque errore ab *ecquid*, fluxit, *et quid.*

EPISTOLAE XXXI.

ARGVMENTVM.

Inuitat eum ad officia mutua: et, ad vrbem vt redeat, veteris vrbanitatis tuendae causſa, rogat. Scripta eodem anno.

EXPLANATIO.

Aequo animo vel vincam te] Lib. 5. epiſt. 7. *Nulla re tam laetari ſoleo, quam meorum officiorum conſcientia: quibus ſi quando non mutue reſpondetur, apud me plus officii reſidere facillime patior.*

Non fuiſſe neceſſe] Quia diſceſſurus eſſes.

Propter tuas res ita contractas] Nam, ſi diſperſa ac diſſipata eius negotia fuiſſent, indiguiſſet opera Sulpicii proconſulis: ſed ea, cum diſceſſum cogitaret, iam contraxerat.

Nec caput, nec pedes] Habeant. prouerbium eſt. quae enim coacta in vnum ſunt, carere capite et pedibus videntur.

Exaruiſſe] Defeciſſe, exſtinctam eſſe. Ad Paetum lib. 9. epiſt. 18. *Ipſa illa, ſi qua fuit in me, facultas orationis, niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet.* In Bruto c. 21. *Exaruerunt*, (Ser. Galbae orationes) *vix iam vt appareant.* Translatio ab agris, qui cum exaruere, fruges non ferunt.

Veterem vrbanitatem] Qua excelluere olim ii, qui nominantur in eadem epiſt. C. Laelius ſapiens, Africani minoris amiciſſimus, Lucilius poeta ſatyricus, L. Craſſus orator, Granius praeco: praeterea is, qui lib. 2. de Orat. c. 54. diſputat de ridiculis, aequalis Craſſi, C. Iulius Strabo. Quattuor nominibus lib. 9. epiſt. 5. vrbanitatem appellat, *ſales, facetias, leporem, feſtiuitatem.*

Pomponius noſter] Atticus, vtriusque amiciſſimus. nam epiſt. 29. dixit Curius: *Sum enim* χρήσει μὲν *tuus,* κτήσει δὲ *Attici noſtri.*

Suo iure] Quia, cum excellat facetiis, iure ſuo poteſt hanc ſibi laudem vindicare, idque dicere, quod interdum dicit, et vere dicit, exaruiſſe veterem vrbanitatem, niſi nos pauci gloriam illam breuiter et acute dictorum, qua praeter ceteros olim floruere Athenienſes, retineamus.

Gloriam antiquam Atticam] Haec verba non carent feſtiuitate quadam: et velle Cicero videtur, dum loquitur de vrbanitate, non inurbanus eſſe. Magnifica verba ſunt: nec tamen laudatur quidquam, praeter ſales. blanditur igitur Cicero, dum humilem rem extollit, Curio ſimul et Attico; qui ſalibus mire delectabantur. Fortaſſe etiam

etiam ipsa Attici verba refert. quod si ita est, hoc ipso iocatur: quasi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, et eam crederet per tres homines posse retineri. sales autem Attici omnibus praestabant: quamquam Cicero, vt assentaretur Pacto, Romanos praefert, lib. 9. epist. 15.

Ergo is tibi, nos eis succedimus] Cum hoc satis constet, veterem vrbanitatem amissam esse, nisi nos eam pauci reuocemus: sequitur illud, vt primus in ea tibi locus, Attico secundus, mihi tertius debeatur. lib. 7. ad Attic. epist. 2. natiuam ait esse in Curio vrbanitatem.

Ne tamen ERN. *tantum semen vrbanitatis vna cum republica intereat*] Vrbanitas ipsa exaruit, semen tantum remanet. veni igitur, saltem vt semen conseruetur: tantum ne semen ipsum amittatur. Sunt, qui pro *tantum*, legant *tamen*: mei decem antiqui libri, duoque praeterea Fuluii Vrsini, *tantum*, habent: nec insulsa, vt mihi videtur, elicitur sententia. est autem lapsus ab vno verbo ad alterum facillimus: quia *tantum*, quandoque scribitur sic, *tm*: *tamen*, sic, *tn*.

EPISTOLAE XXXII.

ARGVMENTVM.

Scripsit hanc epistolam, cum proconsul Ciliciae praeesset, Marcello et Sulpicio coss tribuno plebis designato Curione. Prima pars de dictis est, secunda de iudiciis, tertia de republica, postrema de Dolabella, nondum genero. Sulpicio et Marcello coss.

EXPLANATIO.

Volumnio] Hic est P. Volumnius Eutrapelus, qui Cytheridem mimam dilexit. lib. 9 epist. 26. Praefectum fabrum Antonii fuisse ciuili bello, Nepos ait in Attici vita c. 12.

Sine praenomine] Praenomen ei Publio fuit. vide Nepotem in Attici vita c. 9. 10. 12.

Volumnio senatore] Cui Lucio cognomen fuit. Varro lib. 2. de re rust. c. 4. Constat autem ex hoc loco, Volumnium hunc, ad quem scribit Cicero, equitem fuisse, non senatorem.

Εὐτραπελία] Festiuitas, lepor, vrbanitas: vnde illi cognomen Eutrapelo. lib. 9. ad Attic. epist. 26. lib. 15. epist. 8. Phil. 13. c. 2. Plutarchus in Bruto *mimum* vocat.

Salinarum mearum] Suos sales vocat *salinas* per iocum, quia dixerat, *possessio*. Infra: *Vrbanitatis possessionem quibusuis interdictis defendamus*. Salinae autem loca sunt, vbi sal fit. Plinius lib. 31. c. 7.

Procuratore] Et hic iocatur. Solent enim procuratores absentium res defendere.

Vt ego discesserim] Iturus in prouinciam. Ergo scripta est epistola paullo post, quam Cicero proconsul in Ciliciam profectus est,

est, id est, M. Marcello, Ser. Sulpicio coss.

Dicta] Ioca. quae et *dicteria* vocata, scripsit ad Cornelium Nepotem: vt apud Macrobium lib. 2. Saturn c. 1. legitur.

Sextiana] P. Sextii, pro quo extat oratio. vide quae diximus epist. 27.

In me conferri] Mea dici: vt ex meo nomine insulsis quoque dictis accedat auctoritas.

Dictorum meorum] Macrobius: *Animaduerto duos, quos eloquentissimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum, et oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem ceteris praestitisse.* —— *Cicero quantum in ea re valuerit, quis ignorat, qui vel liberti eius libros, quos is de iocis patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curauit?* Non multo post haec subiungit: *Iocos hoc genus veteres nostri Dicteria dicebant. testis idem Cicero, qui in libro epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo sic ait: Itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete, et breuiter, et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari Dicteria voluerunt.*

Sua sponte] Sua venustate: etiam si non diceretur, hoc Ciceronis est.

Tanta facx est in vrbe] Ita hebeti sunt homines ingenio, vt, quod inuenustum prorsus est, venustum tamen esse videatur.

Ἀκύθηρον] Quod Venere caret, venustatis expers. nomen a Venere deductum, quae Graecis Κυθήρεια nuncupatur.

Venustum] Quinctilianus lib. 6. c. 3. *Venustum esse*, inquit, *quod cum gratia quadam et venere dicatur, apparet.*

Ἀμφιβολία] Ambigua oratio: cum ad sententias diuersas eadem verba accommodari possunt: vt illud lib. 11. epist. 20. *Te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum.* Et lib. 2. de Orat. c. 60. *Perpusillum rogabo.* Quod referri potest et ad perpusillum testem, et ad perpusillam interrogationem. Et illud Neronis de Claudio, *desiisse eum inter homines morari.* Et:

Aio, te Aeacida Romanos vincere posse.

Ὑπερβολή] Superatio, vel exsuperantia, cum sententia supra veritatem extollitur: vt in suasione legis Maniliae c. 10. *Plura bella gessit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alii concupiuerunt.* Et Virgilius lib. 12. Aen. v. 84.

Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Fit etiam minuendi gratia, vt, *testudine tardior.*

Παρήγραμμα] Agnominatio: cum vnius litterae mutatio diuersam significationem affert: vt pro *Tiberius Claudius Nero, Biberius Caldius Mero.* Et lib. 2. de Orat. c. 63. *Eamus deambulatum. Quid opus fuit de? Immo vero, quid opus fuit te?* Et Phil. 13. c. 11. *Cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres.* Et Afranius apud Gellium lib. 7. c. 12. *Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit.* Et Terentius in Andr. Act. 1. Sc. 3. v. 13.

—— *Inceptio est amentium, haud amantium.*

Παρὰ

Παρὰ προσδοκίαν] Praeter exspectationem: vt illud lib. 9. epist. vlt. *An tu id melius, qui etiam in philosophum irriseris? cum ille, si quis quid quaereret, dixisset, cenam te quaerere a mane dixeris. Ille baro te putabat esse quaesiturum, vnum caelum esset, an innumerabilia.* Simile illud lib. 2. de Orat. c. 64. *Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiumque ciuem esse arbitror.* Mire delectat Horatius lib. 2. Serm. Sat. 1. cum dixisset v. 53.

—— *Scaeuae viuacem crede nepoti*
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera: ——

intulit v. 56.

Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

Similiter Cicero pro Scauro apud interpretem Horatii Porphyrionem: *Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam obligit.* Hoc de genere ficcait Cicero: lib. 2. de Orat. c. 64. *Natura nos noster delectat error: ex quo cum quasi decepti fuimus exspectatione, ridemus.* Et c. 70. *Ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem; cuius innumerabilia sunt exempla.*

Per Antonii personam] Legerem, *C. Iulii.* Is enim lib. 2. de Orat. loquitur de ridiculis. Nisi si quis lapsum memoria Ciceronem dicat. quod vix credibile videtur: salibus enim excelluisse non M. Antonium, sed C. Iulium, optime noverat: nec ita multo ante libros de Oratore compositurat, vt personarum partes obliuisci deberet: cum praesertim eos ipsos, quos in oratoriis libris loquentes induxerat, omnes, nullo errore, commemoret lib. 13. ad Attic. epist. 19.

Ἔντεχνα] Artificiosa. hoc verbum complectitur ἀμφιβολία, ὑπερβολὴν, παράγραμμα, παρὰ προσδοκίαν, et cetera, quibus risus excitarur.

Sacramento contendas, mea non esse] Vel pecunia depositа litiges, vt probes mea dicta non esse. Similiter Catullus ad fundum suum carm. 44. v. 4.

Quouis Sabinum pignore esse contendunt.

Sacramentum quid sit, Varro lib. 5. de L. L. docet his verbis: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, et qui infitiabatur de aliis rebus, vterque quingentos aeris ad pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat: victi ad aerarium redibat.* Festus paullo latius: *Sacramentum*, inquit, *aes significat, quod poenae nomine penditur; siue quis interrogatur, siue contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum, inter eos, qui iudicio inter se contenderent. qua de re lege L. Papiri tribuni plebis sanctum est his verbis: Quicumque praetor posthac factus erit, qui inter ciues ius dicet, tres viros populum rogato: iique tres viri sacramenta exiguntо iudicantoque, eodemque iure sunto, vti ex legibus, plebisque scitis exigere, iudicare, esseque oportet. Sacramenti autem nomine id aes dici coeptum est, quod et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus diui-*

diuinis. Hunc morem attigit Asconius in lib. 1. Ver. c. 9. *Cum in rem aliquam,* inquit, *agerent litigatores, et poena se sacramenti peterent, poscebant iudicem: qui dabatur post trigesimum diem.* Cicero lib. 1. de Orat. c. 10. *Agerent tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique, in suo genere, physici vindicarent, ornati homines in dicendo et graues, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret.* Valerius Max. lib. 7. c. 7. *Sacramento cum adolescentulo contendere ausi non sunt.* Ibidem c. 8. *Aphronia cum sorore sacramento contendere noluit.*

Quereris] Questus erat Volumnius, dominari in iudiciis, absente Cicerone, homines infantissimos.

Multo laboro minus] Quam de tuenda salinarum possessione, id est, de dictis meis, vt agnoscantur, laboro: de iudiciis non item.

Trahantur pedibus] Vel si mala illis omnia eueniant, non laboro. lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Fratrem mecum et te si habebo, per me ista pedibus trahantur.*

Vel Selius] Non bonus orator.

Se liberum] Ergo, liberum non esse, opinio fuit: ideo dixit, *vt possit probare,* quasi rem difficilem.

Interdictis] Quia possessio praetoriis interdictis defendi solebat; propterea, cum ageret de possessione vrbanitatis defendenda, iudiciale verbum lepide vsurpauit.

Te vnum] Qui omnes vrbanitate vincis.

Te sapere] Quia falsas laudes non agnoscis.

Illa] De Curionis tribuni plebis ingenio ad nouitatem propenso. quod postea res ipsa comprobauit: nam Caesaris caussam oppugnauit primum, deinde defendit. lib. 8. epist. 6.

Nostrum illum amicum] C. Curionem, tribunum plebis in locum Seruii designatum: vt lib. 8. epist. 4. Iure autem Cicero verebatur, ne non satis grauem Curio se praeberet in tribunatu. leuissime enim ab optimatum caussa ad Caesarem transiit: vt lib. 8. epist. 6. et lib. 2. epist. 13.

Grauitatis] Quam non habuit. lib. 8. epist. 6. et lib. 2. epist. 13.

In amoribus] In deliciis.

Quamuis in me ingrata sit] Dicit hoc propter iniquam aestimationem rerum suarum. vide lib. 4. ad Attic. epist. 2.

Dolabellam] P. Cornelium Dolabellam, postea Ciceronis generum.

Redde meum] Lib. 16. epist. 19. *Demetrium redde nostrum.*

Desit] Amori illius erga me.

Non videor nimium laborare] Cum valde tamen laborem.

EPISTOLAE XXXIII.

ARGVMENTVM.

Afflicta republica, sublata exercitatione forensi, retulit se Cicero ad declamationes, auditoribus Hirtio, Cassio, Dolabella. quibus quod non interesset, angi se scripserat Volumnius, et Hirtio propemodum inuidere. Cicero Hirtii laudat eloquentiam, sibi detrahit potius, quam arrogat.

arrogat. Volumnium vero inuitat ad eadem studia: deliberatum sibi iam significans, abdere se totum in litteras, Caesare permittente. Scripta videtur post bellum Africanum, Caesare III. et Lepido coss.

EXPLANATIO.

Declamationibus nostris] Cur se ad declamandum Cicero contulerit, causa exponitur lib 9. epist. 18.

Nihil sumus] In arte oratoria.

Displicemus] Etiam si aliquid simus.

Gregalibus] Sociis, praestantibus viris, ciuili bello amissis. Pro domo c. 28. *Catilinae gregales.* De harusp. resp. c. 25. *Neque P. Clodius, neque quisquam de gregalibus eius.*

Emissimus] Loquitur de libris suis.

Pinnigero ERN. *Pennigero, non armigero in corpore*] Non dubium est intelligi de auibus: quas Philoctetes configebat tardus, celeres, stans volantes. Alii tamen, *pinnigero*, legere maluerunt, contra Quinctiliani lib. 1. c. 4. sententiam, qui *pinnas* de auibus dici non vult. *Pennigero* etiam est in meis veteribus libris. Lib. 5. de Fin. c. 11. *Philoctetes cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum,*

Configebat tardus celeres, stans volantes,
vt apud Attium est,
Pennarumque contextu corpori tegumenta faciebat.

Ingemiscebat Cicero, quod ingenium suum non, vt antea, in agendis causis, aut in tuenda republica, sed in declamationibus illis exerceret.

Exceperimus] Translatum verbum, quia dixerat, *concursum*, qui enim concurrentes occupationes ita exci, it, vt ab iis ne prosternatur; iustam atque ab omnibus concessam facultatem habet in otium discedendi.

Multam salutem et foro dicam, et curiae] Relinquam forum, et curiam: neque causas in foro agam, neque sententiam in senatu dicam: quae mihi antea curae erant. Modus loquendi de Graeco fonte deriuatus. lib. 8. ad Attic. epist. 8. Πολλὰ χαίρειν τῷ κακῷ *dicens, pergit Brundisium.* Plato in epistola ad Perdiccam, et in Critone; Euripides, alii.

Communibus nostris amatoribus] Similiter dixit, *amatorem tuum*, lib. 9. epist. 15.

Cassius] C. Cassius, qui postea Caesarem occidit.

Dolabella] Qui et ipse declamare solitus erat audiente Cicerone: itaque discipulus vocatur lib. 9. epist. 7. 14. 18. vide Quinctilianum lib. 12. c. 11.

Meis aequissimis vtuntur auribus] Libenter eos audio declamantes.

Opus est huc] Ad haec nostra studia requirimus iudicium et doctrinam tuam.

Limatulo et polito] Translatio ab operibus, quae limantur primum, deinde etiam poliuntur, vt magis placeant.

Interioribus] Reconditis, non vulgaribus. lib. 3. epist. 10. et in Bruto c. 76. *Erant in eo* (L. Torquato) *plurimae litterae, nec eae*

vulgares, sed interiores quaedam et reconditae.

Meis (deleuit ERN.)] Quibus ego maxime delector; amoribus et deliciis meis.

Verecundiorem me in loquendo fecis] Iocari Ciceronem non dubito: cum ipse potius, eloquentia longe omnibus antecellens, maximeque litteris interioribus instructus, verecundiores alios in loquendo faceret.

Iudicatum] Deliberatum, constitutum.

Patietur] Mihi optanti concedat.

Volet] Vel si ipse non optem.

Deponere illam personam] Caussas non agere, nec in senatum venire. Supra: *Multam salutem et foro dicam, et curiae.* Translatio ab histrionibus, qui varias personas suscipiunt, et modo senem agunt, modo iuuenem, modo herum, modo seruum. lib. 5. epist. 3.

Iam] Cupiditatem indicat haec particula personae deponendae.

Probaui] Vt histriones populo se probant, cum suas egregie partes agunt: ita ego me Caesari satis iam probaui; cum et in senatum venerim, et caussas apud eum egerim, vt pro Deiotaro, pro Ligario.

Ac me totum in litteras abdere] Lib. 9. epist. 20. *Litteris me involuo.*

Ne perinuitus ERN. *pluribus legerem*] Quamquam obscura sententia est, consensum tamen omnium antiquorum librorum non video, cur contemnam. *Perinuitus*, pro *pluribus*, placeret, si vel vnius libri veteris testimonio comprobaretur, aut, si mutatio quam minima fieret: quod in coniecturis probare maxime soleo. nam, quod ad sententiam attinet, recte opponerentur, *perinuitus legerem, gratissimas fore.*

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM VIII.

QVI EST

M. COELII RVFI AD CICERONEM.

Ante quam Coelii epistolas interpretemur, vitam eius breui oratione complecti non alienum putauimus. Ac primum, de honoribus, quos gessit; tum, de eius eloquentia; tertio loco, de moribus; postremo de obitu; quae vel Cicero in suis libris, vel annalium litterae loquuntur, agendum videtur.

M. Coelius Rufus, plebeii generis, patre equite Romano, Puteolis natus, sumpta virili toga, id est annum aetatis ingressus XVII. a patre continuo ad Ciceronem deductus est, nondum praetorium, sed eloquentia iam et probitatis opinione clarum: a quo etiam *lectissimus adolescens* appellatus est lib. 4. in Ver. c. 17. In illo aetatis flore cum artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentauit. postea fuit assiduus cum Cicerone praetore, candidatumque affectatus est in petitione consulatus. anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinae studuit. tribunatum plebis gessit, Pompeio tertium consule, Milonemque, ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissime defendit. qua de re sic in orat. pro Milone c. 33. *Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Coelius, tribunus plebis, vir et in republica fortissimus, et in suscepta caussa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis siue inuidia siue fortuna, singulari, diuina, et incredibili fide.* In libro de clar. orat. c. 79. *M. Coelius, quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum caussa, steterit constantius.* Nominant et Appianus et Dio tribunum plebis, quamquam apud vtrumque mendose legitur *Caecilius*. Aedilis curulis fuit L. Paullo et C. Marcello coss. praetor C. Caesare II. et P. Seruilio coss. Orto ciuili bello, quaestor in Africa fuit C. Curionis, vt apud Caesarem lib. 2. de bell. ciu. c. 23. scriptum est.

Eloquentiae in primis operam dedit, locumque inter summos oratores consecutus est. itaque et Cornelius Tacitus et Quinctilianus inter eos oratores, qui nouissimis reipublicae temporibus maxime floruerint, Coelium referunt, sua cuique tributa laude, Ciceroni, Caesari, Coelio, Caluo, Bruto, Asinio, Messallae. Coelii tamen scripta paullo asperiora, et antiquitatem redolere visa sunt. de quo sic Tacitus in dialogo de orat. c. 18. (Ser. Galba et C. Carbo) *sunt horridi, et impoliti, et rudes, et informes, et quos vtinam imitatus non esset Caluus vester, aut Coelius, aut ipse Cicero.* et c. 21. *Quid? ex Coelianis orationibus? nempe haec placent, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, vt Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Item c. 25. *Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum diserros antecessit, Caluus autem, et Asinius, et Caesar, et Coelius, et Brutus, suo iure, et prioribus, et sequentibus anteponuntur. nec refert, quod inter se specie differunt, cum genere consentiant. Adstrictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, grauior Brutus, vehementior, et plenior, et valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt.* Quinctilianus autem haec lib. 10. c. 1. *Multum ingenii in Coelio, et praecipue in accusando multa vrbanitas, dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigisset.* Subiungit c. 2. *Quid noceret, vim Caesaris, asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, quibusdam in locis assumere?* Et lib. 11. c 1. Coelii verba recitat ex oratione, quam de vi reus pro se ipso habuit: de qua et Suetonius meminit in libro de clar. Rhet. c. 2. et Festus mentionem facit. Illa quoque notauimus apud eundem lib. 12. c. 10. *Vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Callidii, grauitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messallae, sanctitatem Calui reperiemus.* Sed audiamus Velleium historiae suae lib 2. c. 68. *Dum,* inquit, *in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Caesar decertat, M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in vtroque perfectior, nec minus ingeniose nequam.* Plus tamen ei facultatis in accusando fuisse, quam in defendendo, Quinctilianus ostendit lib. 6. c. 3. cum ait M. Coelium, quia melius obiiceret crimina, quam defenderet, *bonam dextram, malam sinistram* appellari a Cicerone solitum esse. idque confirmat ipse Cicero his verbis in libro de clar. orat. c. 79. *Eius actionem et splendida, et grandis, et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio. Graues eius conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eaeque omnes ex reipublicae contentione susceptae: defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles.* Tres eius accusationes, quas Cicero appellat, fuere, prima in C. Antonium de maiestate, qui consulatum cum Cicerone gesserat: secunda in Sempronium Atratinum de ambitu: et vtramque significat Cicero in oratione, qua eum defendit, c. 31. et 1. tertia, vt opinor, in C. Laelium; vt ex Quinctiliani verbis, quae lib. 6.

c. 3.

c. 3. leguntur, mihi videor posse coniicere. Scripsit etiam concionem *de aquis*, quam Frontinus de Aquaeduct. art. 76. nominat. eam fuisse non dubito contra aquarios et tabernarios: nam ipse epist. 6. *nisi ego*, inquit, *cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus ciuitatem occupasset.*

Mores in eo minime cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca lib. 3. de Ira c. 8. Quinctilianus ait: *Dignus vir, cui et mens melior, et vita longior contigisset.* Cicero: *Nec vero M. Coelium praetereundum arbitror, quaecumque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit.* Nequam et prodigum fuisse, ex his Velleii verbis intelligitur: *Cum ne a diis quidem seruari posset (quippe peior illi res familiaris, quam mens erat) in praetura nouarum tabularum auctor exstitit.* Eodem pertinent illa Quinctiliani lib. 1. c. 6. *Haec* (etymologia) *habet aliquando vsum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: vt cum M. Coelius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit, (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia vtilis multis, id est fructuosus, vnde sit dicta frugalitas.* Impudicum et lasciuum ostendit oratio Ciceronis. Saltandi artem diligenter didicit, ingenuis indecoram atque inhonestam. itaque reprehendit eam Scipio Aemilianus in oratione contra legem iudiciariam Ti. Gracchi, cuius haec verba lib. 2. Saturn. c. 10. recitat Macrobius: *Docentur praestigias inhonestas, cum cinaedulis, et sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum. discunt cantare, quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt esse, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec cum mihi quisquam narrabat; non poteram animum inducere, ea liberos suos nobiles homines docere: sed, cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis: in his vnum, quod me reipublicae maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus seruulus honeste saltare non posset.* Idem infra sic: *Vno eodem tempore tribus nobilissimis ciuibus, non modo studium saltandi, sed etiam, si diis placet, peritiam, qua gloriarentur, fuisse, Gabinio consulari Cicero non dissimulanter obiecit, et M. Coelio, noto in turbas viro, quem idem Cicero defendit, et Licinio Crasso, Crassi eius, qui apud Parthos exstinctus est, filio.* Inconstantis ingenii fuit. primum, tribunus plebis quo anno P. Clodius a Milone occisus est, optimatum partes defendit. qua de re sic Cicero in Bruto c. 79. *talis tribunus plebis fuit, vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum causa, steterit constantius.* Mox, orta inter Caesarem et Pompeium discordia, neutram in partem inclinare visus est. id significat Cicero lib. 2. epist. 15. *Ipsa republica*, inquit, *nihil mihi est carius: in qua tu non valde te iactas. districtus enim mihi videris esse, quod et bonus ciuis, et bonus amicus es.* Deinde, mutata sententia, Caesaris ad partes transiit. ex quo illud Ciceronis in Bruto: *Hic cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quo-*

quomodo discessu meo discessit a sese, cecidit que, postea quam eos imitari coepit, quos ipse perueterat. Profectum ad Caesarem cum C. Curione, vt cum ad ciuile bellum incitaret scripsit Dio lib. 41. Demum a Caesare ipso desciuit: idque cum ipse declarat epist. vlt. tum vero Velleius his verbis: *A cito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus infestus erat, in vrbe seditionem, aut magis occulte bellicum tumultum mouens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu circa Turios oppressus est.* Caesar autem planissime lib. 3. de bell. ciu. c. 20. 21. cuius verba subscribemus: *Iisdem temporibus Romae M. Coelius Rufus praetor, caussa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii, praetoris vrbani, sellam collocauit; et, si quis appellasset de aestimatione, et de solutionibus, quae per arbitrum fierent, vt Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. — Ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem caussam videretur, legem promulgauit, vt sex pensionibus sine vsuris creditae pecuniae soluantur. Cum resisteret Seruilius consul, reliquique magistratus; et minus opinione sua efficeret; ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgauit: vnam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit; alteram tabularum nouarum: inuectique multitudinis in C. Trebonium facto, et nonnullis vulneratis, eum de tribunali deturbauit. De quibus rebus Seruilius consul ad senatum retulit: senatusque Coelium ab republica remouendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit, et concionari conantem de Rostris deduxit. Ille, ignominia et dolore permotus, palam se profectum esse ad Caesarem simulauit, clam nunciis ad Milonem missis, qui, Clodio interfecto, eo nomine erat damnatus; atque, eo in Italiam reuocato, quod, magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat; sibi coniunxit.*

De obitu sic idem Caesar c. 21. *Coelius, profectus, vt dicitabat, ad Caesarem, peruenit Turios. Vbi, cum quosdam eius municipii sollicitaret, equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eo praesidii caussa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus.* Et Velleius: *In vrbe seditionem, aut magis occulte bellicum tumultum mouens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu circa Turios oppressus est.* Dio autem lib. 42. eadem fere, quae Caesar, de eius defectione et nece prodidit. At Epitome Liuiana his verbis lib. 111. *M. Coelius Rufus praetor, cum seditiones in vrbe concitaret, nouarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu, pulsus vrbe, Miloni exsuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit, vterque cum bellum moliuntur, interempti sunt.*

EPISTO-

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Ex duplici haec epistola constat argumento, morali, et negotiali. quatenus enim excusatione vtitur Coelius, quod alteri curam et laborem colligendi ac perscribendi res vrbanas delegauerat, morale genus est: reliqua narratio negotialis. Primum igitur, vt arrogantiae culpam vitet, excusat se, quod rerum vrbanarum commentarium alterius opera conficiendum curauerit: deinde subiungit haec: de comitiis Transpadanorum Romae rumorem nullum esse: de successione Galliarum nihil relatum: de Pompeio cupere se aliquid cognoscere: de Caesare varia dissipari: de Domitio, de Q. Pompeio, de Planco, de Politicis Ciceronis libris. Scripta est, quo anno in prouinciam Cicero profectus est, Ser. Sulpicio et M. Marcello coss. Respondit Cicero iis litteris, quae lib. 2. leguntur hoc initio: Quid? tu me *etc.*

EXPLANATIO.

Decedenti ERN. *Decedens*] Vnde? ab ipso Cicerone: quem in prouinciam eumtem prosecutus erat, sic proficiscentem Appium in Ciliciam, sic Valerium Cicero prosecutus est: vt lib. 3. epist. 10. et lib. 13. epist. 6. ipse Coelius hoc iter significat, subiungens: *Romam cum venissem. Decedere* autem simpliciter accipit Coelius pro *discedere*, vt epist. 10. *Mei officii est, meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.* Vsitatius tamen est de magistratibus e prouincia decedentibus: licet priuatis quoque accommodetur, vt in orat. pro Quintio c. 4. *Decedit ex Gallia Romam simul Naevius.*

Data opera parauī] Studiose parui: operam dedi, studium adhibui, vt pararem, qui sic omnia colligeret, atque in commentarium referret, vt verear, ne tu meam sedulitatem nimis etiam diligentem existimes. *Argutum* enim veteres interdum vocabant, quod summam diligentiam argueret. id cognoscitur ex lib. 6. ad Attic. epist 5. *Velim*, inquit, *etsi, vt spero, te haec legente aliquantum viae processero, tamen obuias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas.* Et lib. 2. de Diuin. c 12. *argutissima exta*, quae maxime significant. Lib. autem 1. de Leg. c. 9. *oculi nimis arguti*, quod arguant, et quasi loquantur, quemadmodum animo affecti simus. *Manus minus arguta*, lib. 3. de Orat. c. 59. quasi minus actuosa, quae non subsequi digitis, neque verba exprimere videatur.

Curiosus] *Curiosi* sunt, quorum nimia, et, vt Coeliano more loquar, ita arguta sedulitas est, vt vel minima quaeque curent.

Deprecor] *Deprecari*, interdum est, precari, vt aliquid habeamus, vt, *pacem deprecari*, lib. 12. epist. 24. et, *te lacrimae fratris deprecantur*, lib. 4. epist. 7. interdum contra, ne habeamus, vt, *deprecari exsilium, poenam*, et similia: quod Ciceroni et aliis frequentissimum est.

Delegaui] Mihi a te legatum. Est enim, *delegare*, non, simpliciter aliquid alicui mandare, sed id mandare, quod is, qui mandat, facere ipse debebat. hoc significant loca Ciceronis a me diligenter obseruata, in orat. pro domo c. 7. *delegaui*, inquit *amico locupletiori*. Et lib. 12. ad Attic. epist. 3. *delegationem a mancipe*. Et ibidem epist. 12. *Balbi regia conditio est delegandi*. Et lib. 2. de Orat. c. 28. *Sed haec ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt*.

Tuae memoriae dare operam] Ea tractare, quae tui me obliuisci non sinant. amici enim caussa, qui aliquid agit, ejus memoriae operam dat.

Edicta] Consulum, et praetorum.

Fabulae] In scena recitatae. In Bruto c. 18. *Liuianae fabulae, non satis dignae, quae iterum legantur. Atque hic Liuius, qui primus fabulam, C. Clodio Caeci F. et M. Tuditano coss. docuit*.

Quod exemplum] *Exemplum* est imago rei. vocat igitur *exemplum* commentarium rerum vrbanarum, quod in eo quasi quaedam ciuitatis imago esset.

Molestiam exhibeam] Sic lib. 12. epist. 30. *Noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere*.

Minus commode] Minus apte, non vt oportet. sic lib. 1. de Orat. c. 54. *oratio commode scripta*.

Existimari.] Opinio: vt in orat. pro Coelio c. 2. *Nam, quod de pietate dixistis, est quidem ista nostra existimatio, sed iudicium certe parentis. quid nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parentes sentiant, lacrimae matris incredibilisque moeror, squalor patris et haec praesens maestitia, quam cernitis, luctusque declarat*.

Vt nunc est] Pro, quomodo nunc se res habet. ita locutus est lib. 7. ad Attic. epist. 4. et lib. 12. ad eundem epist. 29. Similiter ad eundem lib. 13. epist. 2. *Quo modo nunc est*. Et lib. 4. Acad. c. 4. *Vt quidem nunc se caussa habet*. Terentius autem in Heaut. Act. 1. Sc. 2. v. 38. *Vt tempus est diei*.

De comitiis Transpadanorum] Vt quattuoruiri, qui summus erat in municipiis magistratus, crearentur. In Gallia transpadana, Caesaris prouinciae parte, Latinae coloniae erant omnes, iure Latii, vt Pedianus ad orat. in Pison. init. docet, lege Pompeia accepto. Caesar iis iam ante, quam aedilis esset, ciuitatem dari voluit: de quo Suetonius in Iulio c. 8. his verbis: *Colonias Latinas, de petenda ciuitate agitantes, adiit: et ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paullisper, ob id ipsum, retinuissent*. Hoc autem anno, quo Coelius hanc epistolam scripsit, in municipiorum formam transpadanas colonias redigi, creatis quattuorviris, qui erant idem in municipiis, quod Romae consules, aut studuit Caesar, aut studere creditus est, municipia vero ciuitatem sine suffragio primis temporibus, hoc tempore suffragii ius cum ciuitate habebant, huius rei vestigium exstat lib. 5. ad Attic. epist. 2. *Erat*, inquit, *rumor de Transpadanis, eos iussos quattuoruiros creare. quod si ita esset, magnos motus timeo*. Hac tota de re Sigonius egregie

lib. 3.

lib. 3. de antiquo iure Italiae c. 2.

Cumarum tenus] Cumas vsque peruenerunt, vltra progressi non sunt. vltra Cumas nihil de transpadanorum comitiis auditum est.

Auditionem accepi] Durior et horridior interdum Coelius est in explicanda sententia. quis enim sic loquatur, *ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*, pro, nihil prorsus audiui? fortasse hoc illud est, cur in eo sordes verborum Tacitus appellet, et subiungat, *amarior Coelius*: et Quinctilianus asperitatem ei tribuat in dicendo.

Marcellus] Consul cum Sulpicio. iam erumpebat inter Caesarem et Pompeium discordia, sero nimis opes Caesaris timente Pompeio: qui proximo anno consul tertium pugnauerat, vt absens Caesar consulatum petere posset; contra quam legibus cautum erat. lib. 6. epist. 6. et ad Attic. lib. 7. epist. 1. et lib. 8. epist. 3.

De successione Galliarum] Vt Caesari ante legitimum diem succederetur. erat enim hic octauus Caesaris annus in administratione Galliarum, imperio decem annorum ei concesso; quinquennio vno lege Vatinia, ipso Caesare cum Bibulo consulatum gerente; altero lege Trebonia, Pompeio et Crasso coss. quam Pompeii et Crassi legem, quod eam ex consulum voluntate Trebonius tribunus plebis tulerat, Hirtius vocat lib. 8. de bell. Gall. c. 53. *Marcellus*, inquit, *proximo anno, cum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi, retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris prouinciis.*

In Kal. Iun.] Senatus consultum de Galliis, non Kal. Iun. sed pridie Kal. Oct. referente Marcello, factum, misit Ciceroni Coelius. epist. 8.

Distulit] Epistola sequenti: *Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed (vt mihi videbatur) consilio.*

Sermones expressit ERN. *repressit*] Cum, eum statim de Galliis relaturum, homines loquerentur. *Sermones retundere*, dixit epist. 6. Sed, *reprimere*, Ciceronianum est. lib. 3. epist. 8.

Offendisti] Offendit eum Tarenti, et cum eo tres dies fuit. lib. 2. epist. 8. et lib. 5. ad Attic. epist. 6. et 7.

Aliud sentire et loqui] De simulatione Pompeii, lib. 1. epist. 5. et lib. 4. ad Attic. epist. 9. et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. *Velit, nolit, scire difficile est.*

Perscribas] Perscribere noluit Cicero: rescripsit enim lib. 2. epist. 8. *Cum Pompeio complures dies nullis in aliis, nisi de republica, sermonibus versatus sum: quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. Tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeium, et ad omnia, quae prouidenda sunt in republica, et animo, et consilio paratum.*

Susurratores ERN. *Susurrationes*] Incertis auctoribus. nam, si quid esset certius, susurrationes non essent, quae paucorum sermones sunt, sed rumores inter omnes. Paullo post: *Haec inter paucos secreto narrantur.*

Apud Bellouacos] Cum quibus hoc anno bellum Caesar gessit.

fit. Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 6. seqq.

Neque haec incerta] Neque tamen haec, quae sunt incerta, vulgo iactantur, sed narrantur inter paucos, male in Caesarem animatos. Paullo ante: *Susurrationes dumtaxat veniunt.*

Vulgo iactantur] Quibus de rebus dissipatus rumor est, eae res vulgo iactari dicuntur. Livius lib. 9. c. 45. *Ob haec vulgo in conciliis iactata populus Romanus bellum fieri Aequis iussit.* et lib. 38. c. 28. *Iactata sermonibus res apud Romanos.* Eodem verbo in eadem sententia Caesar vsus lib. 1. de bell. Gall. c. 18. Suetonius autem saepissime.

Quos tu nosti] Caesaris inimicos, Bibulum, Catonem, Domitium, praecipuos optimatum duces contra Caesaris Pompeique potentiam. quamquam Pompeius, qui Caesaris opes auxerat, easdem sero timens, de reuocando ex Galliis Caesare cum optimatibus coeperat cogitare.

At Domitius] L. Domitius Ahenobarbus, consularis, acerrimus Caesaris aduersarius. In praetura conatus est, quae consul Caesar egerat, infirmare. quod cum obtinere nequiuisset, biennio post consularis candidatus palam minatus est, consulem se effecturum, quod praetor non potuisset, ademptumque ei exercitus. quo metu Caesar operam dedit, ac perfecit, vt, detrudendi Domitii caussa, Pompeius et Crassus consulatum peterent. Suetonius in Caesare c. 24.

Manus ad os apposuit] Eorum more, qui secreto aliquid narrant. Subaudiendum videtur, *quam haec libenter narrat.*

Subroſtrani] Infimi ordinis homines, sub Rostris versari soliti. Livius humillimam plebem, forensem factionem, ac turbam vocat lib. 9. c. 46.

A Q. Pompeio] Rufo, Sullae dictatoris ex filia nepote, P. Clodii familiarissimo, tribunus plebis anno proximo cum T. Munatio Planco et C. Sallustio collegis, immanissimas de Milone, ob Clodii necem, conciones habuerat, Ciceroni etiam, quod Milonem defenderet, inuidiam concitarat. damnatus est ipse primum, deinde Plancus, quod eorum concionibus incensa plebs, Clodii corpore in curiam illato, curiam ipsam cremasset: quo igne Porcia quoque basilica flagrauit: ex quo non modo Sex. Clodium, eius auctorem seditionis, verum et multos ex factione Clodiana, praecipue vero Q. Pompeium, et T. Plancum lege Pompeii Magni de vi condemnatos esse, Dio Pedianusque declarant. Illud quasi ἐν παρέργῳ addam, Latinam Dionis versionem emendandam, in qua Pompeius hic Sullae sororis filius vocatur: cum dixerit Dio, Σύλλα θυγατριδῆς, id est, Sullae ex filia nepos. idque Pedianus, et epitome Liuiana lib. 77. confirmat. pater eius, Q. Pompeii Rufi, Sullae in consulatu collegae, filius, in seditione a tribuno plebis P. Sulpicio excitata, occisus est.

Baulis] Vbi Romanis exsulibus per leges licebat esse. hoc enim ius, teste Polybio, foederatae ciuitates habebant; in quibus fuisse Bauli videntur, cum ab eo Neapolis, Praeneste, Tibur, propinqua Baulis opida, nominentur.

Embaeneticam facere] Ἐμβαίνειν est nauem conscendere: ex quo, *embae-*

embaeneticam facere, pro conscendendi artem exercere. maritima fortasse mercatura victum sibi Pompeius exsul comparabat, ad inopiam redactus, vt ex eo, quod sequitur, liquet, *vt ego miserer eius esuriei*. Sunt, qui malint, *embaticam*: vt maritimum Pompeii latrocinium significetur: ἀπὸ τῦ ἐμβαίνειν: vnde ἐμβάτης, sicut ἐπιβάτης, et ἀναβάτης: et inde ἐμβατικὸς potius, quam ἐμβαινετικός. Turnebus legebat, *empiniticam*, a verbo πεῖνᾶν, quod est esurire: vt Q. Pompeium dicat esuriendi artem facere.

Vt ego miserer eius esuriei] Ita misertus est, vt eum in iudicio adversus Corneliam, eius matrem, defenderit: quod eo laudabilius fuit, quia Q. Pompeius, hoc ipso Coelio accusante damnatus, exsulabat. Vide Valerium Max. lib. 4. c. 2.

Hoc mendacio vt defungeremur] Pro, *defungereris*. amoris enim caussa, quod vnius Ciceronis erat, sibi quoque communicat, ex vetere prouerbio, *amicorum omnia communia*. Defungitur autem is, qui euadit, et periculo liberatur. Pro Roscio Amerino c. 8. pro Sextio c. 34. et Virgilius lib. 6. Aen. v. 83.

O *tandem magnis pelagi defuncte periclis.*

Optaui, igitur, vt defungeremur, vt tuti iam essemus ab omnibus, si quae tibi impenderent pericula: vt hoc mendacium finis et quasi defunctio esset omnium periculorum.

Plancus tuus] Ingenio Coelius fuit ad iocandum procliui: quod et Quinctilianus animaduertit in eius orationibus, et omnes, quae nunc leguntur, ab eo scriptae ad Ciceronem epistolae demonstrant. *Tuus*, hic dixit, cum ironia: quod Plancus Bursa Ciceronis esset inimicissimus, nec iniuria, quod eo accusante, vt Dio tradidit, de vi condemnatus esset. Vel, *tuus*, quod Ciceronem, in quem inueheretur, delegerat. operae pretium est legere, quae de eo ad Marium scripserit, lib. 7. epist. 2. et lib. 9. epist. 10. et Phil. 13. c. 12. frater fuit L. Planci oratoris, ad quem sunt Ciceronis epistolae, et ipsius ad Ciceronem, lib. 10. Pedianus in argumento Milonianae.

Rauennae] Vmbrorum colonia fuit, Strabone teste lib. 5. in Gallia cispadana, quae Caesaris prouinciae pars fuit; extra Italiae terminos. nam Galliae prouinciae initium ad superum mare Rauenna fuit, ad inferum Luca, ipsa quoque colonia, vt ostendit Vellcius lib. 1. c. 15. Vt igitur Q. Pompeio Baulis, in foederata ciuitate, sic Planco Rauennae, quae colonia Latina fuit, non ciuium Romanorum, esse licuit. Latinae enim coloniae suis legibus, iisdem scilicet, quibus vetus Latium, Romanae vero Romanis vtebantur.

Congiario] Munere. nam, quia congii, mensura muneri populo primis temporibus datum est, hinc ad omnia munera, etiam pecuniaria, *congiarii* nomen transiit. Quod Ciceronis, Suetonii, Plinii, aliorum exempla significant.

A Caesare] Quod L. Planci frater esset, Caesaris in Gallia legati. lib. 5. de bell. Gall. c. 24.

Nec beatus] Quod aeris alieni tantum antea contraxisset, vt, accepto magno congiario, minime tamen abundaret. Locupletes interdum *beatos* et Cicero, et alii appellant.

Nec

Nec bene instructus] Tantum abest, vt beatus, vt nec bene instructus sit. Erat igitur similis duorum exsulum, Ciceronis inimicorum, conditio; cum illum esurire, hunc bene instructum non esse, Coelius dicat.

Politici libri] Sex libri, in quibus formam Cicero expressit eius reipublicae, quae, vt apud Augustinum in libris de ciuitate Dei scriptum animaduerti, a secundo Punico bello ad Ti. Gracchi tribunatum, id est, ad Africani minoris interitum, floruerat: ipsumque Africanum cum C. Laelio, M. Manilio, P. Furio Philo, consularibus viris, disputantem de optimo statu ciuitatis induxit; probauitque ceteris rebus publicis ideo Romanam antecellere, quod ex triplici genere, regio, optimatum, populari, temperata, nullam neque domesticae iustitiae, neque bellicae rei partem desideraret: cum in singulis generibus aliquid inesset vitiosum, quod exitium ciuitatibus afferre posset: confusis autem omnibus, perfectum quiddam exsisteret, quo reipublicae salus et incolumitas conseruaretur. Appellat eos, *de optimo reipublicae statu*, lib. 1. de Leg. c. 5. *de optima republica*, lib. 3. c. 2. Scripsit eos ab exsulio restitutus, post Appium et Domitium coss. in extrema epist. 9. lib. 1. vbi sua scripta commemorat, nullam omnino de his libris mentionem facit: puto, quod absoluti non essent: institutos enim eo anno, videtur indicare lib. 3. ad Q. Fr. epist. 5. Horum librorum fragmenta, quasi tabulas naufragio disiectas collegit diligentissime, natus ad illustrandam antiquitatem, omnique prorsus ingenii ac probitatis laude cum ipsa antiquitate conferendus, merito mihi et sua virtute, et singulari erga me studio carissimus, Carolus Sigonius: cuius etiam industriae atque doctrinae non solum argumenta cuiusque de republica libri, sed etiam obscurorum locorum, quicumque in omnibus Fragmentis doctorem lumenque requirebant, explanationem verissimam ac disertissimam debemus.

Omnibus vigent] Attico maxime: ad quem lib. 6. epist. 1. Cicero ita scripsit: *Cum sex libris, tamquam praedibus, me ipsum obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo.* Et ad eundem epist. 3. ibidem: *Reliqua plena adhuc et laudis et gratiae, digna iis libris, quos tu laudas.*

EPISTOLAE II.

ARGVMENTVM.

M. Valerius Messalla ante annum consul fuerat cum Cn. Domitio Caluino, creatus ex interregno, per ambitum, septimo anni mense, vt ex Dione et Appiano cognoscitur. accusatus de ambitu est, absolutusque anno ante quam consul fieret: de quo sic lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. Messallam iam nostrum, reliquosque molestia leuatos, vehementer gaudeo; eumque quod certum consulem cum Domitio numeratis, nihil a nostra opinione dissentitis. *Rursus eodem crimine in iudicium vocatus, euasit incolumis Hortensio defendente. qua de re lib. 4. ad Attic. epist. 17.*

epist. 17. in libro autem de clar. orat. c. 96 ita loquitur Brutus: Hortensium magnum oratorem semper putaui, maximeque probaui pro Messalla dicentem, cum tu abfuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, vt aiunt, scripta verbis oratio. *Et Valerius lib. 5. c. 9. sic:* Hortensius Messallam, suae sororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens, iudicibus dixit: si illum damnassent, nihil sibi, praeter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum; hac scilicet sententia, quam etiam editae orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quam in voluptatibus, reponens. *Idem postea retractus in iudicium damnatus est: quod Coelii epist. 4. significat. De absolutione igitur, quam nemo exspectauerat, de exsibilato Hortensio, Messallae patrono, de Marcelli consulis impetu sedato, de consularibus comitiis, de suis in aedilitate competitoribus, de pantheris, de syngrapha Sittiana, de conventariis rerum vrbanarum, breuissime ad Ciceronem Coelius, et, suo more, familiarissime scribit. Tota negotialis est epistola.*

EXPLANATIO.

Certe, inquam] Quod inopinata res acciderat, quam vix Cicero crediturus esset, qui Messallam corruptis pecunia comitiis factum esse consulem plane nosset, ab affirmatione orditur.

Me praesente ERN. *repraesentante*] Sic aliquot antiqui libri: alii, *me repraesentare:* nonnulli, *me prehensante:* quod non displicet. putat aliquis, *matre prehensante:* quae fuit soror Hortensii oratoris. ego nihil affirmo.

Pronunciatum est] Latis sententiis, pronunciabat ex lege praetor, quod iudicum maior pars iudicasset, maiore sententiarum numero vel absoluebatur, vel condemnabatur reus: si par erat, nihilominus absoluebatur: quod oratio docet pro Cluentio c. 27. ex pronunciatione igitur praetoris, absolutum sententiis omnibus Messallam, cognitum est.

Ordinibus] Aurelia lege, quam Hortensio et Metello coss. tulit L. Aurelius Cotta praetor, tres ordines iudicare coeperunt, senatores, equites, tribuni aerarii: cum equites antea lege Cornelia L. Sullae per annos decem turpiter iudicassent. Pedianus ad Cornel. 1. et in nostro de Romanis legibus libro copiose.

Vide modo; inquis] Dum nimis amat breuitatem Coelius, obscurat saepe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notauit. videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: *Vide modo, Coeli: non de Messalla bene homines existimant? non eius patet innocentia?* Respondet Coelius: *Non mehercules, etc.*

Validissime] Pro, *valdissime.* nam, *valde* fit a *valide.* Vnicum adhuc inuenimus exemplum, quod recitat Carisius ex diui Hadriani orationum 12. *A vobis,* inquit, *P. C. peto et impetratum validissime cupio, vt proxime imaginem Augusti argenteum potius clupeum, sicut Augusto, ponatis.*

Ad

Ad dolendum] Vt eius vicem dolerem, eique dolorem meum vultu et verbis declararem: quod officium amicitia postulat.

Captus] Vt iis, qui capiuntur, itidem mihi, rei nouitate, et huiusce non exspectato iudicii euentu, perculsus affectusque animus est, prorsus me stupor oppressit.

Corripuerunt] Reprehenderunt. sic locutus epist 9.

Relictus lege Licinia] De ambitu absolutus, cui poenam irrogabat Licinia lex.

Maiore periculo] Elapsus enim priore iudicio non sua innocentia, sed iudicum sordibus, accusabitur de corruptis iudiciis, maiore periculo, quam de ambitu. damnatum ostendit epist. 4.

Postridie eius absolutionem ERN. *absolutionis*] *Postridie eius diei*, dixit Sulpicius lib. 4. epist. 12. et Caesar lib. 1. de beli Gall. c. 23. 48. 51. *Postridie ludos Apollinares*, Cicero lib. 16. ad Attic. epist. 4. *postridduo*, pro postridie, Plautus in Mil. glor. Act. 4. Sc. 2. v. 90. *postridie*, simpliciter Cicero.

Theatrum Curionis] Non erit huius theatri, quod in funebri patris munere Curio dedit, inlucunda cognitio. sic enim a Plinio describitur lib. 36. c. 15. *Theatra duo iuxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtrisque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenae, et reuente circumactis, vt contra starent, postremo iam die descendentibus tabulis, et cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat.*

Hortensius] Quo defendente impunitatem Messalla erat assecutus. auunculum eius fuisse, et Valerius ostendit lib. 5. c. 9. et Plutarchus in Sulla.

Vt suum gaudium gauderemus] Vt sua laetitia laetaremur. sic et *saltare saltationem*, in oratione Scipionis Aemiliani contra Ti. Gracchum, apud Macrobium lib. 2. Saturn. c. 10. et *dolere dolorem*, et similia.

Hic tibi] Pro, *tunc*. nam *tibi*, ornamenti caussa positum, vt lib. 9. epist. 2.

Tonitruum] Cum e strepitu, fremitu, clamore quiddam tonitrui simile fieret.

Rudentum] Rudere, asinorum more, homines solent, cum aliquem contumelioso ludibrio vexant.

Sibilus] Cum et ruderent simul, et exsibilarent Hortensium. fortasse autem, *rudentum sibilus*, ideo coniunxit Coelius, quod illud Pacuvii memoria teneret, *Rudentisibilus*, notatum a Varrone lib. 4. de L. L. antiquitatem enim paullo etiam magis, quam decuit, imitari Coelio placuit: quod a Tacito et Quinctiliano reprehensum videmus.

Intactus a sibilo] Ingredientes in theatrum sibilo excipiebantur ii, de quibus bene populus non existimaret. de quo in orat. pro Sextio c. 54. *Ei, qui pendet a rebus leuissimis, qui rumore, et fauore populi tenetur et ducitur, plausum; immortalitatem, sibilum, mortem videri necesse est.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 19. 21.

Vicisse] Obtinuisse, vt Messalla absolueretur.

Marcelli]

Marcelli] Consulis.

Impetus] De successore Caesari in Gallias mittendo. epist. 1.

Resederunt] Quieuerunt, sedati sunt. Tusc. 3. c. 12. *Cum tumor animi resedisset.*

Consilio] Quod, aduersari suis consiliis alterum consulem Sulpicium cum intelligeret, exitum rei desperaret. ait enim Suetonius in Iulio c. 29. *Summa ope restitit, partim per intercessores tribunos, partim per Seruium Sulpicium, alterum consulem.* Et Epitome Liuiana lib. 108. *Contentiones inter consules, de successore C. Caesari mittendo.* Hirtius autem lib. 8. de bell. Gall. c. 53. *Marcellus proximo anno, cum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi, retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris prouinciis; sententiisque dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris inuidia quaerebat, senatus frequens in alia omnia transiit.* Cicero etiam lib. 4. epist. 1. 2. 3. ait eum defensorem pacis in consulatu fuisse.

Incertissima est existimatio] Prorsus ignoratur, qui consules futuri sint.

Ego] Petebat hoc anno Coelius, et obtinuit aedilitatem.

Nobilem] C. Hirrum, qui nondum aedilitius auguratum cum Cicerone consulari petere ausus erat.

Nobilem agentem] Non vere nobilem, sed qui se nobilem fingeret.

M. Octauius] Qui cum Coelio aedilis curulis videtur creatus. lib. 5. ad Attic. epist. 21.

Cn. F.] Patris non eu addit, vt eum Cicero agnoscat. ex quo patet de eo dici, non de Hirro, *nobilem agentem.*

C. Hirrus] Lucceiae gentis. nominatur in senatus consulto epist. 8.

Propter Hirrum] Cuius repulsae nuncium avide a te exspectari scio: cur? quia Ciceronis competitor fuerat in auguratu. epist. sequenti, et 9.

Pantheras] Quas e Cilicia mitti a Cicerone cupiebat, vt eas populo suis ludis daret. binos ludos aediles dabant, Megalesia, et Romanos: in quibus varia bestiarum genera, maximeque si possent, inusitata, quo populus iucundiore spectaculo frueretur, offerebant in iis pantherae fuere, Africanae, et Graecae, id est ex iis regionibus aduectae, quarum incolae Graece loquerentur: in quibus Cilicia, Ciceronis prouincia, fuit. ideo epist. 6. *turpe*, inquit, *tibi erit, pantheras Graecas me non habere.* epist. 4. 8. 9. et lib. 2. epist. 11. et lib. 5. ad Attic. epist. vlt. lib. 6. ad eundem epist. 1.

Syngraphum Sittianam] Ex qua exigeretur a Sittio pecunia, quam in aedilitatis impensas Coelius erogaret. epist. 4. 8. 9.

Commendo] Ne solutio differatur.

EPISTOLAE III.

ARGVMENTVM.

Principium epistolae morale est. significat enim Coelius et suam in scribendo diligentiam, et quo Ciceronis absentis desiderio teneatur.

Deinde

Deinde ad negotia sermonem convertit. Se certiorem Hirro candidatum esse ait: Philotimum absenti Miloni satisfactionem: valde sibi gratum fore, vt cum suis Cicero scriptis ornet.

EXPLANATIO.

Estne] Quam acuto atque vrbano Coelius ingenio fuerit, ex epistolarum principiis intelligitur: talis enim aliquid omnia fere habent. *Estne*? inquit: non id praesto, quod tibi discedenti promiseram, quod tu fore negabas, vt crebro litteras mitterem?

Vici] Quasi contentio fuerit inter eos, cum Coelius de litterarum crebritate affirmaret, Cicero negaret.

Delectem otiolum meum] Qua ratione, quod vacui temporis conceditur, iucunde traducam, non habeo. *Otiolum* vocauit, vt occupationes offenderet suas, de quibus etiam in epist 1.

Vacanti] Non occupato, cum vacarem a negotiis, cum vacuus essem. sic Cicero lib. 12. epist. 30.

Id otii tempus] Id temporis, dum otiosus eram.

Sed Romae] Vt non mihi soli, sed vniuersae ciuitati, te absente, solitudo videatur esse.

Et qui —— discrucior] Plautina sententia in Capt. Act. 1. Sc. 2. v. 39.

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quae in potestate habuimus, ea amisimus.

Curat] Argute. nam, quia cum Cicerone coram de Hirro locari, eiusque ineptias ac stultitias ridere cupiebat, ideo *curat*, inquit, *Hirrus, vt te dies noctesque quaeram.* Plus autem est *curat*, quam *facit*, aut *caussa est*: quasi dicat: in hac petitione ita multa agit inepte, ita stulte, vt curare de industria videatur, vt ego tecum sim, quo illum ridere possimus.

Auguratus] Augur Cicero fieri noluit ante exsulium suum: reuersus in patriam, ne calamitas dignitatem eius minuisse videretur, studuit quam ornatissima senatus populique Romani de se iudicia intercedere: quod ipse ad Catonem scribit lib. 15. epist. 4. Augur autem in locum P. Crassi, Marci filii, a Parthis interfecti, creatus est, Plutarcho teste: nominatus, de more, a duobus auguribus, Pompeio Magno et Q. Hortensio oratore. Phil. 2. c. 2. et in Bruto c. 1. qui fuit annus vrbis DCC. Domitio et Messalla coss.

Nam mea] Nam mea quidem caussa ideo minus cupio, quam tua, quia, si aedilis fiam, forsitan cum locupletiore referam, id est, cum aliquo fiam, qui diuitiis Hirrum superet: quod e re mea non erit. opibus enim certandum erit in sumptu ludorum. Aediles curules ludos dabant magnificentissimos. lib. 2. de Offic. c. 16. et pro Murena c. 19. et Valerius Max. lib. 2. c. 4.

Vim] Vt ille repulsam ferat.

Sed tanti] Tantine, dices, hoc est, vt, si acciderit, propterea nobis tota vita risus deesse non possit? mehercule tanti est. ita enim multa, quae merito rideantur, quotidie committit, vt inde nobis perpe-

perpetuam ridendi materiam capere liceat.

Eorum odia, quae Hirrum premunt] Si dixisset, *ea odia*, vsitate dixisset: cum vero dixerit, *eorum*; Latini sermonis ratio, *qui*, postulat potius quam, *quae*. Sed est hoc Coelianum dicendi genus, id est plane durum et asperum, notatum etiam, vt iam ostendimus, a Quinctiliano et Tacito. Eandem soloecismi speciem agnosco in epistola sequenti, cum dixit: *In euitandis his consiliis, qui se intenderant aduersarios in eius tribunatum.* Quo in loco postulabat vsus Latinae linguae, *in euitandis eorum consiliis.* Verum, qui ea legerit, quae de Coelii eloquentia, ante huius libri interpretationem, ex antiquorum testimonio praefati sumus, accuratam a Coelio dictionem valde non exspectabit.

Subleuat] Licet Octauius gratia non valeat, non ideo tamen fit, vt ea, quae Hirrum premunt, odia minuantur. optabile solet esse, vt competitorem non gratiosum habeamus, quo facilius ad nos populi studium inclinet. hoc Hirro contigit, vt inops ab amicis et existimatione sit Octauius: nec tamen ideo, quae Hirrum premunt, odia leuantur.

Philotimi] T. Annius Milo, quo tribuno plebis praeter ceteros adiuuante in patriam ab exsulio Cicero redierat, anno proximo de vi reus ob necem P. Clodii, cum legis poenam, id est, exsulium, bonorumque omnium publicationem timeret, cepit hoc, auctore in primis Cicerone, consilium, vt, si iudicio damnaretur, quam damnationem publicatio bonorum sequebatur, eius bona Philotimus, Terentiae Ciceronis libertus, in auctione emeret, ea conditione, vt, si quando ipse recuperandi facultatem nactus esset, Philotimus restitueret, ipsique Philotimo tantum pro fide ac sedulitate, quasi mercedis loco, Milo persolueret, quantum Cicero aestimasset. quod Coelius a se curatum scribit, Ciceronis, opinor, litteris rogatus, ex itinere missis. nam Brundisii cum esset, hac ipsa de re sic ad Atticum scripsit lib. 5. epist. 5. *Roma acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriam meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri volui de C. Duronii sententia; quem et amicissimum Miloni perspexeram, et talem virum, qualem tu iudicas, cognoram.* Et paullo post: *Philotimus, vt ego ei coram dixeram, mihique ille receperat, ne sit inuito Milone in bonis.* Nunc ad Coelii verba veniamus.

Liberti] Terentiae, Ciceronis vxoris. lib. 6. ad Attic. epist. 1. et 3. et alibi.

Officium] In conseruandis Milonis bonis magna fide ac sedulitate.

Bona Milonis] Vt Miloni restituerentur; quod et ad Atticum antea, vt ostendi, et, opinor, ad Coelium scripserat.

Dedimus operam] Tum, vt Ciceroni obsequeretur, id per litteras roganti; tum etiam, quia Milonem ipse diligebat: quem antea tribunus plebis de vi reum, ob necem Clodii, defendit acerrime. Cicero pro Milone c. 33. Pedianus.

Quam honestissime] Fuit enim honestissimum, ac maxime decuit, ab eo satisfieri Miloni absenti, id

est ea restitui, quae, cum Milonis damnati bona in auctione venirent, emerat. sic lib. 2. de Offic. c. 1. *Existimaui, honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem.*

Miloni absenti] Massiliae exsuabat. Pedianus, Dio, et alii.

Eiusque necessariis] Ad quos Milo scripserat, vt a Philotimo sua bona redimerent. vide lib. 5. ad Attic. epist. 8. ex qua epistola satis constat, ipsum etiam Ciceronem partem Milonis bonorum, emptam in auctione, possedisse: de qua parte recuperanda non videtur Milo laborasse, vel amicitiae caussa, vel quod pecuniis, vt arbitror, non abundaret.

Existimatio ERN. *Aestimatio tua*] Aestimauerat Cicero, quantum Philotimo, pro eius fide ac sedulitate Milo daret: idque ipse Philotimo promiserat: itaque sic ad Atticum scribit: *Statues, vt ex fide, fama, reque mea videbitur.* quo in loco vide quae diximus in Commentario.

Aliquod σύνταγμα] Si Latine vertas, proprie *σύνταγμα compositio* est, a *συντάττω*. liber significatur accurate scriptus. nam *ὑπόμνημα*, Latine *commentarius*, ex tempore et sine studio conficitur. lib. 12. ad Attic. epist. 45. *Ego hic duo magna συντάγματα absolui.* quo loco duos Academicos, et quinque de Finibus libros indicat Et Simplicius *ἐν τῷ α τῆς φυσικῆς, ἀκροαματικὰ καὶ συνταγματικὰ*, ait esse *σπουδαιότερα.*

Homini non inepto] Cum ioco dixit: quasi, qui aliena industria sui nominis famam quaerat, non ineptus omnino sit.

Monumentis] Scriptis. alibi, *literarum monumenta, annalium monumenta.*

Exstare] Subauditur, *in mentem venit:* id est, ideo venit hoc in mentem, vt exstaret aliquod e scriptis tuis, quod posteris etiam nostram amicitiam declararet.

Nostrae amicitiae] Artificium, vt impetret. non, inquit, me gloriae studium, sed testificandae apud posteros amicitiae nostrae cupiditas in hanc mentem adduxit.

Omnem nosti disciplinam] Omnem doctrinam scientia comprehendisti.

Genere] Quod argumentum deligas, monendus non es: genus tamen id sit, quod nec a mea persona alienum videatur, et aliquid doceat, quo libentius legatur.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Varium est, si spectentur sententiae, huius epistolae argumentum: si genus, totum negotiale. nam de Messalla damnato, quem ante scripserat absoluturum, de C. Marcello consule designato, M. Claudio absoluto, Dolabella XVviro creato, Lentulo repulso, condemnato Seruio Sulpitio pro bis designato, Curione eius locum petente, Coelius significat. adiungit de comitiis et praetoriis, et suis aedilitiis: quid actum sit in senatu, quem in Caesarem Pompeius animum ostenderit. claudit epistolam commendatione rerum suarum.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Messallam] De quo epist. 2. Cognomen a Messana capta: ideo scribitur geminata *l*, quod lapides Capitolini veteres, praeterea nummi seruant: idque postulat analogia. Sic enim a Messana deducitur *Messalla*, vt a Corona *Corolla*, Catena *Catella*, Fiscina *Fiscella*.

Condemnatum] Ideo dixit epist. 2. *Relictus lege Licinia, maiore esse periculo videtur.*

C. Marcellum] M. Marcelli, vt ait Suetonius, fratrem patruelem; quem nemo consulem exspectabat, ex quo illud in epist. 2. *De comitiis consularibus incertissima est existimatio.*

M. Claudium] M. Claudius consul erat hoc anno cum Ser. Sulpicio. itaque nec in eum repulsae, nec accusationis mentio conuenit. nisi si alium M. Claudium putemus intelligi. quod si ita esset, omnino distinguendi gratia, vel cognomen, vel patris praenomen, vel notam aliquam Coelius addidisset. placet igitur, quod Corradus sensit, *Calidium*, pro Claudio, et *Galliis*, pro Gallis: vt sit M. Calidius orator, a duobus fratribus Galliis accusatus. quod eo verisimilius videtur, quia ipse quoque eorum alterum, Q. Gallium, accusauerat, quem Cicero defendit. constat ex libro de clar. orat. in quo c. 80. sunt haec: *Memini, cum* (M. Calidius) *in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum parauisse, idque a se esse deprehensum.* idem legimus in Valerio lib. 8. c. 10. idem hic epist. 9. Coelius significat his verbis: *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.* Sunt, qui legant, *a Gallis duabus:* et M. Claudium putent ab vlteriore et citeriore Gallia accusatum, in quo primum discedunt et a Mediceo, et plane a scriptis omnibus libris, in quibus est, *duobus*, non *duabus:* deinde nulla nituntur historia. nam, si accusatur a prouinciis, certe repetundarum. vtrique igitur Galliae praefuerit, necesse est, quod nemo prodidit. nec omnino cuiquam, ante C. Caesarem, administrationem vtriusque Galliae mandatam existimo.

A repulsa] Post repulsam consulatus. praetor enim Calidius fuerat Lentulo et Metello coss. oratio demonstrat in senatu habita post reditum c. 9

Postulatum] Reum factum. epist. 6. 8. 12. fortasse de ambitu: siquidem post repulsam postulatus est.

P. Dolabellam] Corneliae gentis, patriciae; qui postea gener fuit Ciceronis. accusauit Appium de ambitu. epist. 6.

Quindecimuirum] Quindecimviri custodiebant libros Sibyllinos, a Cumaea Sibylla, Prisco regnante, Romam allatos. *fatales* vocabantur, quod fata, id est immutabilem Iouis voluntatem, praedicerent. ad eos, quasi ad Oraculum, quindecimviri adibant, cum dii immortales publice consulendi essent. historiam Gellius lib. 1. c. 19. ex antiquis annalibus exposuit. Dio lib. 39. sacerdotes nominat custodes horum versuum, Cicero interpretes, lib. 1. de Diuin. c. 43. Quo in loco *de-*

cemuiri, non *quindecimuiri*, appellantur. sed veritatem aperit distinctio. nam superioribus temporibus decemuiri Sibyllinos libros custodiebant; Ciceronis aetate, atque etiam post aliquot saecula quindecemuiri. quod Ausonii poetae in Grypho versibus (Edyl. 12. 85. seqq.) constat:

Et tres fatidicae nomen commune Sibyllae,
Quarum tergemini fatalia carmina libri,
Quos ter quinorum seruat cultura virorum.

Suetonius in Iulio c. 79. *libros fatales* vocat.

Lentuli Cruris] Fortasse is est, qui anno sequenti consul designatus est. potuit enim et *Crus*, et *Cruscellus* nominari.

Descenderat] In campum Martium, vbi comitia creandis sacerdotibus lege Atia fiebant: cum eam potestatem T. Atius Labienus a collegiis ad populum transtulisset. qua tota de re diximus in libro de Legibus.

Nostri equites] Quorum studia Coelius amicissimo suo Dolabellae adiunxit. *Nostri* autem, quia Coelius et Cicero equestri loco nati, id est parentibus, qui supra equestris ordinis gradum, id est ad senatoriam dignitatem, numquam adscendissent.

Designatum tribunum plebis] Ergo comitia tribunitia ante praetoria et aedilitia fiebant; quae nondum esse facta, paullo post manifestum est. ante consules etiam designabantur tribuni plebis, quod lib. 1. ad Attic. epist. 1. testatur: primique omnium magistratum inibant IV. id. Dec. cum reliqui omnes magistratus Kal. Ian.

Condemnatum] De ambitu, quod tribunatum plebis largitione consecutus esset.

Magnum metum] Quod inquieto esset ingenio, et ab eloquentia paratus. Coelius tamen, eum propter amicitiam excusans, ait: *qui eum facilitatemque eius non norunt.*

Vt se ferè ipse] Vt se ostendit, vt videtur.

Bonos et senatum] Quos primo tribunus plebis defendit: mox ad Caesaris partes transiit, corruptus, Appiano teste, amplius MD talentis. epist. 6.

Vt nunc est] Sic Cicero lib. 12. ad Attic. epist. 29. *Quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum; et, vt nunc est, mansurae videntur.*

Hoc scaturit] Quasi ebullit hanc rem, vt Seruii locum obtineat. proprie *solum scatere fontibus* dicitur: sed cum accusandi casu veteres interdum vsi sunt. Plautus in in Pers. Act. 2. Sc. 1. v. 9. *Id tuus scatet animus.* Lucretius et cum genitiuo vsus est lib. 5. v. 40.

—— *Ita ad satiatem terra ferarum*
Nunc etiam scatit. ——

Similiter lib. 5. de Fin. c. 27. Cicero: *Dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire nonnumquam.*

Initium et caussa] Ideo tribunatum plebis petit, vt contra Caesarem agat, a quo contemptus est: cum antea tribunatum minime cogitauerit. quod Cicero significat lib 2. epist. 7. in eo loco, *cum te tribunum plebis isto anno fore non putarem.*

Infimo-

Infimorum hominum] Plebem sibi tribunosque plebis Caesar adiunxit, quod intelligeret optimates cum Pompeio sentire. epist. 14. *In hac d scordia*, inquit, *video, Cn. Pompeium, senatum, quique res iudicant, secum habiturum: ad Caesarem omnes, qui cum timore, aut mala spe viuant, accessuros.* Quamquam non infimos tantum homines, verum etiam sequentis anni consulem L. Aemilium Paullum magna pecuniae vi, qua basilicam Aemiliam exstruxit, ad suam causam traduxit.

Valde] Cum dixerit, *non mediocriter*, cur subiungit, *valde?* fortasse, vt magis augeat: vt cum dicebant, *vehementer etiam atque etiam.*

Contemsit] Maiore impensa, Curione tribuno plebis, cum eum quoque minime cum infimis conferendum sibi posset adiungere.

Perquam venuste cecidisse] Omnes libri veteres, etiam Mediceus, *ceciniss.* vnus tantum, *cedisse.* placet, *cecidisse:* ex more Latine loquendi.

Vsque eo] Videtur dictum pro, *vehementer.*

Nihil consilio facit] Fuit enim ingenio turbulento, de quo Velleius lib. 2. c. 48. *Curio, vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico. Cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllae, neque cupiditates sufficere possent.* Et Suetonius in Iulio c. 29. *violentissimum tribunorum* appellat.

Ratione et insidiis] Si vel vnus suffragaretur antiquus liber, legerem libenter: *ratione et consilio vsus videretur in euitandis eorum insidiis.* Quo modo locutus est lib. 5. in Ver. c. 10. *Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilem sibi ipse et iucundum ratione consilioque reddiderit.*

In euitandis eorum consiliis ERN. *his consiliis*] Cum sequatur *qui*, rectius videretur, *eorum consiliis.* quid agas? Coelianum est. Similiter dixit in proxima epistola, *eorum odia, quae Hirrum premunt:* pro, *qui Hirrum premunt.*

Aduersarios] Postea, cum ab optimatibus ad Caesarem Curio desciuisset, ita in gratiam rediere, vt Curionis maxime tribuni plebis opera auguratum Antonius obtinuerit. de quo in Phil. 2. c. 2.

Laelios et Antonios] Cum de Caesarianis loquatur, qui Curioni, Caesaris inimico, (vt quidem tunc aut erat, aut videbatur) in petitione tribunatus aduersarentur, malim *Lollios*, pro *Laelios.* nam Laelii Pompeiani: quod ex libris Caesaris de bell. ciu. cognoscitur. Antonius autem quaestor Caesaris erat in Gallia, et post annum tribunus plebis acerrime Pompeianis Caesarem oppugnantibus, restitit, intercessitque ne senatus consultum de Galliarum successione fieret. Nostram opinionem de *Laeliis* in *Lollios* mutandis adiuuat locus lib. 5. epist. 3. nam vbi, *Lollium*, legitur, non desunt scripti libri, qui habeant, *Laelium*, errorem creante nominis similitudine, et quod notiores Laelii, quam Lollii.

Id genus valentes] Pro, *eius generis. Valentes* autem vocat, animo et vigilantia praestantes.

In dies] Designatis enim iam tribunis plebis et consulibus, reliquorum creatio magistratuum duci valde non poterat.

Praetoriis] Praetoria comitia fieri statim post consularia solita sunt: sed obstitit nescio quid. auspicia quidem impedimento esse non potuere: cum praetoria, vt Gellius lib. 13. c. 14. docet, iisdem, quibus consularia, fierent; consularia vero facta iam essent.

Mea porro comitia quem euentum sint habitura] Sic antea in omnibus impressis. nos vocem, *comitia*, sustulimus, quae subintelligitur; vt etiam cum dicit, *praetoriis morae quaedam inciderunt.*

Opinionem incredibilem] Optima signa vidimus propensae in me, alienae autem ab Hirro populi voluntatis.

Aedilium plebis] Qui ante curules ideo creabantur, quod quasi tribunorum plebis ministri ab initio essent instituti, vt Dionysius et alii testantur. quod si tribunorum plebis caussa creati; consentaneum est, vt statim post eos crearentur, id est ante consules, et reliquos magistratus.

Nacta sunt] Quia candidati, antequam sua comitia fierent, aliorum quoque magistratuum comitiis prensabant, vt populi voluntatem elicerent; qua perspecta, vel confirmarentur in spe, vel, si quid esse aduersum intelligerent, aliqua ratione mederentur: propterea comitiis tribunitiis, qui candidati consulares erant, prensarunt Galba, Antonius, Cornificius: quod ib. 1. ad Attic. epist. 1. scriptum est. Sic igitur et Coelius Hirrusque cum aedilitatem curulem peterent, aedilium plebis tamen comitiis prensarunt.

M. Coelium Vinicianum ERN. *Vicinianum*] Adoptatum in Coeliam gentem; cum ex Vicinia natus esset. Verum, ne celem quod sentio, *Licinianum*, vna tantum littera immutata, potius quam *Vicinianum*, legendum existimo, adductus in hanc opinionem primum hoc argumento, quod hic, qui de dictatore Pompeio cogitauit, varie nominatur, *Lucilius* a Plutarcho, *Vicinianus* ab Hirtio de bell. Alex. c. 77. *Crassus Iunianus* ab ipso Cicerone lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. et in Sigonii vetere libro *Memmianum*, non *Vicinianum*, legi video: vt ipsa varietas mendi suspicionem afferat: deinde, quod, cum *Crassus Iunianus* a Cicerone appelletur, et *Crassus* Liciniae gentis cognomen fuerit, licet intelligere, vel eum ex Licinia gente, vel in Liciniam adoptatum, vnde Crassi cognomen acceperit. In Liciniam, qui potest? cum Coelius appelletur: non enim duarum familiarum nomina simul ponuntur. ergo ex Licinia in Coeliam: vt fiat *Coelius Licinianus Crassus*, vetere cognomine conservato: vt Scipionis cognomen retinuit is, qui Magni Pompeii socer vna cum eo consulatum gessit; cum tamen, a Q. Caecilio Metello Pio, vt Dio scripsit, adoptatus, ab adoptiuo patre praenomen, nomen, cognomen sumpsisset. itaque in senatus consulto, quod Coelius epist. 8. Ciceroni misit, *Q. Caecilius Metellus Pius Scipio* vocatur. et M. Lucullus, L. Luculli, qui de Mithridate ac Tigrane triumphauit, frater consobrinus, qui consul fuit cum C. Cassio Varo, cum ex Liciniis in Terentios transisset, vetere

vetere cognomine Lucullus, nouo autem Varro nuncupatus est. Sed, vt nouo praenomine semper, vetere abiecto, sic vetere cognomine non illi quidem semper, sed frequentius, quam nouo, vtebantur. exemplo sunt, ne alios quaeramus, ii duo, quos proxime nominauimus: quorum alterum semper Lucullum, numquam Varronem, alterum saepissime Scipionem vnico cognomine, interdum gemino Metellum Scipionem, numquam Metellum simpliciter vocatum meminimus. Accedit ratio temporum, vt idem esse videatur, qui nunc aedilitatem cum Hirro petit, et qui tribunus plebis cum eodem designatus est, in ea ad Quintum epistola. Ergo et hic, *Coelium Licinianum*, non *Vicinianum*, et in epistola ad Quintum, *Crassum Licinianum*, non *Iunianum*, rectius legi crediderim. aequis tamen iudicibus tum hoc, tum omnia, quae a nostra proficiscuntur industria, libenter committimus. Cum haec scripsissem, ostendit mihi vir eruditissimus Fuluius Vrsinus nummum argenteum, in quo mentio fit Coelii Viciniani: alterum, in quo P. Crassi Iuniani. fortasse potest hic esse P. Coelius Crassus Iunianus, qui ex Iunia Crassorum gente adoptionis iure transierit in Coeliam.

Promulgatio de dictatore] Domitio et Appio coss. cum magnis candidatorum consularium contentionibus extracta in annum sequentem comitia essent, desperata propemodum concordiae spe, ortus est de dictatore sermo: quod vnicum difficillimis reipublicae temporibus remedium maiores inuenerant. nec dubium, quin Pompeius crearetur, honoribus et rerum gestarum gloria clarissimus. de quo sic lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. *Res proiectae: ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris iniucundus bonis: mihi etiam magis, quae loquuntur. Sed tota res et timetur, et refrigescit. Pompeius plane se negat velle: antea ipse mihi non negabat. — velit, nolit, scire difficile est.* Dictaturam tamen ab eo recusatam, Dio significat lib. 40. Appianus eum, suo more dissimulantem, verbis quidem dictaturam recusasse, re ipsa cupiisse, lib. 2. de bell. ciu. narrat. idem et Plutarchus.

Subito deiecit] Subaudiendum, *aedilitate*: vt in orat. pro Murena c. 36. *praetura deiectus est*: et Act. 1. in Ver. c. 8. *Si me aedilitate deiecissent*. Hoc enim dicit: Coelium Licinianum, cum petere coepisset, reuocata legis ab eo de dictatore promulgatae memoria, statim aedilitate deiecit.

Insecuta est] Numquam ita Cicero loqueretur. quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore deiectum magno clamore insecuta est.* cum hoc significet: primum populus ei petenti vulgo negauit: deinde magni clamores in eundem consecuti. Et sane, cum hic Coelius, qui *Lucilius* in Plutarchi Pompeio mendose, vt puto, nominatur, rogationem de dictatura Pompeio mandanda ferre conaretur, incurrit in odium ciuitatis; nec longe abfuit, quin magistratu se abdicare coactus sit. Plutarchus.

Non faciendum] Alii, *ad non faciendum*: eadem sententia. Deiecto, inquit, Coelio, cuncti flagitare Hirrum coeperunt, ne faceret,

d est, ne peteret aedilitatem. haec est enim illa incredibilis opinio, quam proxime dixit sua comitia nacta esse aedilium plebis comitiis.

Flagitare] Historico more, pro *flagitabant*.

Quod speraſti] Me designatum aedilem.

De illo, quod vix sperare ausus es] Non modo illum non esse designatum, quod speraſti, sed etiam, quod vix sperare ausus es, vrpissime delectum. Vrbane et perfacete ad hunc locum Cicero respondit lib. 2. epist. 10. lusit enim in verbo, *illo*; et, cum eandem sententiam referret, inquit: *de te, quia quod sperabam: de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram. De Hillo*, dixit, ioco, vt opinor, duplici. nam et *Hirrum*, balborum more, mutatione litterarum pronunciauit; et alluſit ad Coelii verba, qui scripserat, *de illo*: pro quo retulit, *de Hillo*. quod a Graecis inter ea, quae risum excitant, παράγραμμα vocatur. lib. 7. epist. 32.

Ad Apollinis] Ἀττικισμὸς: pro, aedem Apollinis. lib. 14. epist. 2. *Ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestae ad tabulam Valerium ducta esset.* Et pro Milone c. 33. *Cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt.*

De stipendio Cn. Pompeii] Quod legionibus persolueret, quas partim habebat in Hispaniis cum tribus legatis, Afranio, Petreio, Varrone, partim Arimini: sequitur enim paullo post, *Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus.* hac de re epist. 14. Caesari quoque decretum stipendium, dixit lib. 1. epist. 7.

Expensum tulit] Tradidit. nam, *expensum ferre*, est, in tabulas referre, quod expensum ac datum alicui sit. sic in Phil. 6. c 5. *Quis vnquam in illo lano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?* Exemplorum alibi satis est.

C. Caesari] Cum Caesar in Gallia saepe acie victor, maiorem tamen motum, vt inquieta illius erant nationis ingenia, multis de caussis exspectaret, ab Cn. Pompeio proconsule petiit, quoniam ipse ad vrbem cum imperio reipublicae caussa maneret, quos ex cisalpina Gallia consulis sacramento rogauisset, ad signa conuenire, et ad se proficisci iuberet. quod Pompeius et reipublicae et amicitiae tribuit. Hoc apud eum totidem verbis lib. 6. de bell. Gall. c. 1. scriptum est. Hirtius autem sic lib. 8. c. 54. *Fit senatus consultum, vt ad bellum Parthicum legio vna a Cn. Pompeio, altera a C. Caesare mitterentur: neque obscure hae duae legiones vni Caesari detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, confectam ex delectu prouinciae Caesari, eam tamquam ex suo numero dedit. Caesar tamen, cum de voluntate aduersariorum suorum se exspoliari nemini dubium esset, Cn. Pompeio legionem remisit.* Plutarchus etiam in Pompeio repetitam eam legionem ait simulatione belli Parthici. quod a Dione quoque lib. 40. traditum est.

Quo numero esset] Post C. Marium sena millia peditum summus in legione numerus fuit, minor interdum;

terdum; quod aliquam ob causſam legio esſet infrequentior. ideo facta mentio est, quo numero esſet ea, quam Caesari Pompeius commodaverat. sed in ea peditum sena millia fuisſe, ex Plutarcho perspicuum fuit, qui M. Catonem de Pompeio questum esſe narrat, quod sex millia militum ad Caesarem sine senatus auctoritate in Galliam misisſet.

Quo appeteretur] Quo numero tribui deberet. Sigonii liber vnus, *appeteret*: quod non placuit.

Coactus esſet] Nam ipse libenter simulabat: ideo non nisi coactus dixit, se ex Gallia legionem eam abducturum. lib. 1. epist. 5. *Nosti hominis tarditatem et taciturnitatem.*

Sub mentionem] Post mentionem de ea legione factam.

Conuicium] Efflagitationem. nam *conuicium* non modo maledictum est, sed etiam vehementior sine intermissione postulatio. vnde illud in lib. 2. ad Q. Fr. epist. 11. *Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui.* Et in orat. pro Archia c. 6. *Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc nomine delectemur? Quia suppeditat nobis, vbi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures conuicio defessae conquiescant.* *Conuicio*, pro multis vocibus multoque clamore, dixit.

Obtrectatorum] Fortasse Cato, Bibulus, Domitius Ahenobarbus, Caesaris inimici, Pompeio ob eam causſam obtrectabant, quod Caesari legionem de suo exercitu commodasset. non enim, obtrectatores hic appellari Caesaris amicos, verisimile videtur; qui certe de remouenda ab eo legione mentionem numquam intulisſent.

Hoc est, de prouinciis] Glossema non puto: sed actione de prouinciis Gallias quoque, actione autem de Galliis contineri simul et comprehendi prouincias omnes, docet.

Placitum est] Antique, pro *placuit*: vt, *licitum* est, pro *licuit*: *puditum est*, pro *puduit*. Cicero lib. 4. in Ver. c. 1. *Nego vllam picturam neque in tabula, neque textili fuisſe, quin conquisierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.* Et D. Brutus lib. 11. epist. 1. *Placitum est mihi, vt postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris.* Et Pompeius in epistola ad consules, lib. 8. ad Attic. 12. *Placitum est mihi, vt Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo.* Muliebri genere Terentius in Andr. Act. 4. Sc. 1. v. 21.

—— *Postquam me amare dixi,*
complacita est tibi.

Eodem modo, *puditum esſet*, pro *puduisſet*, dixit Cicero pro Flacco c. 22. et lib. 2. de Fin. c. 13. *Quos non est veritum ponere*, pro, qui non veriti sunt ponere. Terentius in Andr. Act. 2. Sc. 6. v. 12.

—— *Dum licitum est ei, dumque aetas tulit,*
Amauit. ——

Quo loco Donatus, *veteres*, inquit, *et placitum, et puditum dicebant: quae nos, placuit, puduit.*

Coram eo] Quo modo, coram eo, cum Pompeius, quia cum imperio erat, vrbem introire non posset? Sciendum, eos qui cum imperio erant, petiisſe interdum a senatu, et obtinuisſe, vt saluis legibus ingredi vrbem possent. itaque lau-

dauit Sextium, de vi reum, praesens Pompeius, cum iudicium in foro fieret, Marcellino et Philippo coss. quo anno eum fuisse cum imperio, suscepta annonae cura, notum est. lib. 1. epist. 9. Nonnumquam etiam, vt iis qui ad vrbem cum imperio erant, liceret interesse, extra vrbem senatus habebatur, vt biennio post, belli ciuilis initio: quod a Caesare lib. 1. de bell. ciu. c. 6. scriptum legimus.

Ariminum] Situm in extrema Italia, non ea, quam Alpes cingunt, qui naturae terminus est, sed ea, quam a Gallia cisalpina populus Romanus Rubicone fluuio disiunxit. citra Rubiconem autem primum opidum Romam euntibus, vltimum in Galliam, Ariminum occurrit.

Ad exercitum] Cuius ipse imperator erat. manebat enim ad vrbem reipublicae caussa cum imperio: quod Caesar lib. 6. de bell. Gall. c. 1. aliique tradiderunt: per legatos absens Hispanias administrabat, mandatas ei lege primum Trebonia in quinquennium, deinde altera, quam ipse tertium consul tulit, in alterum quinquennium prorogatas. Dio lib. 40. Plutarchus, alii.

Actum ERN. *Factum iri*] Vsitatius erat, *actum iri*. quo modo et ipse de eadem re locutus est epist. 9. *De prouinciis*, inquit, *quod tibi scripseram, Idibus Sextil. actum iri, interpellat iudicium Marcelli, consulis designati.* Nec paucis praeterea confirmatur exemplis.

Aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur] Aut senatusconsultum fiet de imperio iis, qui provincias obtinent, finiendo, idque potissimum Caesaris caussa: aut a tribunis plebis Caesarianis turpiter intercedetur. intercessum autem a quattuor tribunis plebis in epist. 8. demonstratur. Et cum ait, *turpiter*, sentire se pro optimatibus indicat. sed anno sequenti, cum aedilitatem gereret, se mutauit, vel Appii censoris odio, vel Curionis tribuni plebis amicitia. epist. 12. 13. 17.

Illam vocem] Ex qua intellectum est, vel transactum iri aliquid, vel tribunos plebis intercessuros esse.

Omnes] Ergo et Caesarem: si senatus ei succedendum censuisset.

Senatui dicto audientes esse] Pro, *senatui parere*. sic pro Deiotaro c. 8. *Qui dicto audientes in tanta re non fuissent.* Et Phil. 7. c. 1. *Scilicet legatos ad eum misimus, non vt pareret, et dicto audiens esset huic ordini, sed vt conditiones ferret.*

Nihil exspecto] Proxime, se non exspectare nihil, affirmauit his verbis: *profecto aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur.* quid igitur, an secum pugnat Coelius? diuersa sententia est. nam hic ait, *nihil exspecto*, pro, Caesarem senatui dicto audientem fore nequaquam puto.

Primum] Primi consules designati sententiam rogabantur: eorum autem prior, qui priore loco designatus erat. ideo Marcellinus, consul designatus, primus sententiam rogatur: secundo autem loco Philippus, eius collega, quod secundo loco designatus esset. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1.

Syngra-

Syngrapha Sittiana] De qua diximus in epist. 2. ne saepius eadem iterentur.

Ad me valde pertinere] Vt pecuniis ex ea syngrapha exactis alerentur, ac Romam deportarentur pantherae, quas dare suis ludis anno sequenti Coelius cogitabat. vide epist. 9.

De pantheris] Epist. 2.

Cibyratas] Venandi peritam gentem. epist. 9. et lib. 6. ad Attic. epist. 1.

Regem Alexandrinum] Ptolemaeum, quadriennio ante a Gabinio Syriae proconsule restitutum, diximus lib. 1. epist. 1.

Quid mihi suadeas] Fortasse curam sibi a senatu eius regni inuisendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat.

Quis procuret] Procurabat Ptolemaei pueri, annum XIII agentis, nutricius eius, eunuchus, nomine Photinus, is, cuius consilio Pompeius Magnus, cum Pelusium accessisset, necatus est. Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 103. 104. 108. Appianus lib. 2. de bell. ciu. Dio lib. 41. Plutarchus in Pompeio.

Perscribas] Nec enim ei de regni statu difficilis cognitio erat, cum Ciliciae praeesset, cui prope in conspectu Aegyptus est.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Prior epistolae pars moralis est, quia profectum a beneuolentia metum Coelii significat, ne cum Parthorum copiis congressus Ciceronis exercitus profligetur: posterior, quia de successione prouinciarum agit, negotialis. Haec epistola quo die scripta sit, non apparet: sed videtur superiorem proximam paucis diebus consecuta. nam, neque iterauit Coelius de pantheris, quia scilicet paullo ante scripserat: neque Curionem designatum esse tribunum plebis significat, quem in proxima dixit petere: quoque magis moueor, huic, et superiori Cicero vna respondet epistola, quae decima est lib. 2.

EXPLANATIO.

Finitimarumque regionum] Quas nonnumquam incurrentes Parthi vexabant. primam vero, quam, traiecto Euphrate, qui terminus Romani imperii fuit, inuadebant Parthi, Syriam fuisse, ex lib. 15. epist. 1. 2. 3. 4. cognoscitur. ceterae vero regiones vel Romanis parebant, vel in earum societate clientelaque erant, possessae a regulis tyrannisque, aut suis legibus libere viuentes.

Animi pendeo] In sollicitudine sum. notum loquendi genus. *Pendemus animis*, dixit Cicero Tusc. 1. c. 40. sed vsitatius, *animi*.

Si hoc moderari possemus] Si liceret nobis, quod ad Parthicum bellum attinet, ita rem moderari, et hoc modo corrigere, vt cum viribus copiarum tuarum bellum aequaretur; nihil tam esset optandum. Dixit, *hoc*, pro hac ratione, hoc modo: vel, *hoc*, accusandi casu:

id

id est, id quod mihi timorem iniicit. Sigonii liber habet, *hoc more moderari possemus, et pro viribus copiarum, etc.*

Triumphoque] Ad triumphum satis erat, hostium quinque millia vna acie occidisse: de quo Valerius Max. lib. 2. c. 3. Respondit Cicero: *Velles, ais, tantum modo vt haberem negotii, quod esset ad laureolam satis.*

Grauem illam dimicationem] Cum omnes vtrimque copiae concurrunt.

Parthus] Pro *Parthi*, historico more. sic Liuius saepe et alii, *Poenus*, et *Romanus*, pro *Poeni*, *Romani*.

Vix vnum saltum] Qua transire in prouinciam Ciceronis Parthi conarentur. *Vix* autem, quia duas tantum legiones Cicero habebat, vt lib. 5. ad Attic. epist. 15. Plutarchus ait fuisse duodecim millia peditum, equites MMDC. id quod ostendit, in singulis legionibus sena millia peditum fuisse. equitum autem numerum, vix crediderim, in Plutarcho vacare mendo. nam singulis legionibus tercenos adiunctos equites fuisse, satis liquet. quod si accedant auxiliares, tantus tamen numerus non efficitur. nisi si, quod valere Parthos equitatu constabat, ideo numerus equitum auctus est.

Controuersiam] Referente enim ad senatum Marcello consule de prouinciarum successione, eo consilio, vt Galliae Caesaris eandem conditionem subirent; videt Coelius, id quod euenit, intercessum iri a tribunis plebis, quia legitimum prouinciae Caesaris tempus Vatinia primum, deinde Trebonia lege datum, expletum nondum esset. quae igitur intercessio, Galliarum caussa, senatus consultum de prouinciis impediet, eadem, ne ceteris prouincias obtinentibus succedatur, efficiet.

Quid facturus esses] Quem prouinciae decedens praeficere velles. epist. 9. *Quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat. Nam non expeditur successio, quum Galliae, quae habent intercessorem, in eandem conditionem, quam ceterae prouinciae, vocantur.*

Tralaticia ERN. *Translatitia*] Vsitata, vsu translata: vt lib. 3. epist. 8. *Hoc vero*, inquit, *ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, translatitium est.*

Constituetur] In senatu. constituetur autem decreto generali de omnium prouinciarum successione.

Erit] Tribunus plebis amicus Caesari: vt intercesserunt quattuor. epist. 8.

Alius] Tribunus plebis Pompeii, id est optimatum, fautor: qui cum impediri Gallias viderit, expediri reliquas non patietur: eo scilicet consilio, vt vel omnibus, qui prouincias obtinent, vel nemini succedatur.

De omnibus prouinciis] Consularibus, et praetoriis: de quibus consul M. Marcellus, primum de consularibus, mox de praetoriis, separatim verba fecit. epist. 8.

Plus biennium] Non fallitur. numquam enim res, nisi ciuili bello, ad exitum deducta. *Plus biennium*, pro, *plus biennio*: vt lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam?*

Moretur]

Moretur] Passiue, dixit, antiquo more. sic in Agraria 2. c. 21. *Agrum excipere nominatim, qui publicus esse fateatur.*

Mea consuetudine] Id enim promisit epist. 1.

In quodam incili iam omnia ERN. *In quodam incilicia omnia*] Sic Mediceus liber, et qui fuit Vbaldini. Sigonii vnus, *in quodam incililia omnia:* Ioannis Scalae, *in quodam omnia in Sicilia:* Maffeorum, *in quodam vitilicra omnia.* Mendum patet: nec displiceret, *in quodam incili iam omnia:* quod olim placuit. *Incilia* fossae sunt, in quas ex fossis aquae deriuantur.

Adhaeserunt] In actione de prouinciis, tamquam in quodam incili, vrgente M. Marcello consule idem illud, quod antea, vt iis, qui prouincias obtinent, succedatur.

Vrget] Ergo, resedisse impetus eius, falso putauit Coelius. Id enim scripsit epist. 2. Et cum dicat, *idem illud vrget;* antea scriptum esse ob eo de hac Marcelli actione, et aliquot Coelii ad Ciceronem epistolas desiderari, satis constat.

Neque adhuc frequentem senatum efficere potuit] *Neque*, hic vsurpatur pro *ne quidem*, hac sententia: tantum abest, vt Marcellus senatus consultum efficere de prouinciarum successione, vt ne senatum quidem adhuc frequentare potuerit. sic lib. 1. ad Attic. epist. 5. *neque id neglexi.* Non dissimile illud lib. 9. epist. 15. *Quod altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emtionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem commorationis vrbanae: neque ego aliter accepi. intellexi tamen idem, etc.* Infrequenti autem senatu fieri senatus consultum leges vetabant. qua de re diximus lib. 1. epist. 9. in eo loco, *mihi est senatus assensus, vt de agro Campano, frequenti senatu, Idibus Maiis referretur.*

Curio tribunus] Ex his verbis, nondum esse designatum tribunum Curionem, coniicio.

Introiuit ERN. *Introibit*] Introiuit, neque solum anno postero, Curione tribuno, sed etiam eo, qui consecutus est, M. Antonio et Q. Cassio Longino tribunis plebis, qui senatus consulto de prouinciis intercesserunt.

Quam facile nunc sit] *Nunc*, pro *tunc:* vt futurum tempus repraesentet; quo magis rem oculis subiiciat. vel, *nunc*, hoc in statu, cum Curio tribunus plebis sit, et de prouinciis agatur.

Impedire] Impedimento enim erunt Caesariani Pompeianis, ne fiat senatus consultum de prouinciarum successione: Pompeiani autem, nisi libere liceat de omnibus prouinciis decernere senatui, reliquas impedient. epist. 8.

Qui sua caussa, rempublicam non curet ERN. *curent*] Sic plane in plerisque antiquis libris. mihi videtur, cum de vno Caesare sermo habeatur, legendum, *curet.* nam is, suae potentiae caussa, rempublicam non curabat. Adiuuat et confirmat opinionem nostram Fuluii Vrsini liber, in quo est, *qui sua cum republica non curet.*

Superet] Superfit, reliquum sit: id est, quantum in hoc Caesar negotii sit habiturus. sic lib. 5. de Fin. c. 15. *De eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt.* et lib. 13. ad Attic. epist. 46. *Quinto delegabo, si quid aeri meo alieno superabit, et emtionibus.*

EPISTO-

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Scribuntur haec: Appium, qui cum Cicerone in gratiam redierat, a Dolabella esse accusatum: cauendum Ciceroni, ne, si Appio non studuerit, parum simpliciter et candide inimicitias deposuisse videatur: vxorem a Dolabella discessisse: posse ei Tulliolam, Ciceronis filiam, collocari: Pompeium valde pro Appio laborare: summam esse consulum negligentiam: totam otiosam esse ciuitatem: Bibulum in Syria male pugnasse: Curionem tribunum plebis, mutata voluntate, ab optimatibus ad Caesaris partes transiisse: Appii gratiam se cupere: Dolabellae affinitas si probetur, celandum: nisi pantheras Graecas habeat, turpe Ciceroni futurum. Tota negotialis est epistola: scripta Paullo et Marcello coss. Respondit Cicero lib. 2. epist. 13.

EXPLANATIO.

Appium] Quem e prouincia Cilicia redeuntem Dolabella, qui postea gener Ciceronis fuit, de maiestate accusauit. quamquam et de ambitu postulatum esse, absolutumque vtroque crimine, significant epistolae duae, 11. et 12. lib. 3.

Dolabella] Corneliae gentis patriciae; qui ad plebem postea transiit, vt tribunus plebis fieri posset. quo in magistratu legem ferre de tabulis nouis conatus est, vt aere alieno, quod grauissimum contraxerat, leuaretur.

Reum factum] Fuit hoc apud Romanos in more positum, vt adolescentes, gloriae comparandae causa, viros nobiles, honoribusque functos, accusarent. Sic L. Crassus ille princeps in eloquentia C. Carbonem consularem, sic Cicero C. Verrem praetorium, sic M. Coelius ipse C. Antonium consularem, Ciceronis collegam, accusauerat. erat autem hoc Romae gloriosum, propterea quod, qui ab aliis rationem vitae reposcerent, ii legem sibi ipsi innocentiae, continentiae, virtutumque omnium indicere viderentur. de quo praeclare, vt omnia, Cicero noster in prooemio actionis vltimae in C. Verrem. *Reum facere*, non est accusare, sed postulare, id est petere sibi actionem in aliquem; de quo plenius infra. pro Scauro, *reus*, inquit, *factus est a Q. Seruilio Caepione.* quod ab accusatione ipsa diuersum esse, Asconii ostendit interpretatio.

Inuidia] Aduersa hominum voluntate: vt alibi.

Ad tribunal] Praetoris. crimen enim de maiestate publicum fuit: publicis autem iudiciis praetores praefuisse, ostendimus in libro de Legibus.

Triumphi postulationem abiecerat] Vrbem enim nemo cum imperio introibat, praeter eos qui triumphabant: quorum caussa lex ferebatur, vt imperium retinerent eo tantum die, quo triumphantes inuecherentur. exemplis nota res est. Appius autem, abiecto triumphandi consilio, statim vrbem ingressus

gressus est, vt obsisteret accusationi. lib. 3. epist. 10. *Illud plane moleste tuli, quod certissimum et iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam.*

Retudit] Repressit, sedauit eorum sermones, qui de Appii damnatione loquebantur.

In te] Successore suo: qui si contuleris in eum studia et officia tua, proderis plurimum. Accusatus erat Appius ob ea, quae in provincia contra maiestatem populi Romani commiserat. itaque lib. 3. epist. 10. *De me*, inquit, *tibi sic, conteſtans omnes deos, promitto atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute,) in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis (vt spero) apud ciuitates, grauitate imperatoris susceptvrum officia atque partes.*

Tibi eum non esse odio] Minus est, quam, eum a te diligi. quasi dicat: cum in gratiam cum eo redieris; cum eius filiarum vna Cn. Pompeii filio, altera M. Bruto nupserit; haec, ne tibi odio sit, efficiunt: amare autem fratrem inimicissimi tui non potes. Cicero, non eum modo a se diligi, sed valde etiam diligi, respondit. lib. 2. epist. 13.

In tua manu est] Cum eam provinciam, cui praefuit Appius, et vnde testes in eum excitari possunt, administres.

Simultas ERN. *Simultates*] Simultates Ciceroni cum Appio, inimicitiae vero fuerunt acerbissimae cum eius fratre P. Clodio. *Simultas* autem et mediocre odium est, et simulatione tectum.

Ad illam summam veritatem] Sic antiqui libri, nec, opinor, mendose. Si legitimo, inquit, iure vti volueris, nihil vt pro Appio, nisi quod summa veritas, id est summa iustitia, praescribit, agendum tibi existimes: suspicionem ficte reconciliatae gratiae fortasse aliquam dabis. Expressit Cicero aliis verbis eandem sententiam lib. 3. epist. 12. *Vetus*, inquit, *nostra simultas antea stimulabat me, vt cauerem, ne cui suspicionem ficte reconciliatae gratiae darem.* Ea de re sententiam egregiam recitat Hieronymus in Apologia aduersus Rufinum, ex Ciceronis oratione pro Gabinio. *Ego cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis reuocatae in gratiam: propterea, quod integris amicitiis officium praetermissum, imprudentiae, vel (vt grauius interpretemur) negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet.*

Legitimum ius] Summum ius antiqui summam putabant crucem: vt ait Columella lib. 1. c. 7. et *summum ius, summa iniuria:* vt Cicero lib. 1. de Offic. c. 10.

In hanc partem] Hoc quasi antitheti loco posuit, quia dixerat, *ad illam summam veritatem.* In hanc igitur partem, leniorem, quae a summo illo iure distat.

Nemo enim] Si quid Appii causa facies, dicent omnes te non esse deteriorem ab officio, necessitudine et amicitia, quae tibi cum Dolabella intercedit.

Postu-

Postulationem et nominis delationem] Prima igitur postulatio, secunda nominis delatio, postrema accusatio fuit. postulabatur primum, vt accusare aliquem liceret: deinde, hoc impetrato, nomen eius deferebatur: postremo accusabatur. In tabula aenea Torquati Bembi, Petri filii: *De ea re eius petitio, nominisque delatio esto.* Pro domo c. 19. *Nomen Sex. Propertii detulit. accusare alienae damnationis scelerisque socios, propter calumniae metum, non est ausus.* Interdum *postulare*, pro accusare accipitur.

Vxor] Vt cum vxore vir, ita cum viro diuortium faciebat vxor. exemplum epist. 7.

Mandaris] Mandauerat, vt collocandae filiae suae curam susciperet. de quo ad Appium lib. 3. epist. 12. ipse se excusat his verbis; *In quo vnum vereor, ne tu parum perspicias ea, quae gesta sunt, ab aliis esse gesta, quibus ego ita mandaram, vt, cum tam longe abfuturus essem, ad me ne referrent, agerent, quod probassent.*

Quid ego tibi scripserim] Scripserat fortasse, magnam esse proborum adolescentium penuriam, quibus Tullia collocari posset. nam de Dolabella, a quo discessuram vxorem coniicere non potuerit; nunc primum facto diuortio scribit.

Ne] Vt ei nubat filia tua.

Inuidiosum] Ne infamiae tibi sit, quod affinitatem cum eo iungere volueris, cum quo, depositis inimicitiis, in gratiam antea redieris, quique tibi, cum augur sit vterque vestrum, ab ipsa collegii coniunctione commendetur.

Si emanarit] Si quid homines de matrimonio rescierint.

Deceat] Pro reconciliata cum Appio gratia.

Expediat] Appium enim offendes: quod vtile non erit: cum amicis, propinquis, affinibusque floreat. filiam enim Appius Cn. Pompeio filio, alteram M. Bruto, tertiam Lentulo, in matrimonium locauerat. lib. 3. epist. 4. et 7. Hinc illud Ciceronis huic epistolae respondentis lib. 2. epist. 13. *Cur mihi non in optatis sit, complecti hominem, florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis; collegam meum praesertim, et in ipsa collegii laude ac scientia, studiosum mei?*

Spei] De Appio damnando. nam affinitatis famam suis consiliis opportunam vtilemque fore sperabit.

Negotio] Quod agit contra Appium.

Tanto illustrior] Affinitas haec ob accusationem Appii multo erit illustrior ac notior, quo studiosius eam Dolabella peruulgauit.

Pompeius] Cuius filio nupta erat Appii filia. lib. 3. epist. 4.

Ad te] Vt auctoritatem gratiamque tuam ad Appii salutem conferas. testes enim ex ea prouincia, cui successor Appii Cicero praeerat, vel reum opprimere, vel periculo liberare poterant omnes.

Absoluimus] Appium: id est, absolutum iri omnes putamus. quod ita contigit, defendentibus eum genero M. Bruto, et Hortensio oratore. quod in Bruto c. 64. scriptum est.

Confecta] Sic olim emendaui, secutus antiquum Petri Bembi librum, et alterum Ioannis Scalae, in quo non omnino diserte, *confecta*,

fecta, vt in Bembi libro, sed, *confecta* legebatur. postea in Alberti Ferri libro, *confecta*, animaduerti. Confecta, inquit, adhuc a Dolabella, foeda omnia sunt et inhonesta: vt odium potius, quam veritatem vllam, prae se ferant. Quid tamen, si, *conficta*, legatur? vt sit, conficta omnia, foeda et inhonesta sunt. Quid etiam, si hoc totum non de vno Appio, sed de omnibus reis vniuerse dicatur? hoc modo: nos hic reos omnes absolvimus: et hercules confecta iudicia, foeda omnia et inhonesta sunt. Confirmare videtur hanc opinionem, quod sequitur de consulum negligentia: quod ipsum non satis apte cum Appii accusatione, cum publica vero iudiciorum turpitudine aptissime connectitur. Sigonii liber, et alii, *consepta omnia foedera:* vnus, *conscripta.* Mediceus, *consepta omnia foedera.* Ioanni Baptistae Titio placet: *consaepta:* quasi, munita: quod reos nemo condemnet. tuta igitur culpa, veluti saepta moenibus. Proxime dixit: *Hic nos omnes absolvimus.*

Consules] L. Paullus, C. Marcellus.

De feriis Latinis] Singulis annis in Albano monte, populi Romani Latinorumque conuentu, sacrificium fiebat, distributa singulis populis immolatarum hostiarum carne. *Latiar* vocabatur, quod Latiali Ioui fieret: conuentus autem ille, *feriae Latinae:* quarum auctor Superbus rex fuit, vno iis die dicato: post reges eiectos alter additus: tertius post foedus cum Latinis ictum, Sp. Cassio consule: anno CCCXCVI. quartus. Dionysius, Liuius, Plutarchus, Cicero, alii.

Nullum] Quibus de rebus ad senatum retulerunt, de iis nullum omnino senatus consultum factum est. nihil igitur auctoritate, nihil eloquentia valent. De feriis autem Latinis si senatus consultum fecerunt, vsitatum est: non ideo probatur eorum diligentia.

Conglaciat] *Frigere* dicimus *eos*, qui nihil agendo tempus traducunt. hoc magis est: nam glacie summum frigus indicatur. summa igitur Curionis ignauia. lib. 2. epist. 13.

Nisi ego cum tabernariis, et aquariis pugnauem] Aquarum publicarum cura ad aediles curules pertinebat; propterea Coelius qui aedilis curulis erat, cum tabernariis et aquariis, publicas aquas ad priuatum vsum conuertentibus, pugnabat. qua de re Frontini verba de Aquaeduct. art. 75. 76. recitabo, quae magnam huic loco lucem afferunt: *Cuius rei,* inquit *causa est, fraus aquariorum, quos aquas ex ductibus publicis in priuatorum vsum deriuare deprehendimus. Sed et plerique possessorum, et quorum agris aqua circumducitur, inde formas riuorum perforant; vnde fit, vt ductus publici hominibus priuatis vel ad hortorum vsum subseruiant, vel ad itinera suspendant. Ac de vitiis eiusmodi nec plura, nec meliora dici possunt, quam a Coelio Rufo dicta sunt in ea concione, cui titulus est,* de aquis. *Quae nunc nos omnia, simili licentia vsurpata, vtinam non per offensas probaremus: irriguos agros, tabernas, coenacula etiam, corruptelas denique omnes perpetuis salienti-*

bus instructas inuenimus. Haec Frontinus. *Aquarii* erant, quibus deducendi in vrbem publicas aquas cura mandabatur. quod et recitata proxime, et illa praeterea eiusdem Frontini verba art. 9. satis ostendunt: *Aquarii nostri partem maximam eius* (Crabrae) *semper in supplementum Iuliae adiudicauerunt: nec vt Iuliam augerent, quam hauriebant largiendo, compendii sui gratia.* Ab hac forsitan affectandae et perducendae aquae similitudine dicti sunt *aquarioli*, qui mulieres impudicas, vt ait Festus, affectarentur: et *aquarioli* in stupris vxorum conniuentes, vt aquarii in derivationibus aquarum publicarum. *Tabernarios* vocat Coelius non omnes omnium mercium institores, verum eos tantum, quorum in tabernas cibi gratia homines diuertunt. nam hi publicas aquas in vsum suum conuertebant. Differt autem *taberna* ab *officina* et *apotheca*. *Officina* tempore prior est vtraque. nam in ea fiunt, quae postea vel in apothecam custodienda, vel in tabernam vendenda deferantur. *Apotheca* est, quae multas capit custoditque merces, vt deinde ad tabernas missa prostent venalia. hodie, corrupto vocabulo, ab apothecis nomen acceperunt ea loca, quae a veteribus tabernae dicebantur. *Taberna* tantum habet, quae minutatim vendantur: cui qui praeest, *institor* vocatur: qui autem apothecae, *mercator*. sunt et tabernae, in quibus habitant pauperes. vnde Horatius lib. 1. Carm. od. 4. v. 13.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. ——

Veternus] Morbus ex ignauia contractus, qui somnum inducit. Plautus in Men. Act. 5. Sc. 4. v. 3.

Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?

et Virgilius lib. 1. Georg. v. 124.

Nec torpere graui passus sua regna veterno.

Lib. 2. epist. 13.

Calfaciunt] Exercent, illato bello. nam ex bello motus, ex motu calor. lib. 7. epist. 10. *Vos nunc istic satis calere audio.* et lib. 7. ad Attic. epist. 20. *Te ipsum istic iam calere puto*, cum animi perturbationem significet.

Frigore] Otio: ex quo frigus inducitur, vt exercitatione corporis calor.

Potuit sine Parthis] Etsi frigemus hic, tamen, calefieri vos a Parthis, non optamus. commodum fuit, vos esse sine Parthis, nullum vobis a Parthis negotium exhiberi.

Bibulus] Qui Syriae praecrat.

Amisit] De hoc detrimento sic lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Venit interim Bibulus. credo voluit appellatione hac inani nobis par esse. in eodem Amano coepit laureolam in musticeo quaerere. at ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, et reliquos cohortis eiusdem, et Sex. Lucilium, T. Gauii Caepionis, locupletis et splendidi hominis filium, tribunum militum. sane plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore.*

Si] Potest aliter esse, sed nunciatum sic est.

Supra scripsi] Plures igitur dies hanc epistolam Coelius in manibus habuit.

Feruen-

Feruentissime] Vehementer. calere igitur eum, mirum non est. Sic epist. 8. *de damnatione feruenter loqui est coeptum.* Sic lib. 10. epist 23. *feruentes latrunes*, pro vehementes, iracundiaeque impetu concitatos, dixit.

Concerpitur] Carpitur, mouetur: a quo? a se ipso, suis actionibus pro Caesare, nouisque legibus, viaria, et alimentaria. Iure sordes verborum in Coelio damnauit antiquitas. quid enim hoc est, *feruentissime concerpitur?*

De intercalando] De die producenda, vt ea, quae pro Caesaris causia cogitabat, commodius posset ad exitum perducere. sic enim Dio narrat lib. 41.

Non obtinuerat] A collegio pontificum. id enim Dionis ostendit historia. et interkalandi potestatem penes eos fuisse, qui fastis praecerant, Macrobius lib. 1. Saturn. c. 13. docet his verbis: *Dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis praecerant; vti, cum vellent, interkalaretur.* Et c. 14. *Fuit tempus, cum, propter superstitionem, interkalatio omnis omissa est. nonnumquam vero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio, modo retractio dierum proueniebat.* Sacerdotes autem, quos Macrobius ait fastis praefuisse, pontifices fuere: quod Liuii verba testantur lib. 9. c. 46. *Ciuile ius*, inquit, *repositum in penetralibus pontificum euulgauit, fastosque circa forum in albo proposuit, vt, quando lege agi posset, sciretur.* Et pontificem, cum interkalationem petiit, Curionem ipsum fuisse, ex Dione cognoscitur.

Transfugit] Desertor optimatum, quos antea defenderat. epist. 8.

Viariam] De sternendis muniendisque viis. Appianus lib. 2. de bell. ciu.

Non dissimilem agrariae Rulli] Quid hoc sit, mihi videor ab Appiano didicisse lib. 2. de bell. ciu. vt enim P. Seruilius Rullus in ea lege, quam de agris diuidendis in tribunatu ferre conatus est, hoc potuit, vt ipse primus decemuir, qui agros diuideret, crearetur; item Curio, cum viariam legem ferret, eam sibi ipsi curationem in quinquennium petebat. quod per leges non licere, Cicero in Agraria 2. c. 8. declarat his verbis: *Quos decemuiros creari vult? Se primum. Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eae consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribuniciae, vobis maioribusque vestris vehementer gratae atque iucundae. Licinia est lex, atque altera Aebutia; quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ne potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatione mandetur.*

Alimentariam] Fortasse de frumento plebi gratis diuidendo, vt infimorum hominum studia sibi compararet. quod antea quoque seditiosi tribuni plebis, primum C. Gracchus, deinde Saturninus, postremo P. Clodius, Ciceronis inimicus, tentauerat. oratio pro Sextio c. 48. epitome Liuiana lib. 60. lib. 11 ad Her. c. 12. Pedianus ad orat. in Pison. c. 4.

Quae ERN. *Quas*] Fortasse, *qua.* vt alimentaria sua lege iuberet Curio aedilis metiri frumentum plebi.

Iactauit] Palam dictitauit se laturum esse.

Ponito me in gratia ERN. *gratiam*] *In gratiam*, et *in gratia*, vtroque modo dicitur. lib. 6. ad Attic. epist. 1.

Huic rei] Matrimonio Tulliae ac Dolabellae.

Dignitati tuae] Dixit iam: *significatio vlla si interceſſerit, clarius, quam deceat, fiat.*

Aequitatis] Iniquior enim videberis, affinitate cum eo iuncta, qui Appium, nouum amicum tuum, in iudicium vocet. suadeo igitur iudicii finem exspectes.

Turpe tibi erit] Quem te mihi amiciſſimum esse; et istic imperandi potestatem habere, omnes sciunt.

Graecas] Non modo prouincia Ciceronis, verum etiam omnis Asia, non quam orbis terrae partem tertiam dicimus, sed ea, quae regis Attali fuerat, Graece loquebatur. epist. 4. 8. 9.

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Breuis epistola; quia pridie scripserat pluribus verbis, nec deinde noui quidquam acciderat praeter Cornificii et Orestillae filiae nuptias, Paullae diuortium, Ocellae adulteria. Morale principium, quia timet amoris causſa, ne Parthi aliquid moueant: quae sequuntur, ad negotiale genus pertinent.

EXPLANATIO.

Felicius] Re bene gesta in Amano monte. acceperat, opinor, Coelius eam Ciceronis epistolam, (lib. 2. 10.) in qua scripsit haec: *Cum meis copiis omnibus vexaui Amanienses, hostes sempiternos. multi occisi, capti: reliqui dissipati: castella munita improuiso aduentu capta et incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum.* Deinde sequitur de oppugnatione Pindenissi.

Risum] Laetitiam, ob rem a te prospere gestam.

Aliquis ERN. *Aliqui*] Pro, *aliquis*: antique: vt lib. 12. epist. 18. *Quo iste, nescio qui, Caecilius Bassus erumperet.*

Publicanorum] Eius societatis, quae Asiana vectigalia redemerat. plures enim erant publicanorum societates. lib. 13. epist. 9.

Nisi haec vis tibi scribi] Lepida et vrbana inductio rerum, quae scriptione parum dignae videantur.

Cornificius adolescens Orestillae filiam] Hic est fortasse eius filius, quem Ciceronis collegam in auguratu fuisse, inscriptio epistolarum ad eum lib. 12. significat. Orestilla Catilinae vxor fuerat. Sigonii liber, *Cornificius adolescentiorem ille sibi filiam.* ego ex hac varietate, nescio quam vere, certe non longe ab antiquis vestigiis, hoc elicio: *Cornificius adolescentiorem Sullae filiam sibi despondit.* altera enim Sullae maior filia, Fausta, Miloni nupserat: quod ignorat nemo. ita de Cornificio intelligendum erit, ad quem sunt epistolae lib. 12.

Paulla]

Paulla] Raro quidem cognominibus mulieres vtebantur: sed, numquam, qui putarunt, plane falluntur. id quod, vt Plutarchi testimonium omittam, vel hic locus ostendit. Sullae vero filiam, quam Miloni nupsisse proxime diximus, quis nescit Corneliam fuisse, cum eadem tamen Fausta vocaretur? quid Orestilla, a Coelio et Sallustio bell. Cat. c 15 et 35 quid Laterensis a Valerio Max. lib. 8. c. 2. nominata, non aperte cognomen est? nam a nominibus omnes appellatas, vt Valeria, Terentia, Tullia, satis inter omnes constat. Haec vero Paulla eadem est, quae Polla vocatur lib. 11. epist. 8. sic *olla* pro *aulla*.

Valeria] Cum sit soror Triarii, Valeriae gentis esse eam oportuit.

Triarii] Hic est P. Valerius Triarius, qui Scaurum accusauerat Cicerone defendente, eius Triarii filius, qui legatus L. Luculli bello Mithridatico male rem gesserat. Sed hic eloquentia valuit, et in Bruto c. 76. praeclare laudatur his verbis: *Me quidem admodum delectabat etiam Triarii, in illa aetate, plena litteratae senectutis oratio. quanta seueritas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore!* Lib. 1. etiam de Fin. c. 5. testimonium ei doctrinae tribuitur. Periit ciuilibus armis: quod in eodem Bruto legitur.

D. Bruto] Qui cum M. Bruto et C. Cassio Caesarem occidit.

Nondum retulerat] Nondum retulerat, ad quos referendum erat, de nouis nuptiis. nam de diuortio retulisset, ante quam fieret.

Minime vellem] In amici igitur domo.

Imperatorem] Quem de adulteriis percunctari cum non deceat; mihi tamen, inquit, Coelius per iocum, hoc non displicet. Imperator apud Issum, parta de Amaniensibus victoria, Cicero appellatus erat.

EPISTOLAE VIII.

ARGVMENTVM.

Priuata primum narrat, de iudiciis: deinde subiungit publica, de senatus consulto, de Pompeio, Caesare, Curione: postremo, iterum de priuatis agit, quae ad ipsum pertinent, id est de pantheris, de syngrapha Sittiana, de liberto Philone, et Diogene Gracco.

EXPLANATIO.

Rufum, Rufum] Iterat Rufi nomen, vt indicet magis, de quo loquatur: quasi hoc dicat, Rufum illum, qui tibi tam iucundus est. nec abest locus. Hic Rufus quod habuerit cum Vestorio controuersiam, vt infra quoque licet coniicere, vocatur *Rufio Vestorianus* lib. 14. ad Attic. epist. 14. nominatur etiam lib. 6. ad eundem epist. 2.

Mel] Sic appellamus ea, quibus mire delectamur. Plautus in Curc. Act. 1. Sc. 3. v. 8.

Assum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit, mel meum.

Delicias tuas] Sic locutus lib. 7. epist. 1. *Deliciae tuae, noster Aesopus.*

Calumniam tulisse] Ad accusandum descendisse. Infra: *cum calumniam iurasset.*

Maximo plausu] Omnibus approbantibus: cum laetarentur, quod accusaret accusatorem suum.

Tulisse] Pro, *detulisse:* accusasse de calumnia, praesertim accusatorem suum. vnde sequitur: *Neminem hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori.*

Lege Plotia de vi] Causae de vi ante alias extra ordinem agebantur. quod etiam ex oratione pro Coelio, quem de vi accusatum Cicero defendit, satis liquet. fuere autem de vi leges duae, vna tribunitia Plotia, altera consularis Lutatia: de quibus in libro nostro de Legibus.

Dubium illi non erat] Non erat ei dubium, quin condemnaretur. quod vt effugeret, de accusando accusatore suo consilium cepit, eoque crimine, quo causam ab eo extra ordinem dicendam videbat. sperabat enim eo damnato, prorsus omni se periculo omnique molestia liberatum.

Deferre munusculum] Neminem accusare maluit, quam suum accusatorem. sic locutus epist. 12.

Subscriptore] Erant, qui subscriberent accusantibus, opemque ferrent, vt reus omnino damnaretur. Cicero in Diuinat. in Verrem c. 15. pro Cluentio c. 45. lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

Vsque eo perago] Ita eum oratione exagito, ita vexo, vt Vestorii quoque mentionem faciam. cum quo negotii quiddam Sempronio fuisse, cognoscitur ex lib. 6. ad Attic. epist. 2.

Fabulam] Non, fictam rem, quales fabulae sunt, sed quod, tamquam fabula, rideri possit.

Tibi pro beneficio dederit] Collatum in te beneficium existimari voluerit.

Si quid iniuriis suis esset, vt Vestorius teneretur ERN. *quod Vestorius teneret*] Cum sit huius loci mihi quidem perdifficilis intelligentia, a duobus veteribus libris, vno Sigonii, altero meo, discedendum non putaui: vt sit, quo niti coniectura possit, si quis ingenio veritatem vestigare voluerit. quod si ex his verbis aliquam omnino cogar elicere sententiam, interpretabor hoc modo: tibi pro beneficio dedit, si quid esset iniuriis suis, id est, si quid esset suo damno suaque iniuria, quod Vestorius teneret. quasi ademptum sibi aliquid, ac teneri a Vestorio diceret, quod aliqua eius iniuria fieret. nam vt, *iniuria*, interdum aduerbii loco ponimus, vt, *iniuria facis hoc:* sic videtur pronomen addi posse, vt dicatur, *iniuria mea facis hoc:* quemadmodum, *ingratiis*, et *ingratiis tuis*, *merito*, et *merito meo* veteres dicebant. Paullo asperius hoc est, aliquis dicet. quis negat? verum hanc asperitatem Coelius amauit: vt in eius vita iam ostendimus. Tres praeterea minime recentes libri pro, *si quid*, habent, *si quods* duo, *quo Vestorius.* Quod autem pro, *iniuriis suis*, in quo mei quidem scripti libri omnes consentiunt, nonnulli reposuere, *iuris sui:* commentitium suspicor, et eo magis, quod iidem, *iniuriis suis*, esse in suo illo peruetere libro, editis antea,

antea, vt ipsi vocarunt, castigationibus indicauerant: nec tamen huius postea mutationis caussam ostenderunt.

Turbarat] *Turbare*, et *conturbare*, decoctorum est: nec desunt apud Ciceronem exempla, lib. 4. ad Attic. epist. 7. et in orat. pro Plancio c. 28.

Quod non venderet, cuiquam reliquerat ERN. *Quod non venderet cuiquam, reliquerat*] *Quisquam*, tribus modis videtur vsurpari: cum dubitamus, vt, *si quisquam ita sentit:* cum negamus, vt, *ne quisquam putet:* cum interrogamus, vt, *quisquam rem impudens reperietur?* Coelius tamen hic neque dubitat, neque negat, neque interrogat, sed affirmat. et puto veteres ita locutos, quorum scripta sine delectu Coelius imitatus est. confirmatur hoc exemplum altero Aemiliani Scipionis exemplo: cuius verba, ex oratione contra legem iuditiariam Ti. Gracchi a Macrobio lib. 2. Saturn. c. 10. recitata cum legerem, hoc animadverti: *Haec cum mihi quisquam narrabat; non poteram animum inducere, ea liberos suos homines nobiles docere.* Liber Sigonii habet, *quo inquam;* orta occasione mendi, quia priscis temporibus *quoiquam*, pro *cuiquam*, scribebatur.

N his] Se ipsum intelligit, Servilii caussam defendentem.

Inuidiae ERN. *Inuidia*] Cum inuisus esset omnibus. Sigonii liber, *maxime qui nobis traditus erat inuidiae.* minor igitur mutatio fieret, si legeretur hoc modo: *maximaque nobis traditus erat inuidia.* etsi video sententiam claudicare: sed in Coelio ferenda sunt omnia.

Laterensis] Iuuentiae gentis.

Postulante] Non accipio pro, *accusante.* nam accusator Seruilii in caussa repetundarum Pilius fuit, non Pausanias. *Postulante* igitur est, petente, vt agere liceret contra eos, ad quos ea pecunia peruenisset. vnus fortasse fuit de creditoribus Seruilii, aut etiam amicus; qui, excusata eius inopia, postularet a praetore, vt, ad quos credita Seruilio pecunia peruenisset, quaereretur; quando Seruilius ipse solvendo non esset. quod impetratum a praetore non est; non quod vsitatum non esset; verum, quia Servilius ei odio erat. confirmat enim Coelius his verbis, quod proxime dixerat: *maxima nobis traditus erat inuidia.* Licuisse autem per leges in caussa repetundarum agere aduersus eos, ad quos ea pecunia peruenisset, Cicerone teste in orat. pro Rabirio Post. c. 4. probabimus. *Est*, inquit, *haec caussa*, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, *quasi quaedam appendicula caussae iudicatae atque damnatae. Sunt lites aestimatae A. Gabinio: nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recepta. Lex aequa est. Iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. Si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quam in antiquis legibus, et sanctius iudicata: sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum, noua. Sin hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Seruilia: per deos immortales! quid*

agimus, iudices: aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in rempublicam inducimus? Erat enim haec consuetudo nota vobis quidem omnibus, sed, si vsus magister est optimus, mihi debet esse notissima. Accusaui de pecuniis repetundis: iudex sedi: praetor quaesiui: defendi plurimos. nulla pars, quae aliquam facultatem dicendi afferre posset, non mea fuit. Ita contendo; neminem vmquam, QVO EA PECVNIA PERVENISSET, *caussam dixisse, qui in aestimandis huius appellatus non esset.* Venit etiam in mentem, *postulante*, de accusatore Pausania dictum esse: quia sequitur, *nobis patronis.* quod si ita est, bis de repetundis postulatum Seruilium dicemus, primum a Pausania, et damnatum: licet hic de exitu iudicii mentio nulla fiat; sed ex his verbis intelligitur, *quo ea pecunia peruenisset*; quae actio damnationem profecto consequitur: deinde a Pilio: quod iudicium nondum esse factum, manifeste infra demonstrat ea verba, *de repetundis, faucius, Pilia tradetur.* sed aduersatur ea ratio, quod, si accusatus esset antea de repetundis, abiisset in exsilium; nec alterum de eodem crimine iudicium exspectasset.

Attici nostri] Cuius vxor Pilia fuit, saepe in epistolis ad eum nominata.

Feruenter] Valde, non frigide: vt epist. 6. *feruentissime concerpitur.*

Loqui] Passionem tribuit verbo, actionem potius requirenti. Sed antiquum fuit, id est Coelianum.

Quo vento proficiscitur] Qua fama valde commotus est Appius, vsque eo, vt eundem Seruilium de praeuaricatione accusarit.

Appius minor] Duos fratres Claudiae gentis nominat Pedianus in argumento orationis pro Milone, filios C. Clodii, qui P. Clodii frater fuerat. vtrique praenomen Appio fuit; sed, vt internoscerentur, *Appius maior*, et *Appius minor*, aetatis ratione habita, vocabantur, vt feminae, antequam nuberent, cum duae sorores essent, *maior* et *minor* appellabantur. itaque duas Octauias, maiorem, et minorem, Suetonius nominat in Augusto c. 4. Pediani verba sunt haec: *Postulauerunt apud eum* (Pompeium) *familiam Milonis, item Faustae vxoris eius, exhibendam, duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii.* de quibus infra quoque idem Pedianus mentionem facit. Quaero igitur, cum duo fuerint Appii fratres, maior et minor, C. Clodii filii, primum, cur neuter eorum patris praenomine sit vsus: deinde, cur vterque Appius eodem praenomine? Verisimile est, adoptatos esse ab eorum patruo Ap. Claudio, qui Ciliciam rexit ante Ciceronem, et ab eo praenomen accepisse; quod fieri solitum est; deinde, vt distinguerentur, maiorem, et minorem esse nominatos. Accedit ad hanc rationem altera, vt ego arbitror, aliquanto firmior, quod in hac epistola viuere patrem eorum Coelius ostendit: infert enim, *quid? si nefarias patris confessiones audisses?* at eorum patrem naturalem C. Clodium iam decessisse, Pedianus videtur significare, cum dicat, *qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii.* ex quo sequitur, vt de patre adoptiuo sit intelligendum. qui cum et ipse Ap. Claudius

voce-

vocetur, quemnam putemus esse, praeter Appium illum, qui consul cum L. Domitio fuit, et post consulatum Ciliciam administrauit? Nec mirum videatur, eodem praenomine duos fratres esse vsos. nam hoc vsitatum in gente Claudia, ex historia cognouimus. Appius enim Claudius, cognomento Caudex, qui consulatum gessit anno V. C. CCCCLXXXIX. frater fuit Appii Claudii Caeci, teste Gellio lib. 17. c. 21. video etiam apud Liuium lib. 33. c. 22. duos Labeones fratres eodem praenomine appellari.

Ex bonis patris] A patre suo datam Seruilio, eius accusatori, vt praeuaricaretur.

Diceret] Aut hoc abundat, cum, *indicet*, dixerit: aut mendosum videtur: cum *dicat*, ad verbum *indicet*, rectius accommodetur.

Depositum] Ab Appio patre, quod Seruilio daretur, si praeuaricatus esset; in quo spem locabat absolutionis suae. Sigonii liber, *positum*.

H-S LXXXI] Prorsus hoc deprauatum suspicor. nam neque satis magna conficitur pecunia ad emendam praeuaricationem: et perfectum potius numerum in veterum libris nominatum animadverti. ac potest ex ignoratione antiquarum notarum fluxisse mendum, et factum esse LXXXI. ex eo, quod fortasse fuit, CCCIↃↃↃ, quae sestertiorum erunt centum millia, id est, pecuniae nostratis tria millia scutatorum. quamquam ne haec quidem corrupto accusatori merces pro rei magnitudine satis ampla mihi videtur.

Amentiam] Qui flagitium aperiat patris sui, a quo reo iudicet datam Seruilio pecuniam, vt praeuaricaretur.

Actiones] In persequenda accusatione. quid enim stultius, quam in consilium mittere eosdem illos iudices, qui lites aestimarant?

Nefarias] Nefas enim, pecunia salutem emere, accusatore corrupto.

Mittit in consilium] Post auditam cognitamque caussam, vt sententias de Seruilio ferrent: cum eos reiicere deberet, vt suspectos. Mittebat iudices in consilium accusator, vt hic, et pro Cluentio c. 30. *Cur eum, cum in consilium iretur, Cluentius et Canutius abesse patiebantur? cur cum in consilium mittebant, Stalenum iudicem, cui pecuniam dederant, non requirebant?* Et apud Valerium Max. lib. 6. c. 2. *Cn. Piso, Manilii accusator, interroganti Pompeio, cur se quoque non accusaret; da, inquit, vades reipublicae, te si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum: iam de tuo prius, quam de Manilii capite in consilium iudices mittam.* Praetoris quoque, mittentis in consilium iudices, exemplum habemus in Asconio. *Cato praetor*, inquit, *in consilium de calumnia accusatorum misit.*

Qui lites ERN. *litis aestimarant*] Qui de repetundis iudicauerant. in caussis enim repetundarum lites aestimabantur: vt, quantum a reo damnato esset exigendum, cognosceretur. Hinc licet intelligere, accusatum Appium patrem a Seruilio de repetundis, eoque praeuaricante absolutum. nec

dubito, quin repetundarum crimen ob Sardiniam anare administratam obiectum Appio sit: nam eam praetor rexerat: quod apud Plutarchum in Caesare legimus. Iudices autem, qui eum absoluissent, numquam omnino accusatum ab Appio minore Seruilium damnassent: ne, si praeuaricationem crederent, suum de Appii absolutione iudicium damnare viderentur: quem absolutum propter innocentiam videri volebant, non quod Seruilius praevaricator caussam prodidisset. Stulte igitur Appius minor eos iudices in consilium misit, vt sententias de Seruilio ferrent. Hic ne quis miretur, quod, cum dixerit postulatum a Pilio Seruilium de repetundis, iudicium factum de praeuaricatione prius, quam de repetundis, demonstret. nam praeuaricationis caussa tamquam appendix est rei iudicatae: itaque extra ordinem statim agitur. Qui autem de repetundis, iidem de corruptis iudiciis iudicabant: et ad crimen corrupti iudicii praeuaricatio pertinuit. itaque mirum non est, qui iudices in Appii caussa repetundarum fuerant, eosdem in Seruilii praeuaricationis caussa sedisse. Pro Cluentio c. 32. *An vt praeuaricaretur? Iam id quoque ad corrumpendum iudicium pertinet.* Et c. 37. *Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? accepisse a Cluentio H-S* CCCC. *Cuius erat ordinis? senatorii. Qua lege in eo genere a senatore ratio repeti solet? de pecuniis repetundis.* Quod autem, *litis*, pro *lites*, scriptum sit; antiquae consuetudinis est. Priscianus lib. 7. *lites*, et *litis: Cicero in frumentaria: Sedasti etiam litis illorum.*

Aequo numero] Aequo sententiarum numero reus absoluebatur. habendam scilicet humanitatis rationem veteres illi legum latores censuerunt; vt, in re dubia, ad misericordiam inclinatio fieret. testem habeo Ciceronem in orat. pro Cluentio c. 27. *In confitum*, inquit, *erant ituri iudices triginta et duo: sententiis decem et sex absolutio confici poterat.* Confirmat in Mario Plutarchus: Παραλέγως ἀπέφυγεν, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων. Hoc Laterensis ignorans, cum absolutum Seruilium, ob sententiarum paritatem, pronunciare deberet, non pronunciauit absolutum, neque de sententiarum numero mentionem fecit, sed, cum tres ordines, senatus, equites, tribuni aerarii lege Aurelia iudicarent, ordinum iudicia exposuit; quibus absolutum Seruilium, haec infra verba demonstrant, *pro absoluto Seruilius haberi coeptus.* in quo geminus Laterensis error agnoscitur, primum, quod aequo sententiarum numero absolui reum ignorauit: deinde, quod in absoluendo, aut condemnando habendam ordinum rationem arbitratus est; vt, quem ordines duo absoluissent, aut damnassent, is absolutus, aut damnatus putaretur: cum non intelligeret accidere posse, vt, a duobus ordinibus absolutus reus, tamen damnaretur, ex vniuerso sententiarum numero, quarum maior pars vel salutem reo, vel poenam afferebat. exempli gratia, senatores reum absoluunt, item equites, sed vtrique paucis sententiis: tribuni aerarii omnes, aut plerique condemnant. quis non videt absolui reum, si ordinum potius, quam sententiarum, ratio ducatur? contra tamen accidit; nam sententiae numera-

numerabantur, separatim quidem primo cuiusque ordinis, sed vt mox summa fieret ex omnibus: quarum maiorem numerum vel absolutio rei, vel calamitas consequebatur. quod ne putetur a coniectura ductum, quae saepe, tamquam in lubrico posita, ad falsa prolabitur: praeclarum contra ordines (vt ita loquar) pro sententiis habemus exemplum in vtilissimo Pediani commentario in Mil. c. 35. in quo damnatus a duobus ordinibus M. Saufeius, ex numero tamen sententiarum impunitatem assequitur. verba recitemus: *Defenderunt* (Saufeium) *M. Cicero, M. Coelius: obtinuerunt que, vt vna sententia absolueretur. Condemnauerunt senatores decem, absoluerunt octo. Condemnauerunt equites Romani nouem, absoluerunt octo. sed ex tribunis aerariis decem absoluerunt, sex condemnauerunt.* Alterum succurrit exemplum lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. nam de Sex. Clodio absoluto significans, *ei tres*, ait, *sententiae taeterrimae in consilio defuerunt.* Subiungit autem: *senatorum vna copiose absoluit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt.* Ex quo patet, si ordines considerentur, dubium esse iudicii exitum; cum vnus absoluat, alter condemnet, tertius aequo sententiarum numero nihil decernat. numeratis autem senatorum ac tribunorum sententiis, (nam equitum pares fuere) vicit tribus sententiis ea pars, quae absoluebat: qui senatores fuere: dixit enim, *senatorum vna copiose absoluit.* Quid? ipse Coelius non idem ostendit verbis ex legis capite vno et centesimo recitatis? *Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratumque esto.*

Vt solent] Vt solent praetores, postea quam, quid iudices senserint, pronunciarunt.

Non redigam] Antiqui moris ignoratione sententia nobis obscuratur. absolutionem quidem significari, e sequentibus verbis intelligo.

Pro absoluto] Cum eum ab ordinibus absolutum praetor pronunciasset.

Legis] De iudiciis.

In tabulas] In quas reorum omnium absolutiones, damnationesque referebantur.

Absolutum non retulit] Primum ex ordinum iudiciis Laterensis absoluendum Seruilium putauerat: mox insciam suam deprehendit, lecto legis capite vno et centesimo, in quo, numerandas iudicum sententias, plane cognoscebatur, omissa ordinum mentione. sed hic etiam lapsus est, opinatus ideo non absolutum Seruilium, quia iudicum pars maior pro eo non iudicasset: cum par sententiarum numerus ad absoluendum sufficeret.

Ordinum iudicia perscripsit] Haerebat Laterensis. pronunciauerat iam, ab ordinibus absolutum Seruilium: ex quo referre in tabulas absolutum oportuit. rursus, cum eum a maiore iudicum parte non esse absolutum videret, putavit se contra legem facere, si absolutum scriberet: itaque, ne vel contra suam pronunciationem, vel contra legem committeret, (cum ex pronunciatione absoluendus, ex lege damnandus ei videretur) neque absolutum, neque damnatum in tabulas retulit; scripsit, quid singuli ordines iudicassent.

Postu-

Franckesche Stiftungen zu Halle

Postulante] De repetundis. nam eodem crimine postulare non licebat.

Cum L. Lollio transegit] Vel amicus Laterensis fuit Lollius, cum quo de absoluendo Seruilio consilium cepit, vel ipsius Seruilii patronus.

Relaturum] In tabulas absolutum.

De repetundis Saucius] Saucius et laesus iudicio praeuaricationis, (siquidem neque absolutus, neque damnatns est) de repetundis accusandus Pilio tradetur.

Nam de diuinatione] Caussam exponit, cur, cum ab Appio et Pilio postulatum Seruilium dixisset, vnum postea Pilium nominarit. Quod ad diuinationem, inquit, attinet, Appius contendere cum Pilio non est ausus, vter accusare Seruilium deberet. *Diuinatio* dicebatur oratio, in qua de accusatore deligendo disputabatur; vel quod non de facto, sed de futuro coniectura quaereretur; vel quod iniurati iudices in ea caussa sederent, et, quod vellent, praesentire de vtroque possent; vel quod res ageretur sine testibus, et sine tabulis, et, his remotis, argumenta sola sequerentur iudices, et quasi diuinarent. sic enim putauit Asconius, cum Ciceronis Diuinationem in Verrem explanaret, in argumento. videndus et Gellius lib. 2. c. 4.

Cum calumniam iurasset] *Iurare calumniam*, est, iureiurando profiteri se accusatorem, in caussa tamen haudquaquam iusta. Liuius lib. 33. c. 47. *Romanos in Hannibalem, et ipsos caussam odii quaerentes, instigabant. Itaque, diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex populi Romani dignitate esse ducebat, subscribere odiis accusationibusque Hannibalis, et factionibus Carthaginiensium inferere publicam auctoritatem; nec satis habere, bello victisse Hannibalem, nisi velut accusatores calumniam in eum iurarent, ac nomen deferrent: tandem peruicerunt, vt legati Carthaginem mitterentur, qui apud senatum eorum arguerent, Hannibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire.* Pedianus in commentario Cornelianae: *Hoc illud pertinet, cum iurasse dixit, semel priuatim, et iterum legatum, scilicet cum in Curionem calumniam iurauit.* Supra quoque in hac ipsa epistola, *calumniam maximo plausu tulisse*, pro, ad accusandum descendisse.

Seruiliis] Propinquis M. Seruilii.

De vi reus a quodam emissario suo, Titio, factus est ERN. *Emissario est factus*] In antiquo libro Mediceae bibliothecae, et in duobus praeterea, Petri Bembi, et Vbaldini Bandinelli, legitur, *emissa rustetio factus*. fortasse corrigendum, *emissario, S. Tettio factus:* vt existimat amicissimus meus. Tettios autem et libertos, et amicos Claudiorum fuisse, in qua gente erat Appius, ostendit Asconius, vbi in orat. pro Milone c. 14. illum locum explanat: *haec insidiata Pompeio est.* quamquam ibi tantum de Damione Clodii liberto loquitur. sed Damionem Tettiae gentis fuisse ostenditur lib. 4. ad Attic. epist. 3. itaque hic Coelius, de Appio loquens, accusatus, inquit, est a quodam suo emissario Sex. Tettio. nam cum, *Sextus*, antiqui significa-

gnificare volebant, vel *Sex.* scribebant, vel *S.* ita patebit et vera lectio et sententia. quo quidem eo magis inclino, quod etiam in libro peruetere Caroli Sigonii scriptum video, *omissa ruffetio:* vt in hac varietate augeatur mendi suspicio, et ad veritatem indagandam quasi latior via patefiat.

Recte hoc par habet] Praeclare componuntur hi duo: cum emissarius eum ipsum reum faciat, a quo in alios emitti solitus erat. *Gladiatorum par*, dixit Cicero de optimo genere oratorum c. 6. quam vocavit *compositionem* lib. 2. epist. 8.

Eum] Caesarem.

Post Kal. Mart.] Pugnare videtur hic Coelii locus cum Ciceronis loco lib. 8. ad Attic. epist. 3. in quo, Pompeium M. Marcello consuli, finienti prouincias Gallias Kal. Mart. restitisse, diserte scriptum est. Nec tamen aut Coelium, aut Ciceronem mentiri, credibile est. de Pompeii potius leuitate et inconstantia coguntur suspicari, qui, cum restitisset Marcello consuli, contra Caesarem agenti, postea cum eodem Marcello consenserit de successore Caesari mittendo. epistola quidem huius libri decima, hoc sensisse ostenditur, ne senatus consultum vllum fieret: quod erat, ne Caesari succederetur, contra Marcelli consulis relationem.

Auctoritatesque perscriptae] Auctoritates dicebantur senatus consulti, nomina senatorum, qui scribendo affuissent: quod auctoritatem et quasi pondus adderent senatus consulto. *Praescriptae* autem, non *perscriptae* mihi placere ostendi iam lib. 5. epist. 2. in eo loco, *illud senatus consultum ea praescriptione est.*

Auctoritas] Sic liber Sigonii, et alii: mihi potius arrideret, *auctoritates:* cum et Coelius proxime dixerit, *auctoritatesque praescriptae;* et Cicero lib. 3. de Orat. c. 2. *Eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) scribendo affuisse.*

In aede Apollinis] Senatus habebatur vel in sacris aedibus, vel in templis non sanctis, vt in curia Hostilia. templorum enim alia sancta, alia non sancta, vt ait Varro lib. 6. de L. L.

Scribendo affuerunt] Imminutum est, et subaudiendum, *senatus consulto.* sic enim tunc loquebantur. exempla vide lib. 15. epist. 6. lib. 7. ad Attic. epist. 1. lib. 3. de Orat. c. 2. Integrum autem posuit lib. 12. epist. 29. *alicui senatus consulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse. Ponor ad scribendum*, pro, *ponor affuisse scribendo*, dixit lib. 9. epist. 15. Lampridius in Heliogabalo c. 4. *Vbi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari iussit. Quae cum venisset vocata ad consulatum subsellia, scribendo affuit, id est, senatus consulti conficiendi testis.*

L. Domitius, Cn. F.] Scitu dignum est, quod in Nerone c. 1. scripsit Suetonius. *Perseuerarunt*, inquit, *omnes in eodem cognomine. Ac ne praenomina quidem vlla, praeterquam Cnei, et Lucii, vsurparunt, eaque ipsa insigni varietate, modo continuantes vnumquodque per trinas personas, modo alternantes per singulas. Nam primum, secundumque, ac tertium*

Aheno-

Ahenobarborum, Lucios: rursus sequentes tres ex ordine, Cneos accepimus: reliquos non nisi vicissim, tum Lucios, tum Cneos. Hic autem, qui scribendo affuit, consul fuerat cum Appio Claudio, Caesaris inimicissimus, quem praetor abeuntem consulatu, quem aduersus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem senatus vocauit: mox consul imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentauit: succesforque ei per factionem nominatus, principio ciuilis belli ad Corfinium captus est. vnde dimissus, Massilienses, obsidione laborantes, cum aduentu suo confirmasset, repente destituit: acieque demum Pharsalica occubuit: vir neque satis constans, et ingenio truci, quippe qui, consultante Cn. Pompeio de mediis, ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos. De hoc, vt oratore, Cicero sic in Bruto c. 77. *L. Domitius nulla ille quidem arte, sed latine tamen, et multa cum libertate dicebat.* Cneus autem pater eius, hic nominatus, is est, qui *in tribunatu pontificibus offensior, quod alium, quam se, in patris sui locum coptassent, ius sacerdotum subroganduum a collegiis ad populum transtulit: at in consulatu, Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per prouinciam vectus est: turba militum, quasi inter sollemnia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator: non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.* Haec Suetonius c. 2. Addit Pedianus in orat. pro Scauro, ab eo tribuno plebis, quod in augurum collegium a M. Scauro, principe ciuitatis, cooptatus non esset, diem ei dictam ad populum, et multam irrogatam, quod eius opera sacra multa populi Romani diminuta esse diceret. Notatur vt perfidus a Valerio Max. lib. 9. c. 6. quod Bituitum, regem Auernorum, per colloquii simulationem arcessitum, hospitioque exceptum, vinxisset, ac Romam naue deportandum curasset. quod an vere scriptum sit a Valerio, potest ambigi: cum Liuius lib. 61. Q. Fabium, Domitii successorem, aduersus Bituitum feliciter pugnasse tradiderit. Idemque Orosius lib. 5. c. 14 scriptum reliquit.

Ahenobarbus] Vt distinguatur a Caluinis. nam, vt idem Suetonius c. 1. *ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Caluinorum, et Ahenobarborum. Ahenobarbi auctorem originis, itemque cognominis habent L. Domitium; cui rure quondam reuertenti iuuenes gemini, augustiore forma, ex occursu imperasse traduntur, nunciaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat; atque in fidem maiestatis, adeo permutasse malas, vt e nigro rutilum, aerique assimilem capillum reddderent. Quod insigne manserit et in posteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt.* Confirmatur idem a Plutarcho, in Paulli vita, de huius origine cognominis. Quod autem, *Ahenobarbus*, non, *Aenobarbus*, maluerim scribere, si qui lapides Capitolinos inspexerit, non mirabitur. Deductum videtur non ab, *aeneus, aenea, aeneum*, sed ab, *ahenus, ahena, ahenum*, quod Gellius lib. 2. c. 3. adspiratione inter duas vocales interiecta, scribere veteres consueuisse demonstrat.

Q. Caeci-

Q. Caecilius] Hic est Scipio ille, Magni Pompeii socer, eiusdemque in tertio consulatu collega, qui afflictas Pharsalico proelio partes Pompeianas, in Africa rursus ope Iubae regis excitauit, victusque a Caesare, ne victoris in potestatem veniret, ipse sibi mortem conscíuit. Transiit autem a Corneliis in Caecilios, assumpto patris adoptiui cognomine Pio, quod eum Q. Metellus Pius, Numidici filius, Pontifex Max. adoptauerat. id quod in Dionis historia legimus lib. 40. Hunc Cicero *Nasicam* vocat lib. 2. ad Attic. epist. 1. quod eius patris maiorumque cognomen fuerat. Dio eodem libro. Idem tamen vetere praenomine, quod a naturali patre acceperat, *Publius* appellatur interdum, vt a Cicerone in orat. pro domo c. 47. et in epitome Liuiana lib. 114. et apud Eutropium lib. 6. c. 23 Pater autem eius, vt eodem loco Dio scripsit, fuerat Scipio Nasica, auus item Nasica, quem nominat Cicero in Bruto c. 34.

L. Villius] Antiqua familia, primis fere temporibus a Liuio nominata. *Annales* dicti, ab eo, qui legem tulit, quo anno magistratus capere liceret. Villium Annalem Cicero etiam memorat in oratione pro Fundanio, apud Priscianum lib. 7. Antea in omnibus impressis, *Iulius*: primi nos reposuimus, *Villius*.

Pom.] Tribus Pomptina fuit. nam ex XXXV. tribubus, aliquam, vt inquit Pedianus, necesse erat, cuiuscumque esset ordinis, ciuis Romanus obtineret. is autem ostendebatur a praenomine suo, a nomine, (nomine autem familia significatur) a patris praenomine, a tribu, a cognomine, vt Phil. 9. c. 7. *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia, Rufus*. Lemonia enim tribus est ablatiui casus: vt sit, *ex Lemonia*, vt inquit Asconius. in lapidibus autem antiquis fere semper, in libris aliquando prioribus tantummodo litteris significari tribus animadvertas, vt in hoc senatus consulto. vbi enim legitur, *Pom.* sciendum est *Pomptinam* intelligi: vbi *Pop. Popilliam:* vbi *Pup. Pupiniam:* vbi *An. Anienſem:* quod cum antea non esset exploratum, alii pro *An. Capito*, duabus vocibus coniunctis legebant *Ancapito:* Bernardinus autem Rutilius in suis annotationibus credidit, antiquas notas fuisse, quae significarent, *Ateii nepos*. in quo quam deceptus sit, non attinet dicere. si enim ab auo ostendendus aliquis erat, non ab eius nomine, sed a praenomine ostendebatur. sed incidit in errorem, quia tribum Anienſem non agnouit, quae duabus modo litteris, vt iam dixi, scripta fuerat. quae me ratio mouit, vt vbi, *Puphiniu*, vno tantum verbo antea legebatur, duobus in nostro libro scriberem, *Pup. Hirrus*, id est, Pupinia Hirrus. tribus enim ante cognomen ponebatur, vt et hic, et alibi licet videre. Quoniam autem hanc tribuum cognitionem non ita facilem esse perspicimus, (nam et Volaterranus, et Alexander, qui dies Geniales scripsit, et alii, quos non necesse est commemorare, parum videntur in suis libris earum numerum et nomina tenuisse) studiosis non fore prorsus inutile, aut iniucundum arbitramur, si, quae in hanc rationem dispersa in veterum monumentis leguntur, coacta huc asseramus. quae cum olim scripserim adole-

adolescens, cum haec noua videbantur; nunc eadem, correctione quadam, breuissime colligam.

Fuerunt igitur Romanae tribus omnino XXXV. quarum nomina infra scripsimus, et scriptores aliquot, qui de iis locuti sunt, apposuimus, vt inde facilior earum ac certior vnicuique cognitio sit.

AEM. vel AEMI. Aemilia. Cicero lib. 2. ad Attic. epist. 14. Liuius lib. 38. c. 36. antiquae vrb. inscr. 75.

ANI. Anienſis. Cicero pro Plancio c. 22. Liuius lib. 10. c. 9. antiquae vrb. inscr. 160, 175. et in libro Petri Appiani de inscriptionibus antiquis totius orbis, 93.

ARN. vel ARNIEN. Arnienſis. Cicero in Agraria 2. in Rullum c. 29. Liuius lib. 6. c. 5. et lib 29. c. 37. vbi corrupte legi putamus *Narnienſis*. nam lapis antiquus, quem Vulsiniis in templi parietibus vidimus, expressam Arnienſis mentionem continet.

CLA. Claudia. Liuius lib. 2. c. 16. Virgilius lib. 7. Aen. v. 708. Dionysius Halic. lib. 5. antiquae vrb. inscr. 75, 84, 114. liber Appiani 479.

CLV. vel CLVST. Cluſtumina. Cicero pro Plancio c. 16. pro Balbo c. 25. antiquae vrb. inscr.

COL. Collina. Varro lib. 4. de L. L. Plinius lib. 18. c. 3. Festus. antiquae vrb. inscr. 27, 99, 120. liber Appiani 110.

COR. Cornelia. Liuius lib. 38. c. 36. antiquae vrb. inscr. 29.

ESQ. vel EXQ. Esquilina. Varro lib. 4. de L. L. Plinius lib. 18. c. 3. Festus, antiquae vrb. inscr. 75. Est praeterea in aedibus viri optimi, valdeque eruditi, Gentilis Delphinii Romani, fragmentum antiqui lapidis cum hac tribu.

FAB. Fabia. Horatius lib. 1. epist. 6. v. 52. Suetonius in Augusto c. 40. antiquae vrb. inscr. 61, 73, 74, 76. et Petri Appiani lib. 62, 66, 335, 343, 500.

FAL. Falerina. Liuius lib. 9. c. 20. in libro Appiani 105, 120. et Neapoli antiquus lapis est ita inscriptus:

C. PISTORIO. C. F. FAL. FIRMO. AEDIL. IIVIR. CVRATORI. OPER. PVBLICOR.

item Iosephus ἐν τῷ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγ. ιγ', κεφ. ιζ'.

GAL. Galeria. Liuius lib. 27. c. 6. Plinius lib. 7. c. 49. (etsi pro *Galeria* legitur *Galerius*: sed corrigendus locus est ex antiquo libro auunculi mei Franciſci Asulani) et antiquae vrb. inscr. 89, 142, 159. liber Appiani 14, 15, 16, 19, 21, 22.

HOR. vel HORAT. Horatia. Scriptum in libris de hac tribu nihil est: in lapidibus tamen saepe nominatur. Deductam satis constat a vetere familia patricia, vt alias non paucas.

LEM. Lemonia. Cicero pro Plancio c. 16. Phil. 9. c. 7. Festus. antiquae vrb. inscr. 91, 151.

MAEC.

MAEC. Maecia. hanc in antiquis lapidibus duobus inuenimus:

C. OCTAVIO. C. F. MAEC. VERO.

C. HERBACIO. MAEC. ROMANO.

in libris quinquies nominatam obseruauimus, a Tullio lib. 4. ad Attic. epist. 15. a Liuio lib. 8. c. 17. et lib. 29. c. 37. a Valerio Max. lib. 2. c. 4. a Festo.

MEN. Mentina. Cicero lib. 13. epist. 9. Iosephus ἐν τῷ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγ. ιγ. κεφ. ιζ. cum quibus lapides tres consentiunt:

C. VALERIO. C. F. MEN. DOLVTIO. MARCIANO.

A. MVNIO. A. F. MEN. EVARISTO.

C. CATIO. C. F. MEN. BALBO. C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS.

Puto tamen hanc tribum fuisse *Meneniam* potius, quam *Mentinam*, et corruptum esse Iosephi locum. deducetur enim ab antiqua familia patricia, vt aliae octo, Aemilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Horatia, Papiria, Sergia, Veturia. nam Publilia nomen accepit a plebeia gente.

OVF. Oufentina. Liuius lib. 9. c. 20. Festus. antiquae vrb. inscr. 86, 133. in libro Appiani 27, 28, 30, 51, 63, 71, 79, 81, 85, 86. et in lib. Veronensium antiquitatum sic:

Q. EVFEMVS. Q. F. OVF. LVCVLLIVS.

PAL. vel PALAT. Palatina. Cicero lib. 2. in Ver. c. 43. Pedianus. Varro lib. 4. de L. L. Plinius lib. 18. c. 3. Liuius lib. 20. Festus. antiquae vrb inscr. 29, 34, 39, 62, 116, 155 176. liber Appiani 17, 22, 34, 64.

PAP. vel PAPIR. Papiria Liuius lib 8. c. 37. Festus. antiquae vrb. inscr. 72, 135.

POB. Poblilia, quae dein e *Publilia* scripta est. sicuti ex Poblius *Publius* factus est. reperitur in lapidibus et PVB. et PVBL. et PVBLIL. et POB. Liuius lib. 7. c. 15. antiquae vrb. inscr. 10. liber Appiani 252. et in libro Veronensium antiquitatum saepe. Exempla *Publiliae*, per *u* scriptae, quinque habemus, duo in antiquae vrb. inscr. 66, 81. tria in Appiani lib. 65, 105, 352. Puto hanc esse, quam Festus *Popilliam* nominat: de qua Valerius Max. lib. 9. c. 10. liber Appiani 297.

POL. Pollia. Liuius lib. 29. c. 37. Valerius Max. lib. 2. c. 4. et lib. 9. c. 10. antiquae vrb. inscr. 110, 113, 147. liber Appiani 18.

POM. vel POMP. Pomptina. Cicero lib. 4. ad Attic. epist. 15. Liuius lib. 7. c. 15. Festus. antiquae vrb. inscr. 114, 177. liber Appiani 141, 484.

PVP. Pupinia. Cicero lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. Liuius lib. 26. c. 9. Festus. duo antiquorum lapidum exempla exstant; alterum Capuae, D. VIRIDI. D. F. PVP. NIGRI; alterum Patauii, CLAVSIO. C. F PVP.

QVI. vel QVIR. Quirina. Cicero pro Quintio c. 6. Asconius

in Cornel. Festus. antiquae vrb. inscr. 15, 34, 44, 115. liber Appiani 14, 17, 18, 19, 103.

ROM. Romilia. Cicero Act. 1. in Ver. c. 8. idemque in Agraria 2. c. 29. Asconius. Varro lib. 4. de L. L. Festus. Seruius in lib. 3. Aen. antiquae vrb. inscr. 165. in libro Veronensium antiquitatum 51.

L. GALLIO. L. F. ROM.

Est etiam Ferrariae semifractus lapis, in imis summi Templi parietibus instratus, in quo ita scriptum vidimus,

— ITIO, T. F. ROM.

SAB. Sabatina. Liuius lib. 6. c. 5. Festus. lapis antiquus Romae in aedibus eximii Cardinalis Carpensis,

CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MVSAEO. MANCIPI. VIAE. APPIAE.

SCA. vel SCAP. vel SCAPT. Scaptia. Liuius lib. 8. c. 17. Suetonius in Augusto c. 40. Festus. Lapidis antiqui exemplum Romae exstat in regione Pantheonis:

C. AVFELIVS. C. F. SCA. SEVERVS.

et idem aliud,

C. GRANTANIVS. SCAPTIA. MACER.

SER. vel SERG. Sergia. Asconius in Cornel. antiquae vrb. inscr. 61, 63, 81, 165. est etiam in eodem lib. 63 quattuor litteris SERG.

STEL. Stellatina. Liuius lib. 6. c. 5. antiquae vrb. inscr. 110. et duabus litteris, ST. 239.

SVB. Suburana. Varro lib. 4. de L. L. Cicero etiam in Agraria 2. c. 29. quo in loco videtur corrupte legi, *ab Ocriculana:* cum in quinque antiquis libris legatur, *ab vsura nam.* vnde mihi orta coniectura est, legi posse, *a Subvrana*, mutatione fere nulla. Plinius lib. 18. c. 3. Festus. antiquae vrb. inscr. 117. et alibi.

TER. Terentina. Cicero pro Plancio c. 16. 17. Liuius lib. 10. c. 9. antiquae vrb. inscr. 140, 199. liber Appiani 105, 336.

TRO. vel TROMEN. Tromentina. Festus. Liuius etiam lib. 6. c. 5. scripsit, *Tromentina*, vt opinor, non, vt impressum est, *Promentina.* antiquae vrb. inscr. 207. liber Appiani 16, 177. et in lapide, qui Caietae est,

L. ATILIO. L. P. TROMEN.

VEIEN. Veientina. Cicero pro Plancio c. 16.

VEL. Velina. Cicero lib. 4. ad Attic. epist. 15. et in Bruto c. 48 Horatius lib. 1. epist. 6. v. 52. Persius Sat. 5. v. 73. antiquae vrb. inscr. 162. liber Appiani 19.

VET. Veturia, hoc lapide notata,

C. CASSIVS. C. F. VET.

et hoc,

SEX. APVSIVS. SEX. F. VET.

et hoc,

SEX. CALPVRNIVS. SEX. F. VETVRIA.

VOL. vel VOLT. vel VOLTIN. Voltinia. Cicero pro Plancio c. 16. 17. antiquae vrb. inscr. 155. et in antiquo lapide, qui est Venetiis in turri S. Vitalis,

CN. NVMERIVS. CN. F. VOL. FRONTO.

est et quattuor litteris VOLT. in Appiani lib. 484. alibi VOLTIN.

VOLTIN. et integrum VOLTINIA.

Ex hoc numero quattuor tantum vrbanae fuerunt, Palatina, Esquilina, Collina, Suburana, in quas, vt inquit Plinius lib. 18. c. 3. transferri ignominiae esset, dictae a partibus vrbis, in queis habitabant. reliquae omnes rusticae, laudatissimae, eorum, qui rura haberent: quae propria ingenuorum erant; cum vrbanae libertinorum essent: vt in Asconio, et in epitome Liuiana lib. 20. Asconium autem, vbi illud in Verrem explanat, *V. et XXX. tribus*, lib. 1. c. 5. cur de nominibus Sabinarum plures tribus esse factas dixerit, mirari non satis possum; cum a Sabinis non tribus, sed curiae nomina acceperint, vt inquit Liuius lib. 1. c. 13. et Sex. Pompeius.

C. Lucceius] *C. Lucius* antea legebatur in omnibus vulgatis libris: quod etiam in antiquis video scriptum esse. verum non indiligenter a nobis obseruata Romanorum nominum ratio mendum olim patefecit. non enim duo praenomina, *Caius*, et *Lucius*, simul esse possunt: et omnino familiae nomen posteriore loco requiritur: nec video, quid commodius pro *Lucius*, reponi possit, quam *Lucceius*. quod cum mihi placuisset multis abhinc annis; postea, cum ab aliis probatam esse coniecturam nostram intellexerim, confirmor aliquanto magis in vetere sententia.

Hirrus] Et cognomen *Hirrus*, et praenomen *Caius*, indicant eum esse, quem suum in aedilitate competitorem nominauit Coelius epist. 2. Et, vt aliud ex alio, suspicor, quem legimus *Vlcillem Hirrum* apud Caesarem lib. 1. de bell. ciu. c. 15. mutandum esse in *Lucceium Hirrum*. Hic in sequentibus senatus consulti partibus, quibus intercessum est, non affuit scribendo, fortasse quod aliter sentiret, aut ne Caesarem offenderet; in quem fieri praeiudicium videret: ideoque etiam intercessum est.

Curio] Tribunus plebis designatus: quo tempore fauere Pompeio contra Caesarem videbatur: idque tum historiae narrant, tum etiam argumento est, quod affuit scribendo senatus consulto, pro optimatibus, id est pro Pompeio contra Caesarem facto. adesse enim scribendo soliti sunt, qui senatus consultum fieri vellent. quod ostendit lib. 15. epist. 6.

Capito] Cognomen est et gentis Ateiae, vt hic, et lib. 13. epist. 29. cognoscitur; et Fonteiae, testimonio Plutarchi et Horatii: quorum ille in Antonii vita Fonteium Capitonem, hic eundem lib. 1. Serm. Sat. 5. v. 32. nominat.

M. Marcellus consul] Nam Sulpicius collega aequior in Caesarem fuit, nec ei ante absolutum decem annorum spatium, Vatinia primum, deinde Trebonia lege datum, succedendum putauit, ne caussa belli ciuilis oriretur. itaque, cum ad eum scriberet Cicero lib. 4. epist. 1. *cognoram*, inquit, *iam absens, te haec mala multo ante prouidentem, defensorem pacis, et in consulatu tuo, et post consulatum fuisse*. Et epist. 2. eiusdem libri: *Omnia vtriusque consilia ad concordiam spectauerunt*. Et epist. 3. *Absens cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello cauendo et praedicendo sententia, et ipse affui primis temporibus*

poribus tui consulatus, cum accuratissime monuisti senatum, collectis omnibus bellis ciuilibus, vt et illa timerent, quae meminissent, et scirent, cum superiores, nullo tali exemplo antea in republica cognito, tam crudeles fuissent, quicumque postea rempublicam oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. —— Quare meminisse debes, eos, qui auctoritatem et consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse; cum tua prudentia salui esse potuissent. Legimus etiam in Suetonio c. 29. M. Marcello consuli Caesarem restitisse, partim per Ser. Sulpicium alterum consulem, partim per intercessores tribunos plebis.

V. F.] Vsitatus loquendi modus in ostendenda relatione. nam, V. F. quod est, *verba fecit*, idem valet, quod *retulit*, apud Frontinum de Aquaeduct.

De prouinciis consularibus] Vt succederetur iis, qui consulares prouincias obtinebant: quod generale videbatur: sed prouincia Caesaris vtraque Gallia maxime petebatur. duas autem quotannis prouincias iis decerni, qui consules fuissent, lex Sempronia iubebat: qua de re fit mentio in orat. pro domo c. 9. et de prouinciis c. 7. et lib. 1. epist. 7. Retulit igitur primum consul Marcellus de consularibus prouinciis, mox de omnibus vniuerse. prior relatio valuit, quia nemo intercessit: ex quo factum est senatus consultum: de vno dixit Coelius, *senatus consultum, quod tibi missi, factum est.* posterior autem relatio, tres partes complexa, quas paullo post ostendemus, infirma fuit: quia singulis partibus tribuni plebis intercesserunt. ideo factum de iis senatus consultum non est, (non enim hoc nomen ad ea senatus decreta pertinet, quibus interdicitur) sed senatus tantum auctoritas remansit: quae quid a senatus consulto differat, demonstratum est lib. 1. epist. 2.

D. E. R. I. C.] *De ea re ita censuerunt.* Sic enim Probus interpretatur. eaedem litterae in senatus consultis a Frontino recitatis in libello de Aquaeduct. leguntur, et apud hunc nostrum Phil 8. c. 4. *Quod L. Opimius consul verba fecit de republica, de ea re ita censuerunt.*

L. Paullus] Hic initio consulatus acerrime Caesaris caussam oppugnauit: vt legitur epist. 11. postea silentium Caesari vendidit, acceptis MD. talentis. Plutarchus in Caesare. nota etiam ex alias historia. Ad hunc epistolas Ciceronis habemus lib. 15.

C. Marcellus] Patruelem fuisse M. Marcelli consulis, ait Suetonius in Iulio c. 29. Dio, patruelis fuerit, an frater, ambigit. ad hunc etiam scripsit Cicero lib. 15. est autem is, qui Octauiam, Octauii, postea felicissimi Romanorum imperatoris, sororem in matrimonio habuit, ex qua Marcellum suscepit, eum, quem primo adolescentiae flore exstinctum, Virgilius celeberrimo carmine deplorauit.

Inissent] Inibant Kalendis Ian. quod institutum est anno vrbis DXCVII. cum inissent antea Kalendis Mart.

A. d. X. Kal. Mart. ERN. *A. d. ex X. Kal. Mart.*] Sic est in tribus meis antiquis libris, et in vno Sigonii, et in Mediceo. suspicor

cor]tan en locum non carere mendo, et legendum fortasse, *a. d. ex Kal. Mart.* vel potius, *ex a. d. Kal. Mart.* quod valet, *ex ante diem Kal. Mart.* nam veteres consueuisse dicere, *ex ante diem*, non, *ante diem ex*, animaduerti. exempla subiungam. lib. 3. ad Attic. epist. 17. *De Quinto fratre nuncii nobis tristes, nec varii venerant ex ante diem Non. Iun. vsque ad prid. Kal. Sept.* Varro lib. 1. de re rust. *Ex ante diem VII. Idus Febr. ex ante diem VII. Idus Maii, ex ante diem III. Idus Sext. ex ante diem III. Idus Nou.* Liuius lib. 45. c. 2. *Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem V. Idus Oct. cum eo die in quinque dies.* Accedit Colotiani lapidis testimonium.

M. AEMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR. III. VIR. R. P. C.
EX. A. D. V. K. DEC. AD. PR. K. IAN. SEX.

Vt alias omittam veteres inscriptiones, quas in vnum collegit Aldus filius. Quod autem, *ex a. d. Kal. Mart.* malo legere, quam, *ex a. d. X. Kal. Mart.* infirmis in eo rationibus moueri non arbitror. Kalendas enim Martias omnino designari, non X. Kal. Mart. ex eo, quod proxime supra dictum est, intelligitur: *Perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, vt eum decedere post Kal. Mart. placeret.* Maxime autem confirmat opinionem nostram id, quod sequitur paucis interiectis verbis: *Neue quid prius ex Kal. Mart. neue quid coniunctim de ea re referretur a consulibus.* Idem dies, eadem res, lib. 8. ad Attic. epist. 3. ostenditur: *M. Marcello consuli finienti provinciis Galliis Kal. Mart. restitit* quod attinet ad modum loquendi, *ante diem*, valet *ad:* non enim hoc loquendi genere mutatur is dies, qui deinde nominatur. itaque quod est lib. 12. epist. 22. *ad XIII. Kal. Ian. senatus frequens mihi est assensus:* in Phil. 14. c. 7. est, *memoria tenent, me ante diem XIII. Kal. Ian. principem reuocandae libertatis fuisse.* Et lib. 16. epist. 9. qui dies sequitur Nonas Nou. appellatur *ante diem VIII. Idus Nou.* quem VIII. Idus esse constat. Gellius quoque lib. 15. c. 28. Ciceronem dixit esse natum *ante diem III. Non. Ian.* is vero dies *III. Non. Ian.* vocatur lib. 7. ad Attic. epist 5. Saepe autem imperiti librarii, cum *a. d.* non intelligerent, scripserunt *ad.* quod mendum irrepsit in libros, in lapides non potuit; nec multorum vtemur testimonio: vnum vidimus apud familiarem nostrum, virum optimum et eruditissimum, Fuluium Vrsinum, ita inscriptum:

CN. CINNA. MAGNO
L. VALERIO. VOLESO COS.
A. D. XIII. K. APRILIS
AD MONVMENTVM. SOCIORVM
IN. CONVENTV. HABENDO.
CVRATORE
C. PETRONIO. C. F. FAL. VARIA. ACTVM. EST
ET. ITA. DECREVERVNT.
LOCVM. L. SEMPRONI
D. L. HILARI. ET. OLLAS.
V. DARI. ADSIGNARI
C. PETRONIO. C. F. FAL. VARIAE. CVRATORI
OB. PIVM. OFFICIVM. INDVSTRIAM. ERGA. SOCIOS
EIVS. MONVMENTI. ET. SOCIVMQ. EVM. ADSCIVER.

Quae in suo magistratu futurae essent] Cum proxime dictum sit, *cum magistratum iniissent*, cur addatur, *quae in suo magistratu futurae essent?* quasi esset ignotum, Kalendas Mart. in eorum magistratu futuras. plane hoc suspicor ex margine libri, interpretationis loco appositum, irrepsisse in verba senatus consulti. valde enim mendose totum hoc senatus consultum in antiquis libris, etiam in Mediceo, scriptum est.

Referrent] Retulit Marcellus: Paullus, a Caesare emptus, tacuit.

Ex Kal. Mart.] Ex his verbis liquet, paullo ante legendum esse, *ex ante diem Kal. Mart.* non, vt mendose scriptum est in omnibus antiquis libris, *a. d. ex X. Kal. Mart.*

Coniunctim] Cum enim plura simul ad senatum referebantur, non facile omnia senatus maior pars comprobabat. ita saepe fiebat, vt vna res repudiata reliquas, quae omnino placerent, impediret. nam, cum dixisset senator, *diuide sententiam*, vt de singulis rebus referretur: orta contentione dies consumebatur, lege permittente senatoribus, qua quisque de re vellet, quamque diu vellet, dicere. itaque Festus inter impedimenta senatusconsulti numerat hoc in verbo *Numera*, cum senator diuisionem postulabat earum rerum, quae referebantur.

Vtique eius rei caussa] Antiquum est, *vtique*, pro, *et vt*. ideoque in senatus consultis ex vetere consuetudine vsurpatum. Phil. 9. et 14. in vtriusque extremo. Sic et Piso apud Gellium lib. 6. c. 9.

Per dies comitiales] Per quos haberi senatum leges vetabant. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat.* Et eodem libro, epist. 13. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum.* Ad Lentulum autem, lib. 1. epist. 4. iidem dies significantur iis verbis: *Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest.*

Eorum qui ERN. *Qui eorum*] Qui senatorum. Sic infra. sic locutus et Liuius lib. 38. c. 11. et Cato c. 145.

In CCC. *iudicibus*] Dixi iam, tres ordines lege Aurelia, senatum, equites, tribunos aerarios iudicasse. Sed omnes senatores, qui iudicabant, a iudiciis in senatum conuenire, ideo senatus voluit, ne per infrequentiam, quod saepe accidit, fieri senatus consultum non posset. certum enim senatorum numerum faciendo senatus consulto lex definiebat. Festus, et Dio: quorum testimonio hac ipsa de re iam vsi sumus. Iudiciis autem implicati tenebantur senatores multi. itaque ille, qui scripsit ad C. Caesarem de republica ordinanda, cuius exstat epistola, cum Sallustii fragmentis edita, (epist. 2. c. 11.) *duabus*, inquit, *rebus confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam ferat. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, et praesidii plus, et vsus amplior est. Nam fere, his tempestatibus, alii iudiciis publicis, alii priuatis suis atque amicorum negotiis*

gotiis implicati, haud sane reipublicae consiliis affuerunt: neque eos magis occupatio, quam superba imperia distinuere. Trecentos autem ordinis senatorii iudices Plutarchus nominat in Graccho: sed hoc tempore trecenti sexaginta, electi a Pompeio tertium consule, iudicabant. docet hoc Appianus de bell. ciu. lib. 2. et Plutarchus in Pompeio. itaque miror trecentos dumtaxat nominatos, nisi si perfecti numeri potius, quam imperfecti, placuit appellatio: vt in Pisonem c. 2. dixit Cicero, *quadraginta annis*, pro triginta sex. quo loco Asconius vsitatum ait fuisse Ciceroni, vt, omissa subtiliore annorum computatione, summatim tempus comprehenderet: recitatque illa in Catilinam, orat. 1. c. 2. *vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis:* cum octauus decimus dies esset. Aut igitur falsum iudicum numerum hac ratione tueamur: aut deesse LX. censeamus: vt omnino sint, qui ab Appiano et Plutarcho nominantur, CCCLX.

Sex] Malim, *eos*. vt omnes a iudiciis abducti adessent in senatu. Sic infra locutus: *Quos eorum ex senatus consulto cum imperio in prouincias propraetores mitti oporteret; eos sortito in prouincias mitti placere.*

Adducere ERN. *Abducere*] Et sententia, et Latini sermonis vsus, *abducere*, videtur probare, non vt habent omnes etiam scripti libri, *adducere*.

Ad populum, ad plebemue] Ad plebem ferre, non ad populum, tribunus plebis dicebatur; quia ius conuocandi patricios non habebat: ad populum autem consules et praetores, quibus omnes ciues edicto conuocare licuit. Liuius lib. 2. Gellius lib. 10. c. 20.

Lato opus esset] Contracte scribebant hoc totum, S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. quod Probus explanat, *si quid de ea re ad populum plebemue lato opus esset.* Sic Liuius lib. 44. c. 17. *Senatum consulerent, si qua re consulto opus esset.*

Tribuni plebis] Horum caussa additum est, *ad plebem.*

Deinceps] Post eos, anno sequenti. nam eodem anno, praeter eos, legem ferre nemini licuit, non aedilibus, non quaestoribus, non aliis magistratibus.

L. V. ERN. *I. V.*] Antiquus Sigonii liber, *I. N.* ex quo mihi venit in mentem, non incommode legi posse, *IN.* coniunctis duabus illis litteris I, et N. vt hoc significetur, *intercessum*. nam, quae sequuntur eiusdem relationis capita, consensu quidem senatus approbata, sed, tribunis plebis intercedentibus, senatus consulti vi et nomine caruerunt. cum enim senatus decreuisset, vt L. Paullus et C. Marcellus coss. ex ante diem Kal. Mart. de prouinciis consularibus ad senatum referrent; cauere voluit, ne quis moram afferret; adiunxitque alterum caput, si quis impedisset, eum contra rempublicam facturum. Tertium caput fuit de imminuendo Caesaris exercitu, honesta praescriptione; vt a bello discederent emeriti milites, quique caussas, cur missi fieri deberent, ostendissent. Quarto capite quasi praeiudicium fiebat de Galliis Caesari adimendis: quippe cum senatus Ciliciam, quae consularis erat, praetoriam

faceret, vt duae tantum reliquae consulares, Gallia, et Syria, in sortem coniectae, iis, quibus obuenissent, traderentur: quod ita factum est. verum haec singula debilitauit ac sustulit intercessio: primum caput valuit: vt anno sequenti de prouinciis consularibus ad senatum referretur: cum intercessionem necessariam Caesaris amici non putarent, qui non huic senatus consulto, quo actio de prouinciis consularibus sequentis anni consulibus mandabatur, sed ei potius, quod sequentes consules de successione prouinciarum postea facerent, intercedendum intelligerent.

Qui potestatem habeant] Tribunos plebis maxime designat, quorum erat intercessio: quamquam licuisse omnibus intercedere, qui eadem potestate, qua ii, qui senatus consultum facerent, maioreve essent, scripsit Gellius lib. 14. c. 7.

Intercedendi, impediendi] Satis erat, *impediendi:* quo vno verbo et intercessio, et quidquid impedimento potest esse, continetur. nam et paullo post subiunxit, *qui impedierit*, non, *qui intercesserit, impedierit.* itaque suspicatus quandoque sum, *intercedendi*, abundare. Sed hoc et dubium est, et parui refert: itaque magnopere nec affirmo, nec, si quis contra velit disputare, contenderim: liberum cuique iudicium relinquatur.

Quo minus ERN. *Quamprimum de republica ad senatum referri*] A quo quamprimum referri? an ab eodem, quo referente hoc decernitur? at is iam retulerat, senatusque consuerat, vt sequentis anni consules ex ante diem Kal. Mart. de consularibus prouinciis ad senatum referrent. de ceteris autem prouinciis, id est de Cilicia, deque octo reliquis prouinciis, quas praetorii pro praetore obtinerent, cum ab eodem M. Marcello relatum esset, decretum est, quod infra legitur. quare hoc de sequentis anni consulibus accipio, non vt quamprimum, cum magistratum inissent, sed quamprimum post Kal. Mart. de quo die facta mentio est in priore relatione, ad senatum referrent.

Contra rempublicam feciſſe] Hoc in senatus consultis versiculo vtebantur, vt ab impediendo deterrerent.

Huic senatus consulto] Senatus consulti partes *senatus consultum* vocat, vt *legem* pro legis capite in orat. pro Cluentio c. 54.

Auctoritatem perscribi] Hoc quale fuerit, iam ostendimus. iterare eadem non placet.

De ea re] De intercessione.

Referri] A consulibus, praetoribus, tribunis plebis, quibus eorum videretur.

P. Cornelius] Plebeius, cum sit tribunus plebis. Patricii vero Cornelii, Lentuli, Scipiones, Dolabellae, alii. plura diximus lib. 1. epist. 1.

C. Vibius Panſa] Antea, *Iulius*, mendose, qui consul, mortuo Caesare, fuit cum A. Hirtio.

Stipendia emerita] Emeriti stipendia milites dicebantur, qui per annos decem militassent: tuncque sacramento exsoluebantur, vt oneribus militiae vacarent.

Cauſſas] Vt morbum, infirmitatem valetudinis, aut aliquam rei domesticae difficultatem; quas ob cauſſas abesse domo non liceret.

Liuius

Liuius lib. 24. c. 56. *Cum milites, qui in legionibus vrbanis erant, frequentes tribunos plebis adissent, vti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus caussae essent, quo minus militarent.*

Hunc] Qui haec censuit ac decreuit.

Ratio habeatur] Cura suscipiatur.

In Ciliciam] Si habetur eorum ratio, qui prouincias obtinent, Cilicia consularis est, cum a viro consulari Cicerone administretur: ideoque non in hoc senatus consulto, sed in eo, quod de prouinciis consularibus factum est, nominari debuit. verum, quia fit praetoria, cum decernat senatus, vt in eam proficiscatur, qui praetor, non qui consul fuerit; propterea in hoc senatus consulto reiecta, ad reliquas prouincias, quas praetorii obtinebant, aggregatur. erat enim potestas senatui, quos vellet, in prouincias mittendi, siue consulares, siue praetorios: et, in quas praetorii mittebantur, praetoriae; in quas consulatu functi, consulares prouinciae vocabantur. id ex hoc ipso primum cognoscitur senatus consulto, quo praetorius, non consularis in Ciliciam, cui praeerat hoc anno Cicero consularis, mittitur: deinde confirmatur orat. de prouinciis c. 7. potuit tamen tribunus plebis hanc potestatem eripere senatui, et consularem prouinciam lata rogatione ab homine consulari ad praetorium transferre. quod obiicit Clodio Tullius, factumque extra ordinem queritur in orat. pro domo c. 9. Sed vt redeam ad Ciliciam, cogitanti mihi, cur praetoria nunc fiat, quae consularis antea fuerat, administrata per annos aliquot a tribus consularibus, Lentulo, Appio, Cicerone, visum est hoc a Pompeianis astuto consilio factum, vt consularium prouinciarum numerus, vna exempta, fieret angustior; eoque certior spes esset adimendi Gallias Caesari: cum duas tantum consulares prouincias lege Sempronia decerni per senatum oporteret. quod orationes pro domo c. 9. et de prouinciis c. 7. et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 6. docet: consulares autem, id est a consularibus hoc anno administratae, quattuor essent, Hispaniae, Cilicia, Galliae, Syria: (nam Macedonia, a quo tempore L. Pisoni consulari Q. Ancharius praetorius successit, praetoria fuit) nec in Hispanias mitti quisquam posset, cum eas lege Trebonia consul iterum Pompeius in quinquennium, posteaque tertium consul altera lege in alterum quinquennium, vt ait Dio, vel, vt Plutarchus, in quadriennium accepisset. reliquae tres erant: e quibus duas tantum decerni oportuit lege Sempronia. inuenta ratio est, vt ex tribus vna tolleretur; praetoriamque senatus Ciliciam facere conatus est. Sed tribuni plebis, Pompeianorum arte cognita, intercesserunt. Post alterum tamen annum, Lentulo et Marcello coss. hoc arbitror senatus consultum, spreta tribunorum plebis intercessione, renouatum, Ciliciamque praetoriam esse factam: cum apud Caesarem lib. 1. de bell. ciu. c. 6. mentionem fieri videam de prouinciis duabus consularibus, Gallia, et Syria, in sortem coniectis, quarum Gallia L. Domitio, Syria Scipioni obuenit. quamquam

in eo loco de vna tantum Gallia vlteriore intelligendum. nam citeriorem senatus praetoriam fecit. id ex lib. 16. epist. 12. cognoui, scribente Cicerone, vlteriorem Domitio Galliam, Considio autem, quem scimus consulem non fuisse, citeriorem obtigisse.

In octo reliquas prouincias] Praetoriae octo prouinciae sunt, Macedonia, Ionia, Asia, Sicilia, Sardinia, Bithynia, Creta. octauam opinor fuisse Mauritaniam: cuius partem Iuba rex possidebat: alteram partem Romanis paruisse cur non putem? cum Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 6. ita scripserit: *Saltem de reliquis rebus ad senatum refertur, tota Italia delectus habeantur; Faustus Sulla propraetor in Mauritaniam mittatur.* Africae vero partem illam, in qua Carthago fuit, Pompeio cum vtraque Hispania traditam esse, Plutarchus narrat. Pontus cum Bithynia, Corsica cum Sardinia coniungebatur.

Praetorii pro praetore ERN. *propraetores*] Cum imperio tamen omnes: quod belli gerendi caussa necessarium fuit: de quo Caesar his verbis: *In reliquas prouincias praetores mittuntur, neque exspectant, quod superioribus annis acciderat, vt de eorum imperio ad populum feratur.* Et hic proxime sequitur, *neque in prouincia cum imperio fuerunt.* In vulgatis, *praetorii pro praetore.* fortasse legendum, *praetorii pro praetoribus.* quod postulare videtur vsus Latinae linguae: et a contracta scribendi ratione manare mendum facile potuit.

Collegium primum] Significantur qui proxime praetores fuerunt: qui, si praeteriti numerentur, primi occurrunt. malim tamen, *proximum:* quomodo locutus est infra.

Is numerus] Nouem, qui proficiscerentur in octo prouincias praetorias, et vnam Ciliciam, quae hoc anno regebatur a Cicerone consulari.

Confidentiam] Vt confiderent homines, velle Pompeium potentiae Caesaris obsistere, contra quam antea fecerat: nam anno proximo tertium consul contenderat, vt decem tribuni plebis legem ferrent, vt absenti Caesari consulatum petere liceret: quod antiquis legibus interdictum erat.

Ante Kal. Mart.] Quo die primum vt sequentis anni consules de prouinciis consularibus referre inciperent, senatus decreuerat: vt e senatus consulto proxime recitato cognoscitur.

Sine iniuria] Fieret enim iniuria, si ante Kal. Mart. quem diem relationi primum senatus concesserat, de prouinciis consularibus, in quibus erant Galliae, statueret. iam enim ostendi, cum de successione consularium prouinciarum referretur, duas tantum significari Gallias, et Syriam, cupientibus optimatibus Hispaniarum imperium Pompeio conseruari; Caesaris autem opes, ademptis Galliis, imminui.

Se non dubitaturum] Quod hominibus confidentiam attulit, his enim verbis animo se contra Caesarem egregie paratum ostendebat.

Intercederent] Intercessum est a Curione tribuno plebis, quod iniquum videretur, ei successorem mitti ante tempus. epist. 13.

Hoc

Hoc nihil intereſſe] Oſtendit, ſi quis interceſſerit ſenatus conſulto, quod anno ſequenti de prouinciis conſularibus factum iri conſtabat, id Caeſaris opera factum iri: quod idem fore, ac ſi Caeſar parere ſenatui nollet. iam enim antea coniecerat illam vocem in diſputando, omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe. epiſt. 4.

Inquit alius] Tentabant ſenatores Pompeii potentiam his interrogationibus; cum eius voluntatem, naturali ſimulationis inuolucro tectam, elicere vellent.

Exercitum habere] Et Gallias retinere cum exercitu, et eodem tempore conſul deſignari: quod anno proximo, ipſo Pompeio tertium conſule pro Caeſare pugnante, populus iuſſerat.

Clementer] Leniter et placide. opponi enim a Cicerone video *clementer*, et *iracunde*, lib. 2. de Fin. c. 4. *Etſi ſatis*, inquit, *clemens ſum in diſputando, tamen interdum ſoleo ſubiraſci.* Non enim Pompeius iracunde reſpondit, quamquam interrogaretur ſatis arroganter: cum non eſſet ad iracundiam natura propenſus.

Fuſtem mihi impingere] Quod eſſe turpiſſimum nemo negabit. tale igitur quiddam Caeſar committet, ſi et conſul eſſe, et exercitum retinere volet. qui enim conſul eſſe vult, exercitum dimittit, priuatusque vrbem ingreditur. Improbat hic Pompeius eam legem, quae vt ferretur, anno proximo conſul ipſe operam dederat, vt abſentis Caeſaris in petitione conſulatus ratio haberetur. lib. 6. epiſt. 6.

Eſſe negotium] Eſſe, quod ageret cum Caeſare, id eſt contra Caeſaris voluntatem.

Vt aut maneat] In Gallia, prorogato vltra decennium imperio, quod ſi concederetur; nolle ſe conſulatum petere affirmabat, nec abſentis ſui rationem haberi; quod tamen ei lex dederat. Sin hanc Pompeiani conditionem recuſarent, eumque omnino vellent non modo expleto decennio, lege conceſſo, ſed etiam ante, decedere: ipſe pariter hoc, vt iniquum, recuſabat, ferebatque alteram conditionem, vt, ſi conſul deſignatus eſſet, tum decederet. vtraque autem conditione Caeſar imperii perpetuitatem quaerebat, qui vereretur id, quod inimicos ei minari ſolitos Tranquillus refert, ne, ſimul ac priuatus eſſet, ob res in conſulatu contra leges moremque maiorum actas in iudicium vocatus opprimeretur. Tranquillus c. 30. ſic: *Alii, timuiſſe, dicunt, ne eorum, quae primo conſulatu aduerſus auſpicia, legesque, et interceſſiones geſſiſſet, rationem reddere cogeretur: cum M. Cato identidem, nec ſine iureiurando, denunciaret, delaturum ſe nomen eius, ſimul ac primum exercitum dimiſiſſet: cumque vulgo fore praedicaret, vt, ſi priuatus rediſſet, Milonis exemplo, circumpoſitis armis, cauſſam apud iudices diceret. Quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalica acie caeſos profligatosque aduerſarios proſpicientem, haec eum, ad verbum, dixiſſe referens: Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis, C. Caeſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem.* Idem confirmat Coelius epiſt. 14. cum ait: *Caeſari perſuaſum eſt, ſe ſalvum*

vum esse non posse, si ab exercitu recesserit.

Hoc anno] Quo anno? an hoc, quo scribitur epistola? non petebat Caesar, neque legitimus hic erat ad petendum annus: cum inter duos consulatus decem anni interponerentur. quod a Sulla dictatore ad Caesarem dictatorem seruatum est, excepto anno, cum, ob seditiones domesticas, Pompeius tertium consul sine collega creatus est. Ergo, *hoc anno*, interpretor, eo, qui et imperii Gallici, et post primum consulatum Caesari decimus erat: quo quidem anno, quia necesse erat, vt e Gallia decederet consulatus petendi caussa, quem absentibus petere non licebat; ideo curaverat atque effecerat, vt decem tribuni plebis Pompeio III. consule legem ferrent, vt absentis Caesaris in petitione consulatus ratio haberetur. atque hoc Pompeius ipse, ignarus ea lege sibi perniciem strui, vehementer laborauit. lib. 6. epist. 6. et lib. 7. ad Attic. epist. 3.

Cadere non posse] Fortasse non assequetur, quod vult: nihil tamen, cum bene de republica sentiat, suae dignitatis amittet.

Curio] Designatus tribunus plebis, tunc quidem, vt videbatur, bene erga rempublicum animatus: de quo scriptum est epist. 4. *Vt spero, et volo, et, vt se fert ipse, bonos et senatum malet.* Postea tamen Caesaris caussam ita defendit acriter, vt auctor in primis et origo belli ciuilis exstiterit.

Mihi suo munere negotium imposuit] Quia benignus et liberalis Curio fuit in Coelium, negotium ei, id est grauem curam ludorum dandorum suo munere imposuit. Similiter Plautinus ille senex in Trin. Act. 2. Sc. 2. v. 108.

—— *In benignitate hoc repperi negotium.*

Ad ludos] Quos iam Curio dederat patri mortuo: itaque, cum Africanis amplius non egeret, donauit eas Coelio aedili curuli designato ad sequentis anni Romanos ludos.

Africanae] Donauit ei Curio decem Africanas pantheras, et decem Graecas, id est, e Cilicia missas a Patisco. Africanas hic tantum Coelius nominat, quia formosiores: vtrasque in epist. 9.

Potuit superscderi ERN. *superscdere*] Sic antiqui libri, non, vt impressi, *superscderi*. oportuit, inquit, supersedere a ludis dandis. nam *potuit*, pro *oportuit*, interdum Cicero dixit, vt lib. 2. ad Attic. epist. 9. *Orbis hic in republica est conuersus: citius omnino, quam potuit.* Et ad eundem epist. 16. eiusdem libri: *Potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere.*

Bestiarum] Pantherarum.

Syngraphas] De qua epist. 2. 4. 9. 11.

Ad me pertineat] Miserat eos Coelius, vt e syngrapha Sittiana pecuniam exigerent. epist. 4. et 9.

EPISTO-

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Gloriatur aedilem se designatum, Hirrum repulsum: de republica nihil actum significat: pantheras petit: Feridium commendat: addit de Pompeii ac Scipionis in Caesarem animo: disertum in sua defensione Calidium, in accusatione frigidum appellat. Tota, praeter Feridii commendationem, quae ab officio proficiscitur, negotialis est epistola.

EXPLANATIO.

Hirrum tractasti] Iocosum et familiare principium, de Hirri repulsa in aedilitate curuli.

Quam facile] Cum superauerim.

Quam ne contentionis quidem minimae fuerit] Hirrum deiicere, ne minimae quidem contentionis fuit.

Tuum competitorem] In auguratu. epist. 3.

Risus facit] Risus mouet: quia ciuem bonum ludit, et agit ea, quae ante repulsam non agebat: quasi aliam ex repulsa mentem sumpserit.

Ludit] Quasi ludendo repraesentat: nam, si bonus vere ciuis esset, iam antea significationem aliquam dedisset. itaque non agit serio, sed ludit.

Contra Caesarem] Vt bene sentire videatur. nam optimatibus, id est, vniuerso fere senatui, inuisus erat Caesar, quod extraordinaria semper appetiisset imperia.

Sententias dicit] Vt ei quamprimum succedatur: nec exspectandum censet.

Corripit] Reprehendit. eodem verbo vsus est epist. 2.

Curionem] Cur obiurgat Hirrus, contra Caesarem sententias dicens, bene de republica sentientem Curionem, et hoc quidem tempore Caesaris inimicum? fortasse, quia Coelium Curio summe diligeret.

Obiurgat ERN. *Obiurgatus*] Pro *obiurgauit*: vt, *iuratus*, pro *iurauit*; et *rebellatos*, pro *rebellauisse*, dixit Valerius Max. lib. 9. c. 10. Interdum tamen orta mihi de mendo suspicio est: quod fortasse scripserit Coelius: *obiurgat. scilicet hac repulsa se mutauit.* et, *scilicet*, vnica scriptum littera *S*, occasionem dederit loci deprauandi. omnes tamen libri veteres in, *obiurgatus*, consentiunt. itaque potest antiquum esse et ideo Coelianum.

In foro] Cuius in ea parte, quae *comitium* vocabatur, iudicia fiebant.

Caussas ERN. *Caussam*] Pro *caussas*.

Liberales ERN. *Liberalis*] Quia facilis est in recipiendis caussis.

Raro post meridiem] Et ante meridiem, et post, caussae agebantur. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 16. *Ego eodem die, post meridiem, Vatinium aderam defensurus.* Hirri autem patrocinio ita pauci vtebantur, vt raro post meridiem caussas ageret.

Scripse-

Scripseram] Epist. 4.

Interpellat] Impedit, ob affinitatem: nam erat Octauiae maritus, quae neptis fuit Iuliae, Caesaris sororis. initio etiam ciuilis belli, cum prouinciarum sortitio fieret, priuato consilio praeteritus est, quasi propensior esset ad Caesaris caussam. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 6.

Designati] De quo scripsit epist. 4. Sigonii liber habet, *designatio*.

In Kal.] Septembris. quo tamen die factum non est senatus consultum, sed pridie Kal. Oct. vt indicat epistola proxima.

Ne frequentiam quidem] Tantum abest, vt Kal. Sept. consules de prouinciis ad senatum retulerint, vt ne frequentem quidem senatum cogere potuerint. infrequenti autem senatu fieri senatus consultum non licebat: qua de re diximus lib. 1. epist. 9.

Ne profligatum quidem] Plus est, quam *coeptum*: minus, quam *confectum*. cognoscitur exemplis. nam lib. 12. epist. 30. *profligato*, inquit, *bello, ac paene sublato, renouatum bellum gerere conamur*. Et Tusc. 5. c. 6. *Profligata iam haec, et paene ad exitum adducta quaestio est*. In oratione autem de prouinciis c. 14. *Si in Capitolium inuehi victor cum illa insigni laurea gestiret: —— vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle*. Est igitur *profligatum*, quod in eadem oratione c. 12. *affectum* Cicero vocauit. *Ipse Caesar*, inquit, *quid est, cur in prouincia commorari velit, nisi vt ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reipublicae tradantur?*

Caussa] Hoc verbum et a Sigonii libro, et ab aliis nonnullis abest.

Integra] Falsum. Nam pridie Kal. Oct. factum est senatus consultum de prouinciis consularibus: nisi si, *integra*, vere dictum ideo putemus, quia nihil in eo senatus consulto de successione prouinciarum decretum est, sed in annum sequentem actio illa translata.

Relinquendus] Reliquit C. Coelium quaestorem. lib. 2. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6.

Intercessorem] Intercedetur enim ab aliquo tribuno plebis, cum de successione consularium prouinciarum, quarum vna erunt Galliae, senatus consultum fiet.

In eandem conditionem] Vt, quemadmodum in ceteras prouincias, sic in Gallias successor mittatur.

Vocantur] A Pompeianis, quorum factio in senatu dominabatur.

Patiscum] Hominem venandi peritum. lib. 2. epist. 11.

Curioni] Quas populo ostenderet funebribus ludis, quos patri mortuo reuersus e prouincia dedit, Caluino et Messalla coss.

Multis partibus plures] Multo plures. vide lib. 1. epist. 2.

Et alias Africanas] Nam Graecas miserat Patiscus: vt ex epist. 9. intelligitur. Varro lib. 3. de re rust. *Non minus formosum spectaculum, quam in circo maximo aedilium, non sine bestiis Africanis cum fiunt venationes*. Daturus erat Coelius aedilis curulis ludos Romanos in circo: alioqui pantheris Africanis non eguisset. docet enim Plinius lib. 8. c. 17. vetus fuisse senatus consultum, ne liceret Africanas in

Italiam

Italiam aduehere: contra tuliſſe ad populum Cn. Auſidium tribunum plebis, permiſiſſeque circenſium gratia importare.

Praedia ruſtica] *Praedium* generale nomen eſt rerum poſſeſſarum vel in vrbe, vel extra. ideo diſtinguuntur, cum dicimus, *praedia vrbana, praedia ruſtica.* Coelius hic vrbanis ruſtica, tamquam fructuoſiora, videtur anteferre. quae ſunt haec, arua, vineta, prata, oliueta, ſiluae. nemora enim, etſi a ſiluis differunt, e ſiluis tamen et pratis conſtant. itaque partim caeduntur, vt ſiluae; partim armentis, vt prata, pabulum praebent. *vrbana* vero *praedia* ſunt domus, areae, horti, et quidquid omnino ſoli, aut in ſolo aedificatum, intra pomerium poſſidetur.

Cibyratas] Apud quos pantherae capiebantur, epiſt. 4.

Seorſum] Nam, ſi coniunctim ludi darentur, minor vtriusque ſumptus. C. Caeſar et M. Bibulus, aediles curules, communi ſumptu ludos dederant: alii ſeparatim. Dio lib. 39.

A collega] Qui non nominatur: ſed M. Octauium puto: cum et Hirrus repulſam tulerit; et Coelium Vicinianum promulgatio de dictatore deiecerit. alios praeterea competitores, quod quidem ex his epiſtolis cognoſci liceat, non habuit.

Omnia] Quae ad ludos pertinent.

Impera tibi] *Imperare ſibi* dicitur is, qui, quod libenter non agit, agere tamen conſtituit: vt epiſt. 12. *Cum homo auarus, vt ea ſolueret, ſibi imperare non poſſet.* Et lib. 11. ad Attic. epiſt. 24. *Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda; etſi difficile eſt, tamen imperarem mihi, ſi mea quidquam intereſſe putarem.* Et Terentius in Eun. Act. 2. Sc. 2. v. 21.

—— *Imperaui egomet mihi,*
Omnia aſſentari. ——

Maiorem partem] Pro, *ex maiore parte:* vt lib. 9. epiſt. 15. *Intellexi idem, quod his intelligo litteris, non exiſtimaſſe te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere.* Et alibi ſaepius. Et Caeſar lib. 4. de bell. Gall. c. 1. *Maximam partem lacte atque pecore viuunt.* Et Lucretius lib. 3. v. 63.

—— *Haec vulnera vitae*
Non minimam partem mortis formidine aluntur.

Ad Sittianam ſyngrapham] Vt e ſyngrapha Sittiana pecuniam iſtic exigant.

Vllam ERN. *Nullam ſpem*] Alii, *vllam ſpem.* quod videtur apertius, hoc modo: puto etiam, ſi vllam de pantheris mihi ſpem oſtendes, me iſto miſſurum alios. Sigonii tamen liber habet, *nullam.* quod ita defendi poteſt: puto, licet nullam adhuc de pantheris mihi ſpem oſtenderis, me iſto miſſurum alios.

M. Feridium] Commendatitiae litterae, pro negotiorum varietate, varias quoque partes, easque modo plures, modo pauciores habent. ſed vſitata, et quaſi legitima, cum aliquid aut aliquem commendamus, tria ſunt; commendationis cauſſa, rei narratio, memoris animi et gratae voluntatis vel ab eo, qui commendatur, vel a nobis etiam ipſis promiſſio. Commendationis cauſſa

causſa hic eſt illa: *amici mei filium, bonum et ſtrenuum adoleſcentem:* rei narratio: *agros, quos fructuarios habent ciuitates, vult tuo beneficio immunes eſſe:* memoris animi promiſſio: *gratos et bonos viros tibi obligaris.*

Equitem Romanum] Non omnes equites dicebantur equites Romani, ſed ii tantum, qui equo publico merebant, in centurias deſcripti: quod duae in Antonium orationes, 6. c. 5. et 7. c. 6. declarant. qui enim equo priuato militabant, equites quidem erant, ſed nec equites Romani, nec equeſtris ordinis vocabantur. ſocietates autem publicanorum, quae multae erant, quia multorum locorum vectigalia ſeparatim locabantur, ex equitibus Romanis conſtabant. et erat equeſtris ordo ſenatoribus dignitate proximus, anulo aureo et equo publico a plebe diſtinctus. quocirca deduxit Cicero commendandi cauſſam ab honeſtate, cum Feridium equitem Romanum appellauit.

Bonum et ſtrenuum] Quae bonitati laus debetur, ea ſit maior, cum ad bonitatem accedit induſtria. recte igitur, *bonum et ſtrenuum*, coniuncta ſunt. eſt autem *ſtrenuus*, promptus et induſtrius in agendo.

Agros, quos fructuarios habent ciuitates] Ita legitur in duobus vetuſtis libris, Io. Scalae, et in libro Petri Bembi, etiam in vno Caroli Sigonii. itaque nihil muto, cum ſit aperta ſententia. *Quos fructuarios habent ciuitates:* qui ciuitatibus annuum vectigal pendunt.

Facile] Cum imperium habeas.

Honeſtum] Fortaſſe, quia vectigal magnum non eſt. alioqui, cur honeſtum ſit, imminuere vectigalia ciuitatum, non intelligo.

Gratos et bonos viros] Patrem, et filium.

Fauonium] Ciuem optimum, M. Catonis imitatorem, qui, C. Trebonio tribuno plebis legem ferente de Syria Craſſo, vtraque autem Hiſpania Pompeio in quinquennium mandandis, acerrime cum Catone reſtiterat. Dio lib. 39. Aedilis fuit Caluino et Meſſalla coſſ. vt Plutarchus in Catone ſignificat. itaque hic annus, quo ſcripta eſt epiſtola, ad petendam praeturam, quae, biennio interpoſito, aedilitatem ſequebatur, ei legitimus eſt. petiit autem, et obtinuit. propterea Velleius lib. 2. c. 53. Pompeio, poſt Pharſalicam pugnam fugienti, comites ait fuiſſe duos Lentulos conſulares, et Fauonium praetorium. Eodem pertinent, quae ſequuntur, *a columnariis praeteritum.* nam, *praeteriri*, eſt repulſam ferre: vt in orat. pro Plancio c. 3. *Nunc tantum diſputo de iure populi: qui et poteſt et ſolet nonnumquam dignos praeterire: nec, ſi a populo praeteritus eſt, quem non oportuit, a iudicibus condemnandus eſt, qui praeteritus non eſt.* Et Tuſc. 5. c 19. *Cum ſapiens et bonus vir ſuffragiis praeteritur, non populus a bono conſule potius, quam ille a malo populo repulſam fert.* Quod ſi quis dixerit, incertum eſſe, vtrum hoc anno, an ſequenti praetor Fauonius creatus ſit; quia, cum Velleius eum praetorium appellauit; praetorem eundem fuiſſe oſtenderit, praeturae tamen annum in dubio reliquerit: ita reſpondebimus, transiuiſſe in Graeciam Pompeio magiſtratus co-

qui

qui bene de republica sentire viderentur, comites fuisse: quos cum nominari videamus lib. 9 ad Attic. epist. 6. consules duos, et tribunos plebis, nulla cuiusquam praetoris mentione facta, satis constat, Favonium, quo anno Pompeius Italiam reliquit, id est, Lentulo et Marcello coss. praetorem non fuisse: ex quo sequitur, fuisse anno superiore, Paullo et Marcello coss. ideoque designatum Sulpicio et Marcello, quibus consulatum gerentibus Coelius haec scripsit. Favonium hunc vsque ad triumuiratum Octauiani, Antonii, Lepidi vitam perduxisse, ostendit Suetonius his verbis in Augusto c. 13. *Ceteri, et in his M. Favonius, ille Catonis aemulus, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, hunc foedissimo conuicio coram prosciderunt.* Eiusdem in eo libertas agnoscitur, quod a Valerio scriptum est lib. 6. c. 2. *Nam Pompeio, candida fascia crus alligatum habenti, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione, regias eius vires exprobrans.*

A columnariis] Non est praeteritus a columnariis, sed a viris bonis: quorum numerus minor est. *Columnarios* dici puto viles et improbos homines, qui ad columnam Maeniam in iudicium saepe vocarentur. Vide Pedianum in Diuin. c. 16. et orat. pro Cluentio c. 30. Nam qui, *colonariis*, contra veteres omnes libros legendum existimarunt, eorum iam explosa sententia est.

Non fecit] Praetorem.

Aperte] Dictitat.

Consulem esse] Subaudiendum *velle*. in epistola proxima, quae tamen post hanc scripta est: *Quid si, inquit alius, et consul esse, et exercitum habere volet?*

Tamen] Tamen in sententia, quam dixit, non omnino infensus Caesari visus est.

Sententiam dixit] In senatu extra vrbem habito: nam in vrbe Pompeio, qui erat cum imperio, esse non licebat: quod et Caesar scripsit lib. 1. de bell. ciu. c. 6.

Nullum hoc tempore senatus consultum faciendum] Opinor hoc esse, quod queritur Cicero lib. 8. ad Attic. epist. 3. Pompeium M. Marcello consuli finienti prouincias Gallias Kal. Mart. restitisse.

Scipio] Pompeii socer, nominatus in senatus consulto *Q. Caecilius Metellus Pius Scipio*, quod a Metello Pio esset adoptatus. epistola proxima.

Galliis] Nominatim: quod iniquum erat: itaque pridie Kal. Oct. de prouinciis consularibus, non de Galliis nominatim, senatus consultum factum est. epist. 8. De hac autem sententia Scipionis audierat Cicero, cum ad Atticum lib. 5. epist. 20. ita scripsit: *Est totum, quod Kalendis Mart. futurum est.*

Balbum Cornelium] Gaditanum, Caesaris amantissimum, pro quo exsta. Ciceronis oratio

Cum Scipione] Gentiles enim erant.

Calidius] Eloquentia clarus, de quo epist. 4

Defensione] Cum accusaretur a Gallis duobus. epist. 4.

Accusatione] Cum accusaret Q. Gallium, Cicerone defendente: vt est in libro de clar. orat. c. 80.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Quid C. Cassius, quid rex Deiotarus de Parthorum transitu scripserint, qui ex eo sermones excitati, quae de Cassio suspicio, significat. Subiungit de republica, quae putet actum iri anno sequenti. Concludit epistolam officio suo; cum se praestaturum promittat, ne quid ei temporis in prouinciali munere prorogetur.

EXPLANATIO.

C. Cassii] Quaestoris M. Crassi, a Parthis interfecti: qui reliquias exercitus Antiochiam retulerat. lib. 2. epist. 10. *Cassius noster feliciter ab Antiochia hostem reiecerat.* Et lib. 5. ad Attic. epist. 18. *Parthi*, inquit, *Euphraten transierunt duce Pacoro, Orodi, regis Parthorum, filio, cunctis fere copiis. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in opido Antiochiae cum omni exercitu.* Et epist. 20. eiusdem libri: *Rumore aduentus nostri, et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, et Parthis timor iniectus est. itaque eos, cedentes ab opido, Cassius insecutus, rem bene gessit. qua in fuga, magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus.* De hac victoria significatur in lib. 15. epist. 4. accedit Velleius lib. 2. c. 46. Iustinus lib. 42. c. 4.

Deiotari] Gallograeciae regis; qui amicitiam ac societatem populi Romani, quam diu vixit, studiosissime coluit; in hoc autem Parthico tumultu cum omnibus suis copiis ad Ciceronem accessit. lib. 5. ad Attic. epist. 2[illegible]. et lib. 6. epist. 1.

Euphraten] Terminum imperii Romani.

Per Commagenem] Asiae regionem, quam Euphrates interfluit. lib. 15. epist. 1. *Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunciarunt, Parthorum magnas copias Euphraten transire coepisse.* Et in eodem libro epist. 3. 4.

Prouinciam nostram] Nam Commagene non erat populi Romani, sed regis Antiochi. Syriam significat: quod ex lib. 15. epist. 1. et lib. 5. ad Attic. epist. 18. cognoscitur.

Quam paratus ab exercitu] *Quam*, non auget hic, sed minuit: vt paullo post: *Sin autem aut non erit istic bellum, aut tantum erit, vt vos, aut successores, paruis additis copiis, sustinere possint.* Et lib. 1. epist. 7. *Ea, quae scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, vt ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, vt magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur.* Dixit igitur, *quam paratus*, pro, quam male paratus. quod ostendit sequentibus verbis, *si paratior ab exercitu esses.* Sic locutus Plancus lib. 10. epist. 8. *Cum deum beniguitate ab omni re summus paratiores.* Et Cicero lib. 15. epist. 4. *Adolescens et equitatu, et peditatu, et pecunia paratus.*

Si paratior ab exercitu esses] Fretus enim exercitu, cum Parthis proelium committeres.

Necessi-

Necessitas] Tua, recedendi, ob exiguitatem copiarum.

Pompeium] Qui erat ad vrbem cum imperio, decreta illi in quinquennium vtraque Hispania.

Mittendum] Ad bellum Parthicum.

Ab vrbe non remouendum] Vt esset reipublicae praesidio. hoc sentiebant ii, quibus iam tum suspecta erat Caesaris potentia. itaque Cicero, cum audiisset Pompeium in Hispaniam iturum, scripsit ad Appium his verbis lib. 3. epist. 8. *Tu velim ad me quam saepissime, et de tuis rebus scribas, et de meis, et de omni reipublicae statu. de quo sum sollicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum.*

Caesarem] Qui bellum in Gallia gerebat.

Consules] Huius anni, M. Marcellum et Ser. Sulpicium.

Ex senatus consulto] Nemo putat, priuatos ad bellum Parthicum ex senatus consulto tantum esse mittendos, verum rogationem ad populum ferendam esse: sicuti lata erat antea de belli Mithridatici cura priuato Pompeio demandanda. exstat pro ea lege, quam Manilius tribunus plebis tulit, Ciceronis oratio. Priuatos opposuit Pompeio et Caesari, qui extra vrbem imperium habebant, et consulibus, qui in vrbe.

Ne illud senatus consultum fiat] Quod interdum, in tumultu bellico, fieri solitum est.

Vt paludati exeant] Non tam ipsi, quam alii fortasse, quibus Parthicum bellum senatus mandandum decerneret. hanc sententiam quae proxime sequuntur verba confirmant. *Paludamentum* vestis ducum in bello, et ad bellum ex vrbe proficiscentium. lib. 15. epist. 17. vide Festum.

Contumeliose] Esset enim eorum contumelia, si ad bellum ire nollent, et ad alium res transferretur.

Siue negligentia, siue inertia est] Distinguit, vt diuersa. *negligentia* enim voluntatis est, *inertia* etiam inscientiae: vnde illud lib. 12. epist. 20. *Quodsi, vt es, cessabis, lacessam: nec tua ignauia etiam inertiam afferet.*

In eam opinionem] Male enim audiebat auaritiae nomine. Plutarchus in Bruto.

Arabas] Qui cum essent finitimi, nonnumquam in populi Romani prouinciam impetum facere soliti sunt. lib. 3. epist. 8. *De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt, admisto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertisse.*

Velificatus] Assentando gratificatus. vt enim vela nauium ad ventorum adspirationes aptantur, sic orationem saepe nostram ad aliorum voluntatem accommodamus.

Alicui] Cassio: cuius litteras, caue, gratiae causa tuarum litterarum testimonio confirmes.

R ferret] Reipublicae.

Reticuisse] Quod si faceres, nec dignitati tuae, nec reipublicae consuleres.

Ante Kal. Ian.] Quo die noui consules, inito magistratu, de republica referent.

Nosti Marcellum, quam tardus] Sic locutus lib. 4. epist. 1. *Rem vides, quo modo se habeat.*

Haec causa] Deliberabitur, quis ad Parthicum bellum eat.

Tantum erit] Eiusmodi erit. nam hic, *tantum*, minuendi vim habet, non augendi. vide lib. 1. epist. 7. *tantam vim habet.*

Iactaturum] Cum inierit magistratum. nunc enim erat designatus tribunus plebis.

Paullus] Consul designatus.

De prouincia] Caesaris, quam omnino ei adimendam dictitabat. nondum scilicet a Caesare MD talenta, quibus addictus est, acceperat.

Occursurus] Intercedet enim senatus consulto. tribunus plebis erat: quod ex lib. 5. ad Attic. epist. 18. liquet. ad hunc sunt epistolae duae (25. 26.) lib. 10.

Plures] Accessit Curio, ingenti mercede a Caesare corruptus: quo nemo pro Caesaris caussa stetit audacius.

Fines hos] Quos ostendi. scripsit enim proxime de Parthico bello, de consule Paullo, tribunis plebis Curione et Furnio.

Ad actiones] Ad actiones Curionis hoc addo, de agro Campano. praeter cetera, Curio illud aget sequenti anno, vt ager Campanus, ante Caesaris aduentum, ex ipsius Caesaris lege diuidatur. qua de re satis copiose dictum est lib. 1. epist. 9. ad eum locum: *Vt de agro Campano, frequenti senatu, Idibus Maiis referretur.*

Laborare] Diuidatur, nec ne.

Valde nolle] Non placet, a verbo, *negant*, pendere verbum *nolle*. durius enim videtur, *negant Pompeium valde nolle*: pro, *Pompeium aiunt valde velle*. Libentius interpretor: Pompeium aiunt valde nolle: id est, nolle diuisionem omitti; ne, si non diuidatur, vacuus aduenienti Caesari pateat, et ab eo vel ipsius militibus, vel plebi diuidatur. Nam, quod ex verbo, *negant*, affirmationem elicio; nouum non est. considereturr illud lib. 7. ad Attic. epist. 15. *Plerique negant, Caesarem in conditione mansurum; postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur.* Et illud lib. 12. epist. 30. ad Cornificium: *Noli impudens esse, nec mihi molestium exhibere.* Sed est apud me vetus liber, a quo, *nolle*, abest: nec displicet: fiet enim haec sententia: Negant Caesarem laborare, Pompeium autem valde: vt ex eodem verbo, *negant*, primum negatio, deinde etiam educatur affirmatio. Cupiisse autem Pompeium diuidi statim agrum Campanum, satis intelligitur e sequentibus verbis, *ne vacuus aduenienti Caesari pateat.* diuisoribus enim gratiae plurimum acquirebatur apud eos, qui possessuri erant.

Prorogetur] Vt annua tantum prouinciae sit administratio. quod ab eo Cicero petierat lib. 2. epist. 7. 8. 10.

Tui consilii est] Tu statue, quid agendum tibi sit, velisne in prouincia remanere, an, finito anno, discedere contra senatus voluntatem.

Tempus] Propter bellum Parthicum: quo vrgente, discedendum non videtur ante, quam succedatur. Lib. 2. epist. 17. *Quin ad diem decedam, nulla caussa est, praesertim sublato metu Parthico.*

Senatus] Facto senatus consulto de proroganda prouincia: quod Cicero timebat. de biennio quidem

quidem sensit Hortensius, vt est lib. 3. epist. 8.

Mei officii est] Ego, quod est officii mei, id praestabo.

Decedens] Pro, *discedens*, cum iret Cicero in prouinciam. Sic epist. 1. *Quod tibi decedens pollicitus sum.*

Fieri] Prouinciae tempus prorogari.

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

Cum Cicero, litteris ad senatum missis, supplicationes pro re in Amano monte bene gesta postulasset; C. Curio, tribunus plebis, Ciceronis cupidissimus, iratus senatui, quod ei potestas agendi cum populo eriperetur, fieri senatus consultum de supplicationibus non patiebatur. postremo ventum est ad pactionem, permittente Curione senatus consultum fieri; modo nullae praeterea in reliquum annum supplicationes eriperentur. qua tota de re, et de cuiusque sententia ac voluntate diligenter Coelius perscribit. De republica narrat contentiones inter Pompeium et Curionem de successore Caesari mittendo. Mittit commentarium verum vrbanarum. Sittianum negotium commendat.

EXPLANATIO.

Curio] Tribunus plebis.

Comitiales] Dies: quibus agere cum populo licebat.

Eripiebantur] Quo modo? auspiciis. dum enim seruabatur de caelo, quae *spectio* vocabatur, agere cum populo non licebat. de caelo autem seruabant, non augures, sed magistratus: quod Cicero demonstrat in Phil. 2. c. 32. et Varro apud Nonium. Consules igitur, alter amboue, de caelo seruabant, ne Curio comitialibus diebus agere cum populo posset. erat autem haec impediendi pernicioſas tribunorum rogationes praeclara et vtilis admodum reipublicae ratio: qua etiam Lentulus Marcellinus consul aduersus leges C. Catonis tribuni plebis vsus est: de quo sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. *Consul est egregius Lentulus, non impediente collega: sic, inquam, bonus, vt meliorem non viderim. dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus pernicioſissimis obsistitur, maxime Catonis. Dies agendi cum populo*, in eadem epistola infra vocat Cicero.

Negabat] Vt par pari referret. consules de caelo seruabant, ne Curio posset agere cum populo: Curio intercedebat, ne decernerentur supplicationes.

Paulli] Consulis, nondum a Caesare corrupti.

Adeptus esset boni] Paullus consul, ne quid Curio agere cum populo posset, de caelo seruabat: quem Curio furorem appellabat: et ex ea sibi illata iniuria hoc se bonum adeptum dicebat, quod iustam haberet causſam impediendi, ne quid decernere senatus posset. quod si senatus consultum de supplicatio-

nibus fieri pateretur, amittere sibi videbatur bonum illud, quod furore Paulli adeptus esset.

Praeuaricator] Proditor.

Causae publicae] Quia, cum ei comitiales eriperentur, nec agere cum populo posset, impediri ac laedi causa publica videretur; cuius se patronum profitebatur, oppugnante Paullo.

His] Quae postulari solent.

Non vsuros] Exceptis iis, quae Ciceroni decernerentur.

Spem] Quasi nihil reipublicae prodessent, aut a diis immortalibus minime curarentur. Non est igitur, quod Marcello magnopere gratias agas; qui Curioni promisit, se in hunc annum nullis praeterea supplicationibus vsurum, non quo facilius de tuis impetraret, sed quia spem omnino in istis supplicationibus non haberet.

Non edicturum] Supplicationes.

Diutius dicturum] Vt diem dicendo consumeret, ne senatus consultum fieri posset. quo de more diximus lib. 1. epist. 4.

Prendimus] Rogauimus. ductum ab eo, quia prendimus, et prensamus, (vtroque enim modo loquebantur veteres) a quibus impetrare aliquid cupimus.

Non modo non fecit] Sigonii liber, *non modo fecit*. quod neque probo, neque condemno. vide locum lib. 1. epist. 9. *non modo praemiis*.

De hostibus] Non dabantur supplicationes, nisi ob iustam victoriam, caesis hostibus certo quodam numero. ideo Cicero lib. 2. epist. 10. *Victoria iusta*, inquit, *imperator appellatus apud Issum*. Id confirmat ipse Coelius, cum subiungit, potuisse Hirrum impedire, si, vt numeraretur, postulasset. quis autem caesorum numerus obtinendis supplicationibus sufficeret, praecise scriptum non inueni: vnum hoc dicam, si mille hostium caesi essent, Ciceronis aetate satis fuisse. id ex iis Ciceronis verbis Phil. 14. c. 5. cognoscitur; *Si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus?* triumphum quidem, qui supplicationes fere sequebatur, nisi qui quinque millia hostium vna acie cecidisset, nemini per leges impetrare licuisse Valerius lib. 2. c. 3. tradidit. sed hoc etiam, vt opinor, deprauauit ambitio. Quidam, *hastis*, legunt: quam recte, alii iudicent: ego sequor et historiae testimonium, et antiquos libros, Sigonianum, et meum.

Posset rem impedire] Falso igitur Cicero illud scripserat lib. 2. epist. 10. *Victoria iusta imperator appellatus apud Issum*. De eadem re lib. 7. ad Attic. epist. 1.

Vt numerarentur ERN. *numeraretur*] Vt ostenderetur, quo caesi hostes numero essent.

Catoni] M. Porcio Catoni, optimo viro, cuius in sententiam, Cicerone consule, factum erat senatus consultum de Catilinae sociis in carcere necandis. is praetor fuerat L. Domitio, Ap. Pulchro coss. repulsam tulerat in petitione consulatus, quo anno Ser. Sulpicius et M. Marcellus designati sunt, id est, biennio ante, quam haec epistola scriberetur.

Assensus

Assensus est] Licet iratus esset, vt ad Atticum Cicero scripsit, cuius verba proxime recitaui: iratus autem, quia superatus esset ab eo in petitione auguratus, epist. 3. et 9. hac de re sic in eadem ad Attic. epistola: *Redeo ad Hirrum. coeperas eum mihi placare: perfice. habes Scrofam, habes Silium. ad eos ego etiam antea scripsi, et ad ipsum Hirrum. Locutus enim erat cum iis commode, se potuisse impedire, sed noluisse: assensum tantum esse Catoni, amicissimo meo; cum is honorificentissimam in me sententiam dixisset; nec me ad se vllas litteras misisse, cum ad omnes mitterem.*

De te et (*et* abest in ERN.) *locutus honorifice*] Particulam, *et*, superuacaneam esse cur non putem? feratur tamen, vt in Coelio, cuius χαρακτὴρ a purissimo et ornatissimo Ciceronis sermone quam longe distet, omnes intelligunt. quod etiam critici veteres, quorum testimonia iam recitauimus, facile iudicarunt. Quod Coelius significat, hoc est: De te licet locutus honorifice, tamen non decreuerat supplicationes. laudauit enim Cato Ciceronem in sua sententia, supplicationem non decreuit. cur ita senserit, exponit ipse lib. 15. epist. 5. cui Cicero respondens epist 6. dixit, se tanti facere Catonis illam laudationem, vt cum ea nullum triumphum esse conferendum existimet. et lib. 7. ad Attic. epist. 1. confirmat idem his verbis: *Tu de nostro statu cogitabis: primum, quo artificio tueamur beneuolentiam Caesaris: deinde de ipso triumpho, quem video, nisi reipublicae tempora impedient,* εὐπόριστον. *iudico autem cum ex litteris amicorum, tum ex supplicatione; quam qui non decreuit, plus decreuit, quam si omnes decressent triumphos. ei porro assensus est vnus, familiaris meus, Fauonius, alter iratus, Hirrus. Cato autem et sc ibendo affuit, et ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit. sed tamen gratulans mihi Caesar de supplicatione, triumphat de sententia Catonis: nec scribit, quid ille sententiae dixerit, sed tantum, supplicationem eum mihi non decreuisse.*

Non decrerat] Quid caussae fuit, cur non decreuerit, cum et amicissimus esse videretur, et res supplicatione dignas Cicero gessisset, iusta victoria imperator apud Illum appellatus? obstitit inuidia: cum nobiles homines, ex antiquissimis orti familiis, nouum hominem Ciceronem in principibus quidem esse facile paterentur, altius autem euolare nequaquam vellent. quod in epistolis interdum queritur Cicero, et aperte quidem lib. 7. ad Attic. epist. 2. his verbis: *Cato in me turpiter fuit maleuolus. dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, id negauit. itaque Caesar iis litteris, quibus mihi gratulatur, et omnia pollicetur, quo modo exsultat Catonis, in me ingratissimi, iniuria? at hic idem Bibulo dierum viginti. ignosce mihi, non possum haec ferre, nec feram.* Et epist. 3. *Bibulus de prouincia decessit, Veientonem praefecit. in decedendo erit, vt audio, tardior: quem cum ornauit Cato, declarauit, iis se solis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere.*

Fauonius] Catonis imitator, aedilis curulis hoc anno.

Acceſſit] Cato ſententiam dixerat: aſſenſi ſunt Hirrus et Fauonius, ſententiam non dixerunt.

Pro cuiusque natura et inſtituto] Pertinet hoc ad Catonem, hominem ſeueriſſimum, naturaque et conſuetudine valde parcum in tribuendis honoribus.

His] Non Catoni, qui ſententiam dixit honorificam, ſed Hirro et Fauonio, qui ſententiam quidem non dixerunt, ſed voluntatem oſtenderunt pro ſententia, cum Catoni aſſenſi ſint. vel, *his*, tribus nominatis, quibus hoc nomine debentur gratiae, quod voluntatem dumtaxat oſtenderunt non decernendae ſupplicationis; pro ſententia vero, vt omnino non decerneretur, pugnare noluerunt, cum impedire tamen poſſint, quae ſi recipitur interpretatio, mihi quidem ſatis probata; diſtinguendum erit hoc modo: *Voluntatem oſtenderunt; pro ſententia, cum impedire poſſent, non pugnarunt.*

Tantam voluntatem ERN. *Tantum*] Pro *ſatis tem*, vt lib. 7. epiſt. 31. *Veni igitur, quaeſo, ne tantum flamen vrbanitatis vna cum republica intereat.*

Cum impedire poſſent] Si, vt numeraretur, poſtularent.

De ſuarum actionum curſu] Iratus enim Paullo conſuli, qui comitiales ei dies eripiebat, induxerat animum ſupplicationes omnes impedire.

Furnius] Tribunus plebis, Ciceronis cupidiſſimus. lib. 15. epiſt. 14. et lib. 5. ad Attic. epiſt. 18. is eſt, ad quem leguntur epiſtolae aliquot lib. 10.

Lentulus] Cum Lentuli eſſent multi, ſumma inter Ciceronem et P. Lentulum Spintherem amicitia facit, vt de Spinthere accipiendum exiſtimem.

Circumierunt] Prenſarunt, ambierunt, qui enim ambit, circumit: vt ipſa verbi compoſitio declarat.

Balbi Cornelii] Gaditani. epiſt. 9.

Si aliter feciſſet] Si ſupplicationes Ciceronis impediiſſet.

Caeſari] Cui ſe addixerat, accepta ingenti mercede.

Eius fidem in ſuſpicionem adduxit] Cum diceret, ei cauendum eſſe, ne ficte reconciliatus cum Caeſare videretur, ſi Ciceronis honorem impediiſſet, quem ſciret a Caeſare non vulgariter diligi.

Decreuerant] Non equidem is ſum, qui diuinationibus, praeſertim quae ſola coniectura nitantur, facile acquieſcam: verumtamen, vbi nec ſententia repugnat, et mutatio leuis eſt, cur libertatem ingeniis eripiam? Hoc quidem in loco, qui nunc in manibus eſt, cum antiqui libri plerique haberent, *decerant*; nonnulli, *deſerant*; alii aliter; ex hac varietate ſum adductus, vt probarem, *decreuerant*: qua ſententia, nunc exponam. L. Domitius Ahenobarbus, et P. Scipio, Pompeii ſocer, vterque Caeſaris inimicus, cum inique ferrent tranſigi de ſupplicationibus Ciceronis, easque Curionis tribuni plebis interceſſione cuperent impediri; ſimulatione beneuolentiae ſupplicationes decreuerunt, vt ea re Curionem, omnibus Pompeianorum actionibus acriter aduerſari ſolitum, ad intercedendum elicerent. Accedit Coeliani ſermonis conſuetudo. paullo enim ante dictum eſt, *non decreuerat*

rat supplicationes. Et in Verrem dixit Cicero, *decreſſet.*

Hac re] Quod ſupplicationes decernerent.

Ad interceſſionem euocandam] Vt Curionem, optimatibus infenſum, ad intercedendum elicerent.

Interpellantibus] Crebro inſtantibus, vt ſupplicationes decernerentur.

Venuſtiſſime] Pulcherrime, ductum a Venere, cui pulchritudinem fabulae poetarum tribuunt.

In vnam cauſſam omnis contentio conlecta eſt de prouinciis: in quam adhuc incubuiſſe ERN. *In vnam cauſſam omnis contentio conlecta eſt: de prouinciis inquam adhuc eſt. incubuiſſe*] Addidi verbum *eſt*, ex antiquis libris, approbante ſententia. adhuc, inquit, de prouinciis contentio eſt.

Id. Nou. ERN. *Ante Idus Nou.*] Ante tempus ei decem tribunorum lege conceſſum.

Noſtri] Optimates.

Bene noſti] Imbecillitas eorum ſignificatur.

Scena rei totius] In ſcena dantur fabulae. Coelius transtulit ad ſignificationem rerum omnium, de quibus contentio eſſet: vt, quemadmodum ſcena fabulas, item id, quod dicturus eſt, omnia contineat.

Quod illi aequum putet] Aequum putabat, ſenatui dicto audientem Caeſarem eſſe. de quo ſic epiſt. 4. *In diſputando coniecit illum vocem Cn. Pompeius, omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe.* Eodem ſpectat illud in epiſt. 8. *Dixit, hoc nihil intereſſe, vtrum Caeſar ſenatui dicto audiens futurus non eſſet, an pararet, qui ſenatum decernere non patiretur.* Specie igitur probabilis et aequa erat actio Pompeii: ſed iniquum contra videbatur, populi beneficium, Caeſari lege tributum, ſine cauſſa eripi: quod tamen ſenatus decreuit, Pompeii eiusque amicorum ſtudio.

Conſulem deſignari priu] Quod Caeſar cogitabat: ideoque ferri legem a decem tribunis plebis voluerat, vt eius abſentis in petitione conſulatus ratio haberetur.

Accipitur ſatis male] Contumelioſe et acerbe tractatur.

Secundus conſulatus] In quo Pompeius iterum conſul operam dederat, auctorque fuerat, vt Trebonius tribunus plebis de Galliarum imperio Caeſari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cum eum ante idus Nou. vellet decedere.

Exagitatur] Reprehenditur. ſic lib. 1. epiſt. 1. *In rebus palam a conſularibus exagitatis, et in ſummam inuidiam adductis.*

Caeſar defendetur] Ab amicis: ne cogatur ante legitimam diem decedere.

Sententiam] De prouinciis.

Ludorum exploſiones] Quos populus oderat, eos ad ludorum ſpectacula accedentes excludebat. de iis in commentario ſcripſerat Coelius: praeterea de funeribus, et levia quaedam, quas ipſe ineptias fatetur eſſe.

De Sittiano negotio] De ſyngrapha Sittiana. epiſt. 2. 4. 8. 9.

Eos] A quibus exigenda pecunia eſt. nam ſyngrapha Sittiana facultatem dabat exigendae pecuniae.

Tamquam procurator] Eo ſtudio, quo ſolent ii, qui aliena negotia procurant.

Agas] Etſi patet ſententia, de mendo tamen ſuſpicor; cum in omnibus antiquis libris *agros*, non *agas*, ſcriptum eſſe videam. omnes etiam pro *quando*, habent *quom*: id eſt, cum: quod veteres vſurpabant pro *quoniam*, vel, *quando*.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Queritur de Appii Claudii, qui cum L. Piſone cenſuram gerebat, non ingrato ſolum animo, ſed grauiſſima etiam iniuria: quem cum inimicum ſibi eſſe, accuſationemque cogitare comperiſſet, anteuertit ipſe, eumque lege Scantinia poſtulauit.

EXPLANATIO.

Pudet] Non ſemper culpam ſequitur pudor. vir bonus a vitio ſic abhorret, vt alienis etiam flagitiis pudore afficiatur, neque ſolum cum ea cernit, ſed etiam cum audit. Pudet, inquit Coelius, quod ita ingratus in me fuerit, ita ſe turpiter et inique Appius geſſerit. Vel: Pudet me tibi confiteri, et queri de iniuriis Appii; cum eum tibi antea laudauerim.

Quia magna mihi debebat beneficia] Odii cauſſam ponit beneficia ſua: vere fortaſſe: nam debitor creditorem non amat, adſpectum quaſi metuens fugit: putat enim ſe, cum beneficia non referat, non amari: quae opinio facit, vt nec ipſe amare poſſit. porro qui non amat, quamis non modo re, ſed ſuſpicione etiam adducitur, vt odiſſe incipiat. qua tamen labe non inficitur animus boni viri, qui alios ex ingenio ſuo metitur: nec putat vllius commodi praemiiue ſpe beneficium tribui. mercatura enim quaedam eſſet, non liberalitas, improbi autem ſaepe benigni ſunt, non modo vt eandem gratiam reciplant, ſed vt aliquid etiam, fenerantium more, lucrentur.

Sibi imperare] *Imperare ſibi* dicitur, qui aliter agere ita ſolitus eſt, vt non libenter a conſuetudine diſcedat. Appius autem auarus: ideo ſibi, vt beneficia ſoluat, imperare non poteſt. Sic locutus epiſt. 9. *Impera tibi: hoc cura.*

Collegium] Augures, (erat enim Appius augur) vt aliquid contra Coelium molirentur. Alii ex coniectura, parum neceſſaria, contra veteres omnes libros legendum putant, *collegam*, id eſt, Piſonem cenſorem: quod hoc tempore cenſuram gerebat Appius.

L. Domitio] Qui cum eo conſulatum geſſerat.

Hoc munuſculum deferre Cn. Pompeio] Negotium dare Pompeio, vt me accuſaret. Niſi hoc dicit Coelius, quid aliud ſignificet, non video. Scrupulum tamen ſentio. primum, veriſimile non videtur ita deſipere Appium, vt Cn. Pompeium, virum grauiſſimum, principem ciuitatis, qui cum imperio

rio ad vrbem erat, adduci posse ad suscipiendam accusationem existimet: deinde, *munusculum deferre*, non est apud Coelium accusandi curam committere, sed accusare: vt epist. 8. *Nemini hoc deferre munusculum malait, quam suo accusatori.* postremo, genus loquendi, etsi multa in Coelio dissimulanda non ignoro, tamen hoc quidem ferre vix possum, *impetrare a me non potui, ipsum reprehenderem.* quis enim non videt, *vt*, desiderari? Quae cum intueor, libenter ad eam deducor coniecturam, vt hoc modo legendum et distinguendum putem: *Hoc munusculum deferre, Cn. Pompeio ipsum reprehendente: vt ab eo deprecarer iniuriam, etc.* nec tamen hanc opinionem nihil adiuuat scriptus liber, qui est apud me, in quo est, *vt ab eo*, non, vt vulgo legitur, *et ab eo.* Erit autem, *munusculum deferre*, accusare: quo sensu vsurpatum etiam est, vt dixi, epist. 8. Quod si quis libros typis impressos malit approbare, accipiat, *reprehenderem*, non pro *obiurgarem*, quod absurdum hic quidem esset, sed pro, *prenderem:* id est, rogarem, vt accusandi consilium abiiceret.

Quid ergo est] Quasi aliquis eum interroget: hoc tibi faciendum non putasti, quid igitur fecisti? Et videtur hoc loquendi genus post negationem, id est, vbi quid improbauimus, inferri. Non placuit mihi, ait Coelius, iniuriam ab Appio deprecari: quid igitur placuit? alloqui communes amicos, testes meorum in illum meritorum. Sic Liuius lib. 44. c. 22. *Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: immo eum, qui de sua vnius sententia omnia gerat, superbum iudico magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et vsu doctis, monendi imperatores sunt.*

Tum quidem ERN. *Tamen*] Ab ipso quidem vt iniuriam deprecarer, impetrare a me non potui: tamen feci, vt amicos alloquerer.

Cum aliquot amicis ERN. *Quasi aliquid*] Praeclara, nisi fallor, emendatio. mendum autem, quod in vulgatos libros irrepsit, sententiae peperit ignoratio. nam, *quasi aliquid*, valet, quasi hoc aliquid futurum esset: quod tamen apud Appium esse nihil sensi. praeterea, scriptum ita video in vetere Sigonii libro. quidam, *quasi aliquot amicis*, malunt: in quo et ab antiquis libris, et, vt puto, a Coelii mente discedunt.

Amicis locutus sum] De Appii iniuria. vsurpat et Cicero hoc verbum cum dandi casu lib. 6. ad Attic. epist. 1. *Haec non noram tum, cum Democrito tuo locutus sum.* Et Plautus in Men. Act. 5. Sc. 9. v. 7.

Adolescens, quaeso hercle loquere tuum mihi nomen, ni piget.

Ne, cui satisfaceret quidem] Satisfacit, qui se verbis excusat. exempla sunt, lib. 7. epist. 13. *Hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis.* Et Phil. 2. c. 20. *Acceperam iam ante Caesaris litteras, vt mihi satisfieri paterer a te.* Et Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 41. *Reliquae legiones per tribunos militum, et primorum ordinum centuriones egerunt, vti Caesari satisfacerent.* Et alibi.

Colle-

Collegae eius] L. Pisoni, contra quem exstat Ciceronis oratio. is censuram cum Appio gerebat. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 3. Dio lib. 40.

Amicitiam tuam] Quia Cicero eiectus a Clodio, consentiente consule Pisone, postea, vt vlciscceretur iniuriam, orationem habuit de consularibus prouinciis, vt Piso e Macedonia, quam proconsul regebat, reuocaretur. quod senatus decreuit.

Simiae] Sic Cicero lib. 7. epist. 2. *Hic simiolus, animi caussa, me, in quem inueheretur, delegerat.* et lib. 5. epist. 10. et Horatius lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 17.

— *Quos neque pulcher*
Hermogenes vmquam legit, neque similus iste
Nil praeter Calaum et doctus cantare Catullum.

Vultum subire] Quod supplicis est. ita pro Quintio c. 31. *Denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit.*

Incanduit] Pro, *excanduit*; vehementi commotus est iracundia. quo motu vultus excandescit. Alii, *scanduit*. Ego librum Sigonii, et meum sequor. et omnino magis placet, *incanduit*, quam *scanduit*. quid enim est, *scanduit*? tolerabilius erat, *canduit*: quod ad iratorum vultus pertinet. verum, *incanduit*, si habeo, comprobatum testimonio duorum librorum, qui nodum in scirpo quaeram?

Per hanc speciem simultatis] Quod eum in infamiam vocarem ficta simultatis caussa.

Polam ERN. *Palam Seruium*] Nihil muto: videant tamen eruditi, an sit rectius, quod monui adolescens in scholiis nostris, *Polam Seruium*, quem Cicero nominat, vt accusatorem, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. et Coelius ipse paullo post: *Vix hoc erat Pola elocutus.*

Inire cum Domitio consilia] Consilia capere, simul considerare. lib. 9. epist. 24. *Consilia sunt inita de me.* Et Liuius lib. 6. c. 34. *Consilia inire cum genero coepit.*

Compellari] Arcessi, in iudicium vocari. Lib. 2. ad Attic. epist. 2. *Nigidium minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum.* Et Phil. 3. c. 7. *Idem Q. Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto.* Et Suetonius in Iulio c. 17. *Vettium coniecit in carcerem: eodem Nonium, quaestorem, quod compellari apud se maiorem potestatem passus esset.*

Dicere non poterant] Nihil erat, quod obiicere mihi possent.

Summis Circensibus] Extremis diebus Circensium ludorum meorum: binos enim ludos aediles curules dabant, Megalenses, et Romanos, vt ostendit Dio lib. 39. et Pedianus in commentario Cornelianae, hic de Romanis intelligendum: qui dabantur in circo mense Sept. per quinque dies: quod fasti dierum veteres demonstrant. Scripta enim epistola paullo ante, quam Cicero e prouincia decederet: cum dicat Coelius in clausula, *exspecto te valde, et quamprimum videre cupio.* nam Cicero decessisse videtur mense Octobri: quod ex epist. 3. lib. 16. licet coniicere. Megalenses autem initio anni dabantur, id est multis mensibus ante Romanos: inquit enim Cicero lib. 2. epist. 11. *Mihi, mehercule, magnae curae est aedilitas tua. ipse dies me admonebat.*

bat. scripsi enim haec ipsis Megalensibus. Praeterea, cur de Megalensibus accipiam, cum non in circo, sed in Palatio darentur? de quibus Cicero in orat. de haruſp. reſp. c. 12. *Quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri maiores ante templum, in ipſo Matris magnae conſpectu, Megalenſibus fieri celebrarique voluerunt?* Idem Liuius confirmat lib 36. c. 36.

Lege Scantinia] De nefando marium concubitu, quae poenam irrogabat decem millia nummum. Quinctilianus lib. 4. c. 2. et lib. 7. c. 4. capitale crimen poſtea fecit Iulia lex. epiſt. 14. Iuuenalis Sat. 2. v. 44. Suetonius in Domitiano c. 8.

Pola elocutus] Vix hoc Pola Seruius accuſator dixerat. Anteà, *praelocutus.* ego, cum in antiquis libris viderem, *Pole locutus*, legendum putaui, *Pola elocutus.* poſſet etiam, *Polae locutus*: id eſt, vix Polae dixerat Appius, cupere ſe mihi accuſatorem ponere. nam et paullo ante Coelius cum dandi caſu idem verbum coniunxit, *amicis*, inquit, *locutus ſum.*

Quod melius caderet] Quam cenſorem, qui moribus praeeſt, et magiſter morum appellatur, lege Scantinia in iudicium vocare.

A populo, et non infimo quoque] Addidit, *non infimo quoque*, vt oſtenderet, nobiles etiam homines id probaſſe: qui, licet populi nomine comprehendantur, permiſti tamen in multitudine non ſatis internoſcuntur.

Fama] Cum increbeſceret, cenſorem, corrigendis moribus praepoſitum, tam turpi crimine poſtulari.

Coepi ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere] Cenſorum erat curare, vt ſacella non in domo cuiusquam eſſent, ſed populo paterent. itaque Liuius lib. 40. c. 51. vbi loquitur de Lepido et Fuluio cenſoribus, *complura*, inquit, *ſacella publica, quae occupata a priuatis; publicaque ſacra vt eſſent paterentque populo, curarunt.* Coelius autem, vt oſtenderet, Appium cenſorem officio ſuo deeſſe, petere coepit ab eo, vt ſacellum in domo priuata ne relinqueretur: cuius rei cura Appii, qui cenſor erat, eſſe debuerat. ſed libentius intellexerim de ſacello, quod ipſe Appius occupaſſet: ex quo grauior ei concitata eſſet inuidia, occupatis rebus a cenſore, quas cenſor, ab aliis occupatas, populo reſtituere deberet.

Amplius quadraginta manſit] Quid eſt hoc? an, *quadraginta litteras?* Latinum non eſt. *quadragenas* enim *litteras*, potius quam *quadraginta*, et *quadraginta epiſtolas*, potius quam *quadragenas*, Latini ſermonis conſuetudo poſtulat: niſi, ſi ſcripſerit Coelius, XL, ex quo imperitus librarius deſcripſit, *quadraginta*. verum quid haec attinet colligere? cum in antiquo Sigonii libro diſerte ſcriptum ſit, *quadraginta diebus miſit.* quamquam in verbo *miſit*, librarius peccauit: quod meus liber, aliique corrigunt.

Scis Domitio diem timori eſſe] Similiter locutus epiſt. 14. *Scis Appium cenſorem hic oſtenta facere?* Sed cum obſcura ſententia eſt, tum ita diſcrepant inter ſe veteres libri, vt obſcuro per ſe loco, maiores etiam tenebras offundant. In vno meo ſcriptum eſt hoc modo, *diem*

timor

timor est exspectatio valde, et quamprimum. in vno Sigonii, *diem tu morare exspecto, et quamprimum:* in altero eiusdem, *timor est exspecto valde et quamprimum.* In nullo quidem vidi, *timori esse.*

Perinde ERN. *Proinde*] Pro, *perinde:* quod saepe Terentius et Lucretius vsurparunt.

Dolere] Meas, tuas autem vlcisci solere.

Vlcisci] Mirus enim contra Clodianos Milonis defensor in tribunatu fuerat: quod significat Cicero lib. 2. epist. 9. *Te,* inquit, *mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae, vltorem non modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur affinitate Dolabellae, qui Tulliam, Ciceronis filiam, vxorem duxerat: de Curionis tribuni plebis intercessione, de prouinciis quid actum sit, exponit: Hortensii oratoris interitum significat.

EXPLANATIO.

Viri medius fidius optimi] Dolabellae, a quo vxorem discessisse, scripsit epist. 6. is postea cum Tullia diuortium fecit: quod et ex epistolis ad Atticum, et ex consolatoria Sulpicii lib. 4. cognoscitur.

Sibi parum vtilis] Temeritatis Dolabellam arguit, quod Appium accusasset. id ex ea, qua Cicero respondit, epistola licet intelligere.

Pudore Tulliae] Cicero respondit his verbis lib. 2. epist. 15. *Dolabellam a te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari. Nam ea, quae speras Tulliae meae prudentia temperari posse, scio, cui epistolae tuae respondeant.*

Lautum] Pulchrum, egregium.

Intercessionis] Curio intercesserat, ne senatus consultum fieret de successione prouinciarum. de ea intercessione consules ad senatum retulerunt, vt decerneretur, quid agendum, contemnendane intercessio, an eius habenda ratio more maiorum. Censuit senatus intercessioni parendum.

Exitum] Quia valuit intercessio, contra quam M. Marcellus senserat.

Ex senatus consulto] Eo, quod misit Coelius cum epist. 8. in quo ita scriptum est: *Si quis huic S. C. intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, et de ea re ad senatum populumque referri.*

Primaque] Cur prima? fortasse studio et opera C. Marcelli consulis, eius patruelis.

M. Marcelli] Qui consul fuerat anno proximo.

Agendum cum tribunis plebis] Vt intercessio tolleretur.

In alia omnia iit] Frequens a Marcello dissensit. probauit igitur Curionis intercessionem. atque hoc reprehendit Cicero his verbis lib. 7. ad Attic. epist. 7. *Senatum bonum putas,*

putas, per quem sine imperio provinciae sunt? numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset. quam sententiam senatus sequi noluit. de hoc genere loquendi vide, quae diximus lib. 1. epist. 2.

Stomacho est scilicet Pompeius Magnus] Dixi olim, *scilicet Pompeius*, mihi videri esse glossema ad verbum *Magnus:* nec aliter nunc videtur.

Ita languenti] Pompeii hoc erat ingenium, vt voluntatem suam occultaret. stomachi vitium transtulit Coelius ad animum Pompeii nihil in republica probantis, quippe qui neque Caesarem in Gallia diutius manere vellet, nec suam tamen voluntatem satis auderet ostendere: quandoquidem, ipso auctore, in secundo ac tertio consulatu, duae leges latae fuerant, vna de Galliarum imperio in alterum quinquennium prorogando; altera, vt in petitione consulatus absentis Caesaris ratio haberetur.

Transierant illuc] Id probauerant.

Vt ratio esset eius habendae] Hoc totum ita legitur in antiquis libris: *Vt ratione eius habenda, qui exercitum, neque prouincias traderet.* quod ita mendosum est, vt omnis mihi quidem ad correctionem aditus intercludatur. relinquo non inuitus, quod alii quaerant. sententia quidem haec videtur esse: Transierant senatores in alia omnia, id est, probauerant Curionis intercessionem, improbantes M. Marcelli sententiam; tamquam ratione illius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias traderet. Hoc, vt dixi, arbitror significari. sed addere verbum, *neque*, contra veteres libros non audeo: nisi si, vt est omnino asper durusque Coelii sermo, scriptum ab eo putemus, *qui exercitum, neque prouincias traderet;* pro, *qui neque exercitum, neque prouincias traderet:* vt, *neque*, tam ad *exercitum*, quam ad *prouincias* referatur. Venit etiam in mentem, hoc dumtaxat a Coelio scriptum, *transierant illuc, vt ratione eius habenda.* glossam autem esse id, quod sequitur, additam ab interpretante pronomen illud, *eius:* cum hoc pronomine Coelius Caesarem significare solitus sit: dixit enim epist. 8. *Perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, vt cum decederet post Kalendas Martias placeret:* cum Caesarem significet, minime tamen antea nominatum.

Laturus sit, cum cognoscat] Vnus Sigonii liber, et meus, *laturus est iste, cum cognoscam:* alter eiusdem, *laturus, cum iste cognoscam:* itaque subesse vitium suspicor.

Futurum] Video, quid dicatur: sed ex ingenio emendatum existimo: nam veteres omnes libri, *futurus*, habent: quod videtur ad Pompeium referri.

Si aut non curet] Sic antiqui libri. mutilus locus est, aut certe deprauatus.

Vos senes diuites] Quorum interest maxime, rempublicam in suo statu permanere.

Animam agebat] In exitu vitae crebro spiritus ducitur, et reducitur. id veteres, *agere animam*, dicebant. Tusc. 1. c. 9. *Et agere animam, et efflare dicimus.* Plautus in Trin.

Trin. Act. 4. Sc. 3 v. 85. per similitudinem dixit:

—— *Res quom animam agebat, tum esse offusam oportuit.*

Liuius, *trahere animam* dixit, lib. 3. c. 6. *Mortuus Aebutius erat Romanus consul. collega eius Seruilius exigua in spe trahebat animam.*

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Multa complectitur haec epistola: de L. Domitii Ahenobarbi repulsa in augurata; de Saturnino, ab Cn. Domitio Caluino in iudicium vocato; de Pompeii Caesarisque discordia; de Appii ridicula in emendandis ciuitatis moribus diligentia.

EXPLANATIO.

Arsacen capere] Seruius in lib. 6. Aen. v. 760. haec scripsit: *Albani omnes reges dicti* Syluii *sunt ab huius* (Syluii, Aeneae et Lauiniae filii) *nomine: sicut hodieque Romani Imperatores* Augusti *vocantur: Aegyptii*, Ptolemaei: *Persae*, Arsacidae. Est igitur *Arsaces*, generale nomen regum omnium apud Parthos, deductum ab eo, qui Parthorum regnum primus constituit. hoc quidem tempore Parthorum rex erat Orodes, nominatus lib. 15. epist. 1. et lib. 5. ad Attic epist. 18. et 21. vt historicos omittam. Sed de Arsace rege, et de reliquis, qui ei successerunt, quae collegimus ex Iustino lib. 41. et 42. fortasse hic adscribere operae pretium fuerit. Arsaces, vir incertae originis, sed virtutis egregiae, solitus latrocinio et rapto viuere, regnum apud Parthos primus constituit, cum aliarum antea gentium regibus paruissent. ita, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decessit: cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes deinde reges suos Arsacis nomine appellarint. Huic successit filius, et ipse Arsaces dictus. Tertius Parthis rex fuit Pampacius, et ipse Arsaces cognomine, vt reliqui omnes reges; sicuti Romani, Caesares Augustosque cognominarunt. Pampacio successit filius Phraates: Phraati, frater eius Mithridates, qui Parthorum imperium a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit; nec minor Arsace proauo, gloriosa senectute decessit. Ei successit Phraates filius: Phraati patruus eius Artabanus: Artabano Mithridates filius, cui res gestae Magni cognomen dedere. Quo, propter crudelitatem, a senatu Parthico electo, regnum occupauit frater eius Orodes; qui fratrem suum Mithridatem, vltro se in potestatem eius tradentem, in conspectu suo trucidari iussit: hic est Orodes ille, qui M. Crassum cum filio et omni exercitu Romano deleuit. cui successit filius Phraates ex pellice, a patre viuo rex constitutus; qui statim et patrem ipsum, et fratres triginta trucidauit, Augusto imperante.

Seleu-

Seleuciam] Regiam Parthorum, a Nicatore Seleuco exaedificatam, vno ex ducibus Alexandri, quem Arsaces deuicit, vt Ammianus lib. 23. c. 6. prodidit. Seleuceas tres, Pieriam, ad Euphratem, ad Belum, Ptolemaeus facit.

Tibi oculi doluissent] Sic apud Terentium in Phorm. Act. 5. Sc. 8. v. 63.

Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi dolesant? —

In repulsa] Cum auguratum peteret, in locum Hortensii mortui, quem augurem fuisse, et Phil. 2. c. 2. et prooemium libri de clar. orat. demonstrat.

Comitia] Non centuriata, sed tributa: quod ex Phil. 2. c. 2. et aliis praeterea locis intelligitur. augures enim hoc tempore populus creabat, lege lata a T. Atio Labieno, tribuno plebis. antea creabantur ab ipso collegio. diximus copiose in libro de Legibus.

Studia] Et quidem tanta, vt multi postea de vi condemnati sint: quia nimis Antonii studiosi fuissent.

Necessitudinem secuti] Officium, inquit, perpauci praestiterunt: amicitiae habita ratio est. verum hoc ita Coelius implicauit, vt ex ipsis non facile verbis exprimatur. nam, *necessitudinem secuti*, non est vnde pendeat, nisi referatur ad, *perpauci*. quod si sit, perpauci videbuntur necessitudinem secuti: cum tamen contraria sit sententia. constat enim dici, perpaucos officium praestitisse, quia plerique necessitudinem secuti sint.

Ne familiarem quidem suum] Notat ingenium Domitii, cui familiares etiam odio essent.

Per iniuriam] Quod sibi, viro consulari, M. Antonius, qui nondum tribunatum plebis adeptus erat, in auguratu praelatus esset.

Ereptum] Id quod petebat, auguratum.

Cuius ego auctor fuerim] Quid mirum? cum amicissimus Curioni esset Coelius, Curio autem vehementer Antonio faueret. quod ei obiicit Cicero Phil. 2. c. 2. *Poteras*, inquit, *eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, vnam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.* Plutarchus etiam, Curionis praecipue opera, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat.

Gauisos suum dolorem] Epist. 2. dixit, *gaudium gauderemus*.

Vnumque me studiosiorem Antonii] Me potissimum Antonii studiosiorem, quam ipsius fuisse. de Antonio, augure creato, legimus in Phil. 2. c. 2. apud Hirtium lib. 8. de bell. Gall. c. 50. apud Plutarchum in eius vita, et hic lib. 12. epist. 22. suum collegam Cicero appellat.

Ipse Cn. Domitius] Lucii filius, de quo illa superiora scripta sunt. Docet Suetonius in Nerone c. 1. Domitiam gentem duobus tantum praenominibus vsam esse, Lucio, et Caio. huic autem, qui Saturninum accusauit, Lucii, qui cum Ap. Claudio consul fuerat, filio, quem in auguratu repulsam esse passum Coelius ostendit, praenomen fuisse Cnaeo, ex Dione cognoscitur.

Reum fecit] *Reum facere*, non est, in iudicio accusare; sed, postulare. sic epist. 6. dixit, *Appium a Dolabella reum factum*, cum de postulatione intelligeret, vt ibidem patet.

Superiore a vita] Alii legunt, *superiore vita:* non diuersa sententia. ego, ne discedam a veteribus libris, in quibus est, *superior ea vita*, legendum duxi, *superiore a vita.*

Nunc in exspectatione, inest etiam ERN. *Nunc in exspectatione est*] Vbicumque scriptos libros, praesertim et multos, et vetustiores, dissentire video ab impressis; operae pretium puto, lectorem admoneri. nam, etsi perspicue patet sententia, videndum tamen, eius ne sit, qui librum composuit, an eius, qui descripsit, aut emendare conatus est. Hic antiqui libri, quos quidem ego viderim, omnes, in omnibus verbis aliter habent, atque in vulgatis legitur: *non* pro *nunc: in*, non habent: *exspectationem*, pro *exspectatione: inest*, pro *est.*

Sex. Peducaei] Amicissimus Pomponii Attici fuit. Nepos in Attici vita c. 21. Cicero lib. 7. ad Attic. epist. 13. 14. 17.

Absolutionem] Significat, cum nocentissimus esset, tamen absolutum. quo exemplo bene sperandum omnibus reis.

Necesse est] Non enim erat inter Pompeium et Caesarem necessaria, sed voluntaria contentio.

Rerum potiuntur] Auctoritate, gratia, opibus in ciuitate plurimum possunt, alii pro Caesare, alii pro Pompeio sentientes. sic locutus lib. 1. epist. 8.

Consulem aliter fieri] Aut non peti a Caesare consulatum, aut a praesente peti, exercitu et Galliis successori traditis, Pompeius volebat.

Se saluum esse non posse] Timebat, ne priuatus in iudicium vocaretur ab inimicis, ob ea, quae consul contra auspicia intercessionesque pro sua potentia fecerat. Suetonius in Iulio c 30.

Ambo exercitus tradant] Aequa conditio videbatur: sed hoc sperabat Caesar, dimissis ab ipso et a Pompeio exercitibus, se tamen, cum vellet, facile suos milites, qui cum eo per tot annos vixerant, reuocare posse. quod Pompeio de suis, nouo delectu coactis, non item sperare licuit. et ob hanc fortasse caussam, (vt aliae fileantur) oblatam a Caesare conditionem Pompeius recusauit. Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 52. *C. Curio, tribunus plebis, cum Caesaris caussam dignitatemque defendendam suscepisset, saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum Caesaris laederet, et quoniam Pompeii dominatio, atque arma non minimum terrorem foro inferrent; discederet vterque ab armis, exercitumque dimitteret: fore eo facto liberam, et sui iuris ciuitatem. Neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit: quod ne fieret, consules amicique Pompeii iusserunt, atque, ita rem moderando, discesserunt.* Id etiam ad senatum a Caesare scriptum esse, et hanc ab eo, post belli ciuilis initia, conditionem esse delatam, ipse demonstrat lib. 1. de bell. ciu. c. 9. *Proficiscatur*, ait, *Pompeius in suas prouincias; ipsi exerci-*

exercitus dimittant: discedant in Italia omnes ab armis: metus e ciuitate tollatur. Idem confirmat Appianus, Plutarchus, et alii.

Illi amores] Qui fuerunt inter Caesarem et Pompeium, praesertim post nuptias Iuliae, Caesaris filiae, Pompeio collocatae.

Inuidiosa] Inuisa, quam improbarunt omnes boni.

Se erumpit] Sic liber Sigonii, et recte: vt cum proximo verbo *recedit*, congruat: nam si, *erupit*, legatur, vt est in plerisque antiquis libris, reponendum erit, *recidit*, pro *recedit*, contra veterum librorum auctoritatem. *Erumpit*, et *erumpit se*, veteres dicebant. Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 14. *Portis se foras erumpunt.* Virgilius lib. 1. Georg. v. 445.

Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese
Diuersi erumpent radii. ——

Et lib. 4. ibidem v. 368.

Et caput, vnde altus primum se erumpit Enipeus.

Et lib. 3. Aen. v. 572.

Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem.

Lucretius lib. 4. v. 1108.

Tandem vbi se erupit neruis coniecta cupido,
Parua fit ardoris violenti pausa parumper.

Attius Epigono, apud Nonium: *Imperitus stupiditate erumpit se, impos consilii.* *Erumpere stomachum*, dixit Cicero lib. 16. ad Attic. epist. 3. *Hunc tu tralatum in macrocolum lege arcano conuiuis tuis: sed, si me amas, biluris et bene acceptis, ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati.* Et Terentius Eun. Act. 3. Sc. 5. v. 2.

Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? ——

Sic, *emergit*, et *emergit se*, probavit antiqua consuetudo. Cicero de harusp. resp. c. 25. *Iam iste serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc, compressa atque elisa morietur.* Nepos in Attici vita c. 10. *Quibus ex malis vt se emersit.*

Neque, mearum rerum quod consilium capiam, reperio] Respondit ad hanc sententiam Cicero his verbis lib. 2. epist. 15. *Ipsa republica nihil mihi est carius: in qua tu non valde te iactas. districtus enim mihi videris esse, quod et bonus ciuis, et bonus amicus es.*

Quod non dubito] Modus loquendi, parum fortasse animaduersus. nam, *quod*, valet *sed:* vt lib. 14. epist. 4. *Quod vtinam minus vitae cupidi fuissemus!* Et Phil. 10. c. 4. *Quod, qui ab illo abduxit exercitum, et respectum pulcherrimum, et praesidium firmissimum adiuit reipublicae.* Et Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 16. *Quod vbi hostes viderunt ea.* Et lib. 3. c. 68. *Quod cum esset animaduersum, coniunctam esse flumini.* Varro lib. 6. de L. L. *Quod cum dicunt conspicionem, addunt cortumionem.* Liuius lib. 41. c. 10. *Quod cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more maiorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab vrbe esset.* Plinius lib. 18. c. 23. *Quod vt hanc quoque curam determinemus.*

Cum hominibus his] Cum Pompeianis.

Causſam illam] Caeſaris, extraordinariam potentiam quaerentis, qui ſenatui dicto audiens eſſe nollet.

Non homines] Amabat enim Curionem, Antonium, Dolabellam, Caeſaris cauſſam acerrime tuentes. de Antonio paullo ante in hac ipſa epiſtola: de Curione ſaepe: de Dolabella epiſt. 13.

Id melius ſtatuere, quod utrius ſit] Quemadmodum ipſe ſtatuit.

Quique res iudicant] Iudices: quos Pompeius tertium conſul CCCLX. legerat. ſupra. Docemur exemplis, veteres dixiſſe *qui res iudicant*, cum iudices ſignificarent. lib. 2. de Orat. c. 37. Phil. 1. c. 8. et 5. c. 5. et Q. Cicero de petitione conſulatus c. 2. et Pedianus in Piſon. c. 39.

Qui cum timore aut mala ſpe viuant] Qui vel iudicia metuant ob delicta, vel hoc reipublicae ſtatu nihil ſperent. Idem Cicero confirmat lib. 7. ad Attic. epiſt. 3. *Hoc video*, inquit, *cum homine audaciſſimo paratiſſimoque negotium eſſe; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illuc facere, omnem fere iuuentutem, omnem illam vrbanam ac perditam plebem, tribunos valentes, addito C. Caſſio, omnes, qui aere alieno premantur.*

Scis Appium cenſorem hic oſtenta facere] Modus loquendi, cum aliquid vix credibile ſignificamus. epiſt. 12. *Scis Domitio diem timori eſſe?* Et lib. 8. ad Attic. epiſt. 4. *Sulmone C. Attium Pelignum aperuiſſe Antonio portas, cum eſſent cohortes quinque, Q. Lucretium inde effugiſſe ſcis?* et lib. 9. ad eundem epiſt. 11. *Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe?* Cenſor Appius fuit cum L. Piſone, anno vrbis DCCIII. lib. 3. epiſt. 13. Dio lib. 40. lib. 1. de Diuin. c. 16. et in declamatione in Salluſtium c. 6. Oſtenta facere videbatur, cum bonum virum ſimularet. ſignis enim ac tabulis qui ſummopere delectetur, is ſi alios ab eiusmodi ſtudio ac ſumptu deterreat, non oſtentum eſt? Appium autem ſigna et tabulas, ornamentum quod ſuperfuit in fanis et communibus locis, tota e Graecia atque inſulis omnibus abſtuliſſe, ſcripſit Cicero in orat. pro domo c. 43. et paullo poſt *furem* appellat: *Hanc deam*, ait, *quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum ſepulcri, a fure ſublatum, a ſacrilego collocatam?*

De agri modo] Sic malui, contra veteres omnes libros, quam, *de agris modo*. quam enim ſententiam habet, *de agris modo?* at ſi legamus, *de agri modo*, hoc ſignificabitur, egiſſe acerrime Appium cenſorem de moderanda agrorum poſſeſſione: quod maiorum memoria fecerant C. Licinius et L. Sextius tribuni plebis, lege lata de agrorum modo, ne quis vltra D. iugera agri poſſideret. Liuius lib. 6. c. 35. et Epitome lib. 58. Eandem rem ſignificat, et eodem modo locutus eſt Varro lib. 1. de re ruſt. c. 3. *Licinii Stolonis*, inquit, *maiores de modo agri legem tulerunt.* Cicero etiam lib. 13. ad Attic. epiſt. 33. *de modo agri* mentionem facit, vt alia eiusdem et aliorum exempla praetermittam.

De aere alieno] Fortaſſe, ne debitores vſuris exhaurirentur. cui malo

malo iidem tribuni plebis, proxime nominati, lege mederi conati sunt, hoc modo, *vt, deducto eo de capite, quod vsuris pernumeratum esset, id, quod supereſſet, triennio aequis portionibus persolueretur.* Liuius lib. 6. c. 35.

Acerrime agere] Non, vt legem ferat: neque enim ius ferendi leges censores habebant. quod etiam diximus in libro de Legibus: sed, vt auctoritate censoria sumptus moderetur, qui fiunt in signa et tabulas; agrorum autem possessionibus modum faciat. quibus de rebus acerrime Appius agebat in senatu, vt consules referrent. lib. 6. ad Attic. epist. vlt.

Censuram lomentum aut nitrum esse] Censuram ita sordes posse aut obtegere, vt *lomentum* rugas tollit; aut eluere, vt *nitro* e vestibus eluuntur maculae: id est, putat se censurae diligentia et seueritate infamiam posse tollere eorum vitiorum, quibus antea se turpiter inquinauit. Phil. 1. c 8. *Vt quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime seueritate iudicandi sordes suas eluet.* Maculas autem *nitro* tolli solitas, vel illud Hieremiae Prophetae indicat, c. 2. *Si laueris te nitro, et multiplicaueris tibi herbam bouis: maculata es in iniquitate tua coram me dicit dominus Deus.* Quem locum attingens B. Hieronymus epist. 47. *Cauenda*, inquit, *macula, quae nullo nitro, secundum Hieremiam, nulla fullonum herba elui potest.*

Viscera aperit] Tantum abest, vt veterem de suis vitiis opinionem hominum deleat, vt eam hac seueritate vehementius etiam commoueat.

Apud Drusum] Liuium Drusum, praetorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commisit. Fortasse is est, qui lib. 4. ad Attic. epist. 16. nominatur; et qui Liviae, quae Augusto postea nupsit, pater fuit.

Appium] Male audientem earum rerum caussa, de quibus acerrime agit.

Curio] Tribunus plebis.

Remisit de stipendio Pompeii] Hoc tempore optimatibus et Pompeio acerrimus Curio erat aduersarius. intercedebat igitur, ne senatus consultum fieret de stipendio, Pompeii legionibus persoluendo. epist. 4.

Parthicum bellum] Crasso enim cum legionibus Romanis caeso, finitimis Romanorum prouinciis Parthi minabantur: contra quos vel Caesar, vel Pompeius, qui rei bellicae gloria eminebant, mittendus videbatur. epist. 10. et lib. 7. ad Attic. epist. vlt.

Iudicabit] Quasi armorum iudicio ac sententia dirimentur eorum discordiae. Meus liber habet, *vindicabit:* vnus Sigonii, *vindicauit.*

Sine tuo ERN. *Sine summo periculo*] Nec obscura est, nec absurda sententia, diligenter tamen considerandum censeo, cur in omnibus plane veteribus libris pro, *summo*, scriptum sit, *suo*. ex quo nonnullis arbitror coniecturam esse ortam, *tuo* legendum esse, quod est in quibusdam libris Transalpinis.

Iucundum] Nullum inter ciues iucundum bono viro certamen esse potest, vel si sine periculo sit. sed loquitur Coelius ex ingenio suo.

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Prima pars epistolae Pompeium vituperat, Caesarem laudat. orto enim ciuili bello, tutiorem partem, non honestiorem, Coelius elegerat: vt re ipsa comprobaret, quod scripserat epistola proxima, his verbis: Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu ciuiliter sine armis certetur, honestiorem sequi partem: vbi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem; et id melius statuere, quod tutius sit. *Subiungit de sua cupiditate conueniendi et alloquendi Ciceronis: de itinere ad Alpes: de Domitio, Caesaris hospite, interfecto. Scripsit autem hanc epistolam anno sequenti post superiores, id est Lentulo et Marcello coss. Meminit enim in extrema epistola de Domitio Ahenobarbo, Corfinii a Caesare capto, et dimisso.*

EXPLANATIO.

Ineptiorem] Qui nihil prudenter, nihil strenue agat. et sane belli ciuilis initio multa Pompeius peccauit, sed illud maxime, quod vrbem reliquit, dissentiente Cicerone, qui scripsit haec ad Tironem lib. 16. epist. 12. *Vrbem reliquimus: quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare.* Et ad Marcellum lib. 4. epist. 7. *Idem etiam illa vidi, neque te consilium ciuilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus, probare, semperque summe diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror.* Ad Atticum autem lib. 7. epist. 13. *ducem ἀστρατήγητον*, id est imperitum militandi, vocat Pompeium, et saepe queritur de vrbe relicta.

Tantas turbas] Is enim rempublicam perturbauit, cum ea Caesari conaretur eripere, quae vt ei tribuerentur, idem in secundo tertioque consulatu laborauerat atque effecerat. Tumultum illum domesticum, et Cicero *turbas* appellauit lib. 16. epist. 11.

Tam nugax] Contemnens enim Caesarem eiusque legiones, dixerat id, quod Plutarchus litteris mandavit: *Cum terram Italiae pede pulsabo, scatebunt peditum equitumque copiae.* quod cum non praestitisset, allato nuncio de Caesaris aduentu, omnibus in vrbe trepidantibus, Fauonius ad Pompeium conuersus, *nunc*, inquit, *terram pede pulsa, et, quas promisisti, copias coge.*

Acriorem in rebus gerendis] Summam Caesaris in omnibus bellis vigilantiam ac celeritatem vel inimici eius laudare cogebantur: et Cicero ipse, cum Pompeio faueret, Caesari esset infensus, tamen illud scripsit ad Atticum lib. 8. epist. 9. *Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.* Et lib. 7. ad eundem epist. 3. *Hoc video, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse.* Ad Tironem autem lib. 16. epist. 11. *Numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem.*

In victoria temperatiorem] Hoc dicit, quia Caesar, Corfinio capto, omni-

omnibus pepercerat, in iis Domitio Ahenobarbo, inimicissimo suo: quod ante demonstratum est. Plutarchus, Appianus, Dio, ipse Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 23. et alii.

Durissimis et frigidissimis locis] Circa Corfinium, in Pelignorum regione situm.

Taeterrima hieme] Quid hieme taetrius, ob imbres, niues, procellas, frigora, viarum difficultates, agri vastationem?

Ambulando] Pompeianorum notat ignauiam; cum Caesaris milites bellum, quasi ludendo, ambulando confecerint.

Confecerunt] Loquitur de bello Corfinienſi. nam Pompeius, nondum victus, Brundisium se cum exercitu contulerat.

Malis orbiculatis] Optimo alimento. Laudantur a Varrone lib. 1. de re rust. et Columella lib. 5. c. 10. et lib. 12. c. 45. Confirmat idem epist. 17. *Nostri valde depugnare, et facile algere et esurire consuerunt.*

Quid iam, inquis? ERN. *Iam, inquis, glorioſe omnia*] Dices: iam vobis omnia glorioſe succeſſerunt.

Ad me nihil pertinet] Me nihil tangit, minime delectat. dixit enim: *ſi ſcias, quam ſollicitus ſim*: ne videatur optimatum causſam, quam Cicero probabat, libenter oppugnare. ideoque subiungit: *quae tibi exponere, niſi coram, non poſſum.*

Expuliſſet ex Italia] Quod fecit. Caesaris autem nomen hic subaudiri, satis constat: vt lib. 6. epist. 19. *In qua ille ſe dediſſe beneficium putabit.* et lib. 9. epist. 6.

Confectum] Pulsum Italia Pompeium.

Niſi ſi maluit] Quasi sit in Caesaris potestate, vel expellere Pompeium Italia, vel Brundisii maritimis terrestribusque copiis circumsedere.

Peream, ſi minima cauſſa eſt] Peream, nisi maxima causſa est.

Diſcupio] Vehementer cupio. Plautinum verbum, quo etiam Catullus vsus est.

Quod ſolet fieri] Qui enim vehementer amant inter se, tantam, adspectu mutuo, iucunditatem percipiunt, vt cetera saepe obliuiscantur omnia.

Sed tamen] Quamquam, ad vrbem venire, tua maxime causſa, discupiam, tamen casu quodam factum est, vt retro ad Alpes versus ire cogar.

Quodnam ob ſcelus] Quid ego commisi, quod est meum delictum, cur ire nunc, quo minime vellem, cogar? Quasi hoc peccati alicuius poena sit.

Ad Alpes verſus] Ita veteres loquebantur. Caesar lib. 6. de bell. Gall. c. 33. *Partito exercitu, T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum verſus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficiſci iubet.* Sallustius in Iugurth. c. 58. *Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hoſtilem ab tergo accepit: dein, conuerſo equo, animaduertit, fugam ad ſe verſum fieri.* Hirtius de bell. Afric. c. 8. *C. Saluſtium Criſpum praetorem ad Cercinam inſulam verſus, quam aduerſarii tenebant, cum parte nauium ire iubet.* Liuius lib. 1. c. 18. *In lapide ad meridiem verſus conſedit.* Festus: *Eam partem Eſquiliarum,*

quae iacet ad Vicum patricium versus.

Adeo] Ob eam causſam. nec enim aliud hic, *adeo*, videtur ſignificare.

Intimelii ERN. *Intemelii*] Intemelium opidum Plinius citra Alpes conſtituit, et inter Ligurum gentes nominat, lib. 3. c. 5.

Verna] Olim verna: nunc autem Intemelii cum praeſidio erat. *Vernae* ſunt ſerui, ex ancillis nati.

Cum cohortibus ERN. *Cohortibus*] Pro, *cum cohortibus*. Sic enim interdum locutos eſſe veteres animaduerti. Quidam legunt, *cum cohortibus:* quibus fortaſſe aſſentirer, ſi, *cum*, in vllo antiquo libro reperirem. Sed additum fortaſſe a rudibus Latinae linguae, quos offenderet minus obſeruata loquendi ratio. Exempla aliquot afferam. Cicero Phil. 14. c. 10. *His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe aquilam quartae legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit.* Liuius lib. 1. c. 14. *Egreſſus omnibus copiis, partem militum locis circa denſa obſita virgulta obſcuris ſubſidere in inſidiis iuſſit.* Et lib. 41. c. 1. *Eodem decem nauibus C. Furius, duumuir naualis, venit.* Et Q. Curtius lib. 4. c. 1. *Vachas peruenit, vbi excepere eum Graecorum quattuor millia, quibus ad Euphratem contendit.*

Domitii mali dant ERN. *Se Domitii mali dant*] Videtur ſignificare: Domitii omnes male ſe habent: quoniam et Domitius Ahenobarbus paullo ante Corfinii captus erat a Caeſare. Sed hoc loquendi genus, *ſe Domitii mali dant*, inuſitatum et aſperum eſt.

Quantum Pſecade natus ERN. *Quantum ipſe cadenatus*] Ante multos annos in omnibus vulgatis libris legebatur, *ipſe catenatus*. Octauius Pantagathus, vir bonis omnibus ob inſignem probitatem et doctrinam iure cariſſimus, cultus a me ſemper optimi parentis loco, legendum primus exiſtimauit, *Pſecade natus:* vt ſignificetur Bellienus verna. *Pſecas* enim ancilla eſt: *vernas* autem eos eſſe, qui ancillis naſcantur, iam diximus. Si Bellienus, ait Coelius, ancilla natus, Domitium comprehendere et ſtrangulare non dubitauit: quid Caeſari, Venere prognato, in veſtro Domitio faciendum fuit? Commendat igitur, ac valde probat Pantagathi opinionem antithetorum gratia; (nam Coelius Coeliano illo more, hoc eſt perargute, *Pſecade natus*, et *Venere prognatus*, oppoſuit) confirmat veterum librorum auctoritas, in quibus fere omnibus eſt: *ipſe cadenatus:* vt, vna detracta litterula, *i*, ſuus loco nitor, ſuaque reddatur integritas. De Pſecade ſi quis exempla quaerit Iuvenalem legat Sat. 6. v. 491. et Ouidium lib. 5. Met. v. 172.

EPISTO-

EPISTOLAE XVI.

ARGVMENTVM.

Pulso ex Italia Pompeio, suadet Ciceroni Coelius, ne afflictam fortunam sequatur, sed in aliquem locum a bello vacuum secedat. Suasio est ab vtili contra honestum. castris enim Pompeii et consulum defendi respublica videbatur.

EXPLANATIO.

Exanimatus] Translato verbo dolor incredibilis ostenditur. lib. 9. epist. 15. *Miraris, me tanta perturbatione valetudinis tuae, tam graviter exanimatum fuisse?*

Tuis literis] Quae non exstant. multas enim periisse constat. Tiro libertus, quas reperit, in volumina retulit: quae ad aetatem nostram peruenerunt.

Aperuisti] Non perscripsisti, quid esset quod cogitares; significatione tamen quadam ostendisti.

Per fortunas tuas] Vsurpatur hic loquendi modus cum dolore, aut certe cum summa cupiditate obsecrantis, vt lib. 14. epist. 1. *Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus.* Et lib. 3. ad Attic. epist. 20. *Per fortunas! incumbe, vt facis.* Et lib. 5. ad eundem epist. 11. et 13.

Ne quid grauius de salute tua consulas] Ne quid statuas, quod saluti tuae non expediat.

Qualis futura esset] Explanat hoc id, quod sequitur, *nihil nisi atrox et saeuum cogitat.* Huic sententiae respondit Cicero his verbis, lib. 2. epist. 16. *Nec me ista terrent, quae mihi a te ad timorem fidelissime atque amantissime proponuntur.*

Eandem rationem fore Caesari] Ita lenem fore Caesarem in salute aduersariis tribuenda, vt fuit in conditionibus de pace, tulerat enim illam conditionem, vt ipse et Pompeius exercitus tradant. epist. 14.

Iratus senatui] Quia non obtinuisset, vt legati ad Pompeium de pace mitterentur: et quod, quascumque res agere instituerat, L. Metellus tribunus plebis intercedens, omnes impedierat: de quo scripsit Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 33. et Plutarchus in eius vita.

Exiit] Vrbe, iturus in Hispaniam contra Pompeii legatos, ipso iam Italia pulso.

Intercessionibus] L. Metelli tribuni plebis, de quo Caesar sic: *Subiicitur etiam L. Metellus, tribunus plebis, ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat; reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. Cuius cognito consilio, Caesar, frustra diebus aliquot consumtis, ne reliquum tempus omittat, infectis iis, quae agere destinauerat, ab vrbe proficiscitur, atque in vlteriorem Galliam peruenit.* Intercessionis caussam, quam referre Caesar in suos Commentarios noluit, exponit Dio lib. 41. quod, cum ferretur lex, vt promere pecuniam ex aerario Caesari liceret, intercessit L. Metellus tribunus plebis, qui cum intercessionem videret, aerarii ianuam custodire coe-

pit. Sed milites, effracta sera, aditum ad pecunias Caesari dederunt. Plutarchus Caesarem obsistenti Metello, ne pecunias ex aerario sumeret, mortem minitatum esse tradit. Subscribit Appianus. nec aliter Cicero lib. 10. ad Attic. epist. 4. *Plane*, inquit, *iracundia elatum voluisse Caesarem occidi Metellum tribunum plebis.*

Si tibi tu, si filius vnicus] Hanc partem, miserabiliter scriptam, non sine magno fletu lectam esse a duobus pueris Ciceronibus Attico significauit his verbis lib. 10. epist. 9. *Lacrimae meorum me interdum molliunt, precantium, vt de Hispaniis exspectemus. M. Coelii quidem epistolam, scriptam miserabiliter, cum hoc idem obsecraret, vt exspectarem, ne fortunas meas, ne vnicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri.*

Domus] *Domum* posuit pro domesticis: vt lib. 4. ad Attic. epist. 12. *Domus te nostra tota salutat.*

Si aliquid apud te nos] Rogo te pro eo, quanti apud te sum.

Gener tuus] Dolabella, qui apud Caesarem erat.

Vt eam caussam] Caussam Caesaris. verum in hoc verborum ambitu desiderari aliquid videtur. Sed Coelius rationes persequitur, verborum structuram non attendit.

Salus nostra] Mea, et Dolabellae.

Impiam cupiditatem] Nam, si cupimus eam victoriam, in qua salus nostra posita est; simul perniciem cupimus eorum, qui Pompeium sequuntur. quorum in numero si fueris; cogemur impie cupere contra salutem tuam.

Quod offensae fuerit] Si veneris, ne, in Italia si remanseris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione iam offendisse. quidquid esse potuit apud eum offensae, id subiisti, qui cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. Quod hic Coelius, idem Atticus existimauit, vt ad eum lib. 9. epist. 2. scriptum est.

Victorem] Caesarem.

Dubiis rebus] Cum adhuc Pompeius in Italia consisteret.

Fugatos] Iam in Graeciam Pompeius fugerat.

Parum optimatem esse] Parum officio fungi boni ciuis.

Quid optimum sit] Quid tuae tuorumque saluti plurimum conducat.

Totum] Ne omnino ad Pompeium transeas.

De Hispaniis] Electo Italia Pompeio, statim ad vrbem, deinde in Hispanias contra eius legatos profectus est Caesar

Hoc] Velle te ad Pompeium nauigare.

Haue] *Haue*, matutina salutatio fuit; *salue*, vespertina: vt in Hadriano scripsit Dio.

Ad te literas mitteret] Misit: quae sunt lib. 10. ad Attic. epist. 8.

Optimatium] Ciceronem reprehendentium, quod Pompeium et consules, id est ipsam rempublicam deseruisset. vide lib. 8. ad Attic. epist. 16. et lib. 9. ad eundem epist. 2.

Insolentiam] Quorundam Caesarianorum, qui, quasi iam parta victoria, ita se insolenter efferant, vt

vt ferre vix possis. Cicero respondit: *Nosti non modo stomachi mei, sed etiam oculorum, in hominum insolentium indignitate, fastidium.* lib. 2. epist 16.

Iactationem] Qui se insolenter iactant, quasi deuictis Pompeii partibus.

Vacuum a bello] Idem suasit gener eius Dolabella, lib. 9. epist. 9.

Dum haec decernuntur] Dum haec armis diiudicantur, ad exitum perducuntur. Sic Virgilius, *decernere bello.*

Quae cum tu feceris ERN. *Quae iam erunt confecta. id si feceris*] Libri veteres inter se dissentiunt. locum emendauimus ex altero eiusdem epistolae exemplo, lib. 10. ad Attic. epist. 9. inserto.

Caesarem non offendes] Qui etiam ad Ciceronem scripsit, nihil ei neque honestius, neque tutius esse, quam ab omni contentione abesse. lib. 10. ad Attic. epist. 8. Quanto aequior, quam Pompeius, qui ab vrbe discedens in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent, et qui Caesaris in castris fuissent. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 33.

EPISTOLAE XVII.

ARGVMENTVM.

Quo tempore bellum in Pharsalia Caesar, iterum consul, contra Pompeium gerebat, Romae praetor Coelius, rerum nouarum cupidus, vel quia praetori Trebonio mandatam vrbanam iurisdictionem inique ferret, vel quod graui aere alieno premeretur, magnas turbas commouit; quibus eum Seruilius consul remouendum a republica censuit. quae dum in vrbe agitantur, scripsit Coelius hanc epistolam, doloris et iracundiae plenam: in qua se Curionis amore, et Appii odio ab optima mente desciuisse, Caesarisque partes potius, quam Pompeii, secutum esse, conqueritur: eiusque mutationis culpam in fortunam quoque confert, quae effecerit, vt in Hispania esset, quo tempore Cicero ad Pompeium in Graeciam profectus est. Leuiter etiam ipsum Ciceronem accusat, quod amici officium neglexerit, passusque sit eum cum Caesare coniungi.

EXPLANATIO.

Ergo me potius] Indignatio. Ergo, inquit, ita accidit, quod nunc vehementer doleo, vt, cum tu ad Pompeium profectus es, ego in Hispania potius cum Caesare, quam Formiis fuerim. nam omnino tecum in Graeciam nauigassem. A Formiis autem orae maritimae praefuerat Cicero: vt lib. 16. epist. 12.

In Hispania] In qua contra Pompeii legatos, Afranium, et Petreium, Caesar bellum gesserat. epist. proxima, *me secum*, inquit, *in Hispaniam ducit.*

Ap. Claudius] Coelii inimicissimus. epist. 12.

In ista parte] In qua tu es. Verum totus hic locus obscuratur mendo

mendo. Mediceus liber: *Quod vtinam aut Ap. Claudius in ista parte, C. Curio.* vnus Sigonii: *cum Curio:* cetera eodem modo. alter eiusdem: *vt C. Curio:* cetera eadem. Tres mei: *Quod vtinam aut Ap. Claudius in ista parte prohibuisset, aut C. Curio.* In tanta perturbatione videant eruditi homines, an emendare locum possint: ego ne conari quidem audeo. varietatem antiquorum exemplarium fideliter ostendi.

C. Curio] Coelii familiaris: vt epist. 8. Fuerat eius quaestor Coelius in Africa, cum in acie Curio periit. Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 42.

In hanc perditam ERN. *portam caussam*] Sic et Mediceus liber, et quidam alii: meus vnus, *partem caussam:* Sigonii, *parte caussam:* alter eiusdem, *partem caussae:* quod sententia non respuit.

Imposuit] Collocauit.

Iracundia et amore] Iracundia in Appium, amore in Curionem. Iracundiae vitio laborasse Coelium, venuste docet Seneca lib. 3. de Ira c. 8. *Coelium oratorem,* inquit, *fuisse iracundissimum constat. cum quo, vt aiunt, cenabat in cubiculo lectae patientiae cliens: sed difficile erat illi, in copulam coniecto, rixam eius, cum quo haerebat, effugere. Optimum iudicauit, quidquid dixisset, sequi, et secundas agere. Non tulit Coelius assentientem, sed exclamauit: Dic aliquid contra, vt duo simus.*

Tu porro] Sic lego ex duobus antiquis libris, nisi si, *tu tu porro,* placet: vt geminato pronomine maior ostendatur iracundia. in quo liber Petri Pagani cum Mediceo consentit.

Ariminum veniissem] *Arimini,* habet vnus Sigonii liber. Placuit *Ariminum,* vt est in altero eiusdem, atque etiam in meo. postulat enim sententia, et vsus Latinae linguae, *Ariminum* potius quam *Arimini.* Veteres aliquot libri, in quibus est Mediceus, habent, *veniissent:* mendose.

Neque mihi consuluisti] Nullam mei curam suscepisti. lib. 3. epist. 2. *Prospicias, consulas rationibus meis.* Fortasse scripsit Coelius *mi,* non *mihi,* quod ideo dico, quia tum in Mediceo libro, tum in ceteris omnibus, *me,* scriptum est. *E* autem et *I,* quam facile commutentur, periti antiquitatis intelligunt.

Quod diffidam huic causae] Quod belli exitum timeam: quod vereri mihi veniat in mentem, ne Caesar a Pompeio vincatur.

Satius est] Melius est, praestat. lib. 7. ad Attic. epist. 1. *Video cum altero vinci satius esse, quam cum altero vincere.*

Vestrae crudelitatis] Minatus enim erat Pompeius, ab vrbe discedens, hostium se loco habiturum esse, qui in Italia remansissent. atque hanc Pompeianorum crudelitatem Cicero significat lib. 4. epist. 9. *An tu,* inquit, *non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset futura victoria?* Et ibidem epist. 14. *Si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram; tamen intelligebam, et iratorum hominum, et cupidorum, et insolentium, quam crudelis esset futura victoria.* Et lib. 9. epist. 6. *Victoriam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos venera-*

veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur. Et lib. 11 ad Attic. epist. 6. *Omnes, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur.* legimus idem in Caesare lib. 1. de bell. ciu. c. 33.

Feneratores paucos] Victoriam Pompeii timentes, quia praeter ceteros pecuniis abundarent.

Nec homo, nec ordo] Latius patet *homo*, quam *ordo*. itaque satis erat, *homo:* aut dicendum fuit, *nec ordo, nec homo.* sed excusat Coelium iracundia, qua perturbatus haec scripsit.

Nisi Pompeianus] Omnes antiqui libri, etiam Mediceus, *nisi est Pompeianus.*

Plebs] Cum populi nomen plebem quoque contineat, et de populo sequatur mentio; miror hic plebem nominari: et omnino mendum olere locus videtur. quam suspicionem auget varietas veterum librorum. tres habent, *partes:* cum quibus Sigonianus vnus consentit: alter habet, *pios:* vnus, *pius:* Mediceus, *pies.* Hic ego me non explico: exitum fortasse reperiet aliorum industria. quod si mutare liceat; malim *patres*, quam *plebs:* vt senatores eos, qui, neutram in partem animo propensi, in vrbe remanserant, opera sua Pompeianos factos esse dicat: tum de populo subiungat. Nec temeraria mutatio videri potest, si ex *partes*, fiat *patres*, praesertim adiuuante sententia.

Populus] Popularis maxime Caesar fuit, optimates aduersarios habuit.

Vester esset] Populum sibi Coelius addixit promulgatis legibus, vna, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donabat; altera de tabulis nouis. Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 20.

Reliqua exspecta] Valde hic et ab impressis, et inter se dissentiunt scripti libri. Mediceus, et duo praeterea, *reliquas exspectant:* alii, *reliqui exspectant, reliqua exspectant, reliquos exspectant.* Mihi non displicet, *reliqua exspectant:* vt dicat Coelius, populum reliqua exspectare, id est, vt aliquam ipse Coelius in vrbe seditionem commoueat.

Irritaui in me Catonem ERN. *Arruntanum me Catonem*] Sic Mediceus liber; sic reliqui fere omnes: mendose: tamen lectorem vestigio saltem veritatis fraudandum non putaui: vt eruditis hominibus liberior ac facilior coniectura detur, cognito veterum librorum testimonio. *M. Catonem*, pro, *me Catonem*, est in vno Sigonii libro.

Doloris] Huius doloris causam Dio narrat lib. 42. quod Caesar Trebonio praetori vrbanam iurisdictionem mandasset, quam Coelius expetebat.

Indignitatis] Quod suae dignitatis rationem Caesar non habuisset, Trebonio praelato.

Istic] In Graecia. nam post bellum Hispaniense, quo confecto statim Caesar in Graeciam contra Pompeium nauigauit, hanc epistolam scriptam esse constat.

Quod firmissimum est] Ex parte Caesaris. Mediceus liber, et alter Petri Pagani, *haec*, non *est*. in quo si consentirent reliqui, legendum et distinguendum sic arbitrarer: *quod*

quod firmissimum? nec vestras copias non noui. id est, nec vestras copias ignoro, minime cum nostris conferendas. Verum duo libri habent, *est:* quod placet.

Depugnare] Plus est, quam *pugnare.* auget enim, *de,* in compositione.

Facile] Nullo incommodo.

Algere et esurire] Quae diuturnis bellis perferri necesse est. Caesaris autem milites nouem annos, Caesare imperatore, in Gallia pugnauerant. Respondet hoc illis verbis epist. 15. *Nunc tibi nostri milites, qui durissimis et frigidissimis locis, taeterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videantur.*

Consuerunt] Parui refert, vtrum, *consuerunt,* an, vt est in tribus antiquis libris, *consueuerunt,* legatur. Coelianum potius videtur, *consuerunt.* amat enim Coelius, vt in sententiis breuitatem, sic in verbis contractionem. itaque epist. 11. *decrerat* maluit, quam *decreverat.*

152 E. 16

Franckesche Stiftungen zu Halle